ais
lica
na

Digitized by Google

[illegible]lius
[illegible]blica
[illegible]na.

NAZIONALE … EMANUELE
F
55

Biss
Reipu
Rom

IOANNIS

è Societate

REIP

CÆ RO

VETE

ORTUS,

TERI

Cum Breviario

Indice pa



LIBL·BON·PROF·ROM
IHS

Permiſſu S

D I L I

Formis Aca

Apud IGNA

Anno M. D

Digitized by Google

NNIS BISSELII,

è Societate IESV,

EIPVBLI-
E ROMANÆ
VETERIS
TUS, ET IN-
TERITVS.

Breviario Capitum, &
Indice particulari.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Permiſſu Superiorum.

ILINGÆ,

Formis Academicis,

Apud IGNATIVM MAYER.

Anno M. DC. LXIV.

h

Digitized by Google

IOANNIS BISSELII,

è Societate IESV,

REIPVBLICÆ ROMANÆ VETERIS ORTUS, ET INTERITVS.

Cum Breviario Capitum, & Indice particulari.



Permiſſu Superiorum.

DILINGÆ,

Formis Academicis,

Apud IGNATIVM MAYER.

Anno M. DC. LXIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS
Digitized by Google

LECTORI.

RVinarum illuſtrium Decadis quartæ pars, item quarta; non aliud, quàm, Reipublicæ-Veteris-Romanæ Ruina, fuit. Ea, præter res, inſtituti ſui proprias, ANTIQVITATIS ſimùl ROMANÆ, BELLIQVE Civilis POMPEIANI, Compendium includebat: è quo, multa, Ciceronis, Salluſtii, Livii, cæterorúmque, recondita, faciliùs, (ſi vellet) juventus aſſequeretur. Hôc ergò conſiliô, maturioris quoque Minervæ viri, complures, deſiderabant; Ab reliquo ſuo corpore tranſſumptum, ac veluti manumiſſum, ſpectari Laborem illum: ut adeò, Sui jam quodammodo Iuris, *Opus* fieret; quod antehac, pendens ab alio, *Ruina* fuerat. Movebat eos: quòd, utilitatis amplioris fore, credebant; Scriptum hoc, ſejunctum, ac ſolitarium, in *manibus*, quàm, Quatuor adhuc Decadum oneri connexum, ſolîs *in bibliothecis*, habitare. Nec aſpernandum id quoque commodi, cenſebant: quòd Liber VNVS, quàm OCTO, promptiùs, & comparari, videretur, & evolvi, poſſe.

Perlegendi porrò ſtudium (ſi meum quoque, ſuper hac re, ſenſum, Lector, requiras) excitabit potiùs, quàm abſterrebit, ipſe fortaſſe Libri Titulus. Eſt enim, Romanæ Civitatis ORTVS: eſt INTERITVS, & Occaſus: quæ ſunt, & in Sole quotidie (qui tamen exhilarat): ſunt & in nobisipſis Hominibus, inquam: qui, cùm Mundi-Magni, parva licèt, Summa ſimus; naſcimur alternîs; & occumbimus. id, quod & Liber hic exhibet; ROMÆ-VETERIS quidam (niſi malè me fallo) MICROCOSMVS.

Vale.

REIPVBLICÆ ROMANÆ VETERIS ORTUS, ET INTERITUS.

BREVIARIUM CAPITUM.

Cauſſam adfert, ob quam Decadi Quartæ manum ſupremam impoſitura ſit Ruina Reipublicæ Veteris Romanæ. Quid Reipu- licæ Veteris Romæ *vocabulis ſignificationis ſub-* ...: & *, quiſnam agendi de his ordo ſit futurus? Poſt* ...æ, *Duo præmonentur: quorum præſertim Secun-* ...m *ante oculos diligenter habendum, ſuper Teſti-* ...miorum *immodicâ congerie, non rarò, propter* ...uſſam, *hic expreſſam, prætermiſſâ.*

II. *Roma, quo tempore condita. Ejus Reges;* &

 Regnum

Regnum tandem extinctum. Primi Conſules : & Bruti, pro Libertate, Severitas, generatim obiterque libata. Plebis Prima à Patribus ſeceſſio: ejuſdémq; reditus, eâ conditione, ut Tribuni Plebis *ſibi darentur. Eorum turbulenta, Reique Publicæ non rarò noxia, Poteſtas; etiam in Conſules ipſos nonnunquam, Optimatésq; innoxios, diſtricta: cùm interim ab iiſdem nocentiſſimi quique protegerentur.*

III. *Ambitioni præſidium, in* Tribunis-Plebis *paratum. Ab iis Marcius Coriolanus, pulſus Româ; quo pacto eidem, quam ob ejectionem ſuam oppugnabat, reconciliatus fuerit. Spurii Caſſii, Conſulis, ambitio punita.* Tribunorum Plebis *importunitate, variæ adversùs Patres excitatæ turbæ. Decemvirorum novus magiſtratus, Claudii Appii ſcelere redditur inviſus: & aboletur. Plebs, iterum ſecedens ab Optimatibus, iteratò reducitur. Novæ rurſus, & prioribus graviores, à Tribunis-Plebis, turbæ.* Tribuni Militares, *poteſtate Conſularî, creati. Omnes magiſtratus, & officia, plebs invadit. Spurii Melii ambitio oppreſſa: Marci item Manlii, Capitolini. Bella diverſa, ab Romanis geſta, adversùm alios populos; deque tumultu Herdonianô. Quot annis, bellorum illorum pleraque, durârint.*

IV. *Ab Externis bellis, ſit tranſitus ad Inteſti-*

na

na Reipublicæ turbamenta: primóque Gracchorum fratrum turbæ percurruntur. Ob eos, Opimius à plebe exagitatur. Gracchi, etiam Mortui, coluntur. Marius, Gracchis inſolentior, exſurgit: & Tribunatum Plebis, Conſulatus multos, Numidiam, Cimbros, triumphos, universámque Plebem Romanam, malis ut plurimùm artibus, ad ſe trahit: Syllæ invidens; Metello ingratiſſimus; &, ex profeſſo, per ſummum nefas, Inimicus. Iugurthæ, Numidarum regi, quid evenerit. Saturninus, & Glaucia, à C. Mario, ad ſeditiones ciendas, & alia Reip. mala, inceſi; ſed oppreſſi. Metelli glorioſum Exilium; & reductio glorioſior: Mariiq. abitus in Aſiam, odiô fugâq. Metelli, ab exilio reducti.

V. *Publii Rutilii injuſta damnatio; & exilium. Bellum Sociale. Mithridatici belli initia; regiſq. proſperi progreſſus: & Romanorum atrox, immenſáque, per Aſiam, cædes. Principia belli Civilis Mariani; ex Ambitione maximè C. Marii: qui, victus à Sylla, prófugit, è ſummis vitæ ſuæ periculis, in Africam. Cinna Conſul, Marianas, contra Syllam, amplexus partes; omnia rurſus humana divináq. miſcet: Marium, Romam, ex Africa, revocatum, junctis armis, adversùs Syllanos juvat. Romam uterque cædibus cruentant, & implent. C. Marius moritur. Caji Fimbriæ, nefaria, domi foriſque, geſta:*

ſta: deſperatúsq; demũ ejuſdem interitus. Lucii Syllæ, ex Aſia, reditus. Ejus, contra Carbonẽ, Norbanum, C. Marium Iuniorem, & alios, civilia certamina, truculentaq; prælia: Duces; crebræ Victoriæ; ducum adverſæ partis interitus diverſi. Cædes maximæ, Syllæ juſſu Romæ editæ; Tabulæq; Proſcriptionis: numerus item eorum, qui Syllano bello univerſim occubuêre. Status Reipublicæ, per illa tempora, miſerrimus: belloque illo finito, Syllæ varia, in Vrbe, alibique, Acta, decreta, Felicitáſque, quam arrogavit ipſe ſibi: eoque ſuperſtite, ſenſim extingui cœptus Poteſtatis Tribunorum-Plebis vigor antiquus; & miſcendarum in Republica turbarum mucro hebetatus.

VI. *Sylla, qui nonnunquam iracundiam, erga convitiatores etiam, in poteſtate habebat; cur adversùs Romanos ſuos tantâ crudelitate bacchatus eſſe videatur? Cauſſa refertur in Providentiam Divinam, ejúſque indeclinabilem Æquitatem, & Iuſtitiæ regulam: quæ Romanæ Civitatis, ac Potentiæ, graviſſima ſcelera, etiam in hoc Sæculo, noluerit præterire, vel dimittere, impunita; tametſi ſanè non defuerint illis haud pauca, tam Pace, quàm Bellô, commendatione digna.*

VII. *Romanorum veterum Ethicæ Virtutes.* Prudentia: *quantùm attinebat ad urbis Situm; quantùm ad deſcriptionem urbis incolarum, variâ*

parti-

partitione. Civium Romanorum aſſervata nomina. De Romanis Equitibus: & , quanto cum delectu in eum ordinem cooptati, vel in eo retenti: déque loco, ex quo ludos ſpectare conſuêſſent: de functionibus eorundem, & multitudine. De ordine diſpoſitionéque Romani Senatûs, ac Populi; cùm ſpectaculis intereſſent. Romanorum Magiſtratuum, Majorum Minorúmque, diſcrimina, partitionéſque, per eorum pleroſque ferè gradus. ubi, de variis quoque variarum rerum, Curatoribus, Præfectis, & Inſpectoribus. De Cloacis; & , quanti operis illæ? De Aquaductuum molibus, & providentiâ, utilitati conjunctâ. De Lacubus urbanis. De Viis, etiam extra-urbanis: & inprimis, de Appia: quæ cum cura deſcribitur. Ejus longitudo. De Via Flaminia. De Viarum Parergis ornamentisq; & maximè, de Milliaribus, Lapidi inſcriptis. De Milliari Aureo. De Monumentis ſepulcralibus, ad Viarum latera. De Legibus aliquid, generatim. De Curia, ac Senatoribus: eorúmque numerô, & præſtantiâ. De Romanorum veſtitu, ejúſque diſcrimine. Latus-Clavus, quid, & quorum? De Anguſto-Clavo, & Equitum habitu, cultúve: Déque Plebis veſtitu, & Fœminarum etiam, pueritiæq; cultu, per gradus, cujuſque generis, ſuos: uſque ad opprobrium & confuſionem veſtitûs noſtratium temporum. Romanorum

rum Temperantia, *in materia veſtium, ac Togæ: in Victu item quotidiano. circa conjugium quoque, & ſponſarum ornatum, pudicitiam, & occupationes uxorum: ſignatè verò, penſiculatèque, non pauca de Veſtalibus: &, quemadmodum eæ initiarentur: quæ earum occupationes, habitatio, ornatus, egreſſus in publicum, & honores, iis habiti: cenſus annui, in alimenta.* Romanorum veterum; *in indigentes, humanitas, ac pauperum habita ratio; per liberalitatem præſertim, in frumento eis partiendo, aliisq; victûs ſubſidiis. Legata, à divitibus, in populi commodum facta.* Romanorum, *in quibuſdam, Clementia: Juſtitiæ tamen major rigor; præſertim in Iuvenes, Tarquiniorum regno reducendo ſtudentes. Cenſuræ auſteritas, etiam in recognoſcendo Senatu; in puniendis, qui Rhegii deliquerant. De Supplicii, quo Contaminatæ Veſtales afficerentur, triſti, Pompâ, & atrocitate.*

VIII. *De* Virtutibus *Romanorum polemicis, ſeu, quæ circa* Militiam *eorum exercebantur; præſertim, ante Principes, in Imperium ſubingreſſos. Militiæ initium, quotô ætatis annô Romani facerent. De Toga Virili. Eorum, jam tum, exercitamenta, militiæ præludentia. Palaria, quid? Item, Salitiones. De Exercitamentis, & tironum, & aliorum militum; dèque quotidianis aliis, ac diverſi*

generis,

generis, occupationibus. De laborioſiſſimis eorum Expeditionibus, & Oneribus; quæ illi geſtare ſoliti, Patientiam jumentariam demonſtrabant. de Aerumnulis, *quas vocabant. De Caſtrorum operoſis poſitionibus, per munifices. &, quinam iſti? De urbium Oppugnationibus difficillimis: ac nominatim, de Teſtudinibus. De altiſſima militum illorum paupertate, ejúſque tolerantia, primis Conditæ Romæ ſæculis. Stipendiorum diu, vel egeſtas, vel anguſtiæ. Metellianorum militum arctè circumſcripta diæta. Frumentum ſæpe nudum, ſine pane: vel, cum pane, ab ipsiſmet tumultuariè, inſcitéque, piſto, & cocto. Cibi capiendi ſtatus & ſitus. Potus, habitatio, thorus, Vigiliæ, ſtationes, Circuitores, excitatores. diuturnitatis, in bello, ſtipendiisq. faciendis, neceſſitas. Libri Machabæorum primi teſtimoniô, firmata Romanorum, in bellis, prudentia, & tolerantia. Prudentiæ Militaris Romanorum ſpecimen exhibet, etiam pulcra militis eorum, diſtributio, in Genera, Partes, ſigna. Cives, Socii, Auxilia; diſtinctus erant miles. Quinam Velites, haſtati, principes, triarii? De ducibus, & capitibus ſingularum militiæ partium; maximéque, Legionariorum. De Equitibus, & eorum habitu armorum in pugnis: déque iis, qui ducebant eos. De numero militum eorum, qui eſſent in Contuberniis; in Centuriis, ſeu*

Ordinibus; in Manipulis; in Cohortibus; in Legionibus: quarum, diverſo tempore, tam militum, quàm ipſarummet inter ſe, numerus diverſus. Juſtum exercitum, quotnam Legiones efficerent? Legionum, cohortium (aliquando) manipulorúmque, & Equitum, Signa militaria, & vexilla. Aquila-Signum, cujus, & quale. Manipularia-Signa, quarum Imaginum? Lábarum quid? & cujus? Locus Signorum, in acie: anteſignani: ſigniferi. Signa, cujus materiæ, metallive. Eorum accurata cuſtodia. De ductorum inter ſe, ſapienter inventô, Ordine: déque ſingulorum inſignibus, & ornamentis. Signiferorum habitus: Centurionum item; déque Vitis eorum interdum abuſu. Centurionibus, an, & quando, acceſſus, ad militare Concilium, permiſſus? De Tribunorum militarium, diverſi generis, diverſo cultu, & reſpectu. De eorum officio. de Legatis. de imperatore, ejúſque comitatu, & inſignibus; &, in egreſſu ex urbe, pompâ. Paludamentum, quid? Ingens Centurionum erga tribunos, & horum, in imperatorem, reverentia: pompáque matutinarum ſalutationum. Militum item, exemplo ductorum ſuorum, obſervatio erga eoſdem; etiam in locis cuique caſtrenſibus aſsignandis, & apparandis. Caſtra Romana, quarundam urbium origines: præſertim hiberna, &, ad amnes. Caſtrorum metationis notitia

exactiſ-

exactiſſima, cur hodiernis difficultatem pariat? Caſtrorum pleræque partes, & eorum loca. de Prætorio, Quæſtorio, Principiis, & univerſim, de Supera & Infera Caſtrorum Parte. In Aciem, aut quocunque conſilio in hoſtem, quònam apparatu iretur? déque Signis, tunc datis, mutis, & ſonoris. Caſtra nonnunquam cremata; & quo conſiliô? De Æneatoribus; déque diſtinctio Signorum vocalium genere: de præcone, exituros interrogante. Quænam ſingulorum generum, ad pugnam exeuntium, Arma? &, quæ membra corporis armarentur? Aciei vulgatiores formæ. Ordo ducum, hoſtem incurrendi. Claſſici decretorii forma, & concentus. Signum, quod, Teſſera, dicebatur. Jul. Cæſaris locus illuſtratus. Ordo agminum, hoſtem invadentium. Aciei ſubinde commutandæ neceſſitas. Quâſnam in cauſſas fortiter pugnandi, milites reſpicere ſolerent? Præmia victoriæ, fortiúmque factorum, diverſa: ubi & de Coronis; & privilegiis quorundam. De Stipendiis ductorum. De Pœnis denique delictorum, tam Minoribus, quàm Capitalibus; &, quæ maximè Crimina, illis obnoxia. De ſupplicio Impudicorum, & impudicarum pœnâ: ubi &, de Fuſtigationis atrocitate. de pugnantibus extra Ordinem; & ideò morte affectis.

IX. *Quæ fuerant in Romanis approbatione digna;*

gna; multis, è contrario, vitioſis rebus inquinata fuiſſe: ſuprà, quàm Salluſtius in querela ſua expreſſerit. In quorum agmine vitiorum locum primum tenebat Idololatria, non ſolùm Scelus, *ſed etiam* Magiſterium, *exemplive pravitas; quâ, ſubjectus imperio Romano, reliquus corrumpebatur orbis. Falſorum Numinum apud eos Multitudo ridicula; ſimulacra, fana, templáque, plurima. De Capitolio Romano: déque ipſiúſmet Romæ, poſitô à ſe, Templô. Deorum, ac Dearum, erubeſcenda Nomina. Res, quibus Divinitatis jus, & gloriam, tribuebant: vota; modi, colendi Deos; victimarum inhumanitas, & crudelitas. Superſtitiones variæ; multúmq; pueriles, & aniles: mentium humanarum terriculamenta pernicioſa, circáq; dies, Faſtos, ac tempora, futiles obſervationes. Bonæ Deæ, Bacchique, obiter admorſa Sacra. Sacrorum Iſidis occaſione, flagitia perpetrata. Quomodo Homo ipſe, totus, apud eos, fuerit Deô plenus?*

X. *Avaritia Romanorum immenſa. De Auro Coronario: Direptiſque, per occaſionem non-unam, etiam Sociis, ac fœderatis. E rapinis bellicis, ac Provincialibus, Romanorum, etiam privatim, & non publicè tantùm, ingentes opes: quarum aliquot adferantur exempla. Divitiarum prodiga, in res vanas, ac ſæpe malas, effuſio. Mithridatis, Pontici Regis,*

gis, ad *Arſacem, Parthorum regem, ſcriptæ, mordaces, ſed veræ, querelæ: maximè, de eorum, auri, potentiæq́, inſanâ cupidine.* Graves admodum ſubjectis ſibi, fœdereque junctis, populis, *in itineribus, expeditionibus, legationibusq́ ſuis, Romani. Corruptelæ judiciorum, è captis muneribus: & varii corradendi auri, per magiſtratus ac Primores Romanos, uſurpati modi, & cuniculi. Eorundem impudens, & avaritiæ connexa, arrogantia; adverſùm reges, & regna diverſa: indéque bellorum quorundam injuſtitia: vt, Punicorum, Arvernici, & aliorum complurium.*

XI. *Vitia Romana, non Potentiorum duntaxat, ſed & Populi, plebejorumq́, ac certè Privatorum ſaltem capitum, fuerint: & hæc quidem, in omni ferè peccandi genere. De imperio, in ſervos uſurpatô. De inſanis Arenæ voluptatibus. De ferarum caveis, ſub amphitheatris: ac de Pegmatibus. De laceratione, damnatorum, aut, crudele per artificium, dejectorum, ad feras. De Gladiatoribus fuſiùs aliquantò, & ex profeſſo, agitur: ubi multa, cognitu digna, & curioſa. de Pompa, qua producebantur in arenam: déque immanitate, mutuò ſe ferientium, ac trucidantium. de Spectatorum item barbarie, minimè, vel urbanâ, vel Romanâ. De crudelitate, etiam in proſtratos jam, jugulatóſque,*

exer-

exerceri ſuetâ. Quamdiu Romæ Gladiatoria truculentia, Spectaculorúmq; licentia, durârit? Ex ea, talia ſpectandi, libidine, ſunt & alia ſecuta Reip. mala: cædium, & homicidiorum, audacia: inhumanitas, & denſa civium, inter ſe, Summorum Infimorúmque, ſimultates, Inimicitiæ, odia, obtrectationes, contumeliæ verborum. ubi Cicero, pro meritis ſuis, iterum, iterúmque, notatur, & compungitur. Hæc, concordiæ civilis vulnera, diſſidiáque, radicem principalem, in Idololatria generatim habuiſſe fixam; è Salomone demonſtratur.

XII. *De Ingluvie Romanorum, cæterarúmque voluptatum inhoneſtarum intemperantiâ publicâ, privatâque. De lavacris, unguentis, cæteròque delicatorum luxu. De fornicibus: ac multitudine vulgatarum. De miſeria prolium, ab ejus generis probroſis matribus, vel expoſitarum, vel interfectarum, impietate truculentâ; nec tamen iis ſæculis admodum improbatâ: ne à doctis quidem, aut imperio pollentibus. De matronarum etiam, circa fœderis jugalis cuſtodiam, fide fluxâ: déque luxu veſtium inſaniſſimò; præſertim Lolliæ. De Comœdiis Atellanis: De Floralibus; & abſurdiſſimîs delinquendi monſtrîs: ad quæ, picturîs etiam, aliisq; illecebrîs, invitabantur. Laus Jeſu Chriſti, legisq; Chriſtianæ; mundum publicîs ejuſmodi ſordibus ex-*

pur-

purgantium, ſanctitate præceptionum ſuarum. Pœna, Chriſtianis temporibus, horrenda, ſed digna, inflicta ſceleri, contra naturam: quod ſcelus, Veteris-Romæ nec deterior quidem ſexus ſatis, & in totum, effugiebat. De nuptiis, incboari ſolitis ſuperſtitione nefandâ; proptereáque, frequenter infeliciter ſuccedentibus, & in divortia prorumpentibus. vbi, de nefaria divortiorum frequentatione, etiam è Senecæ teſtimonio, diſſeritur: allatis complurium, qui à conjugibus legitimis, pro arbitrio, divorterunt, exemplis. In iis & Cicero, & Paulus Æmilius, & Luc. Cornelius Sylla, proferuntur. Locus quidam Salluſtii, ſubnubilus, illuſtratur. Sylla, quámnam, & cur, poſt divortium, duxerit?

XIII. *Tantorum Romæ-Veteris ſcelerum, tam ingentem colluviem, Divinæ Iuſtitiæ videri meritò debuiſſe tandem intolerabilem; monſtratur analogiâ, punitæ quondam impiæ Ieroſolymorum urbis; è Propheticis minis, & Invectivis, deductâ.*

XIV. *Cœpit ergo Romam quoque Deus caſtigare pœnis, non uniuſmodi: quibus prælusêre quondam veteres Clades bellicæ, præliáque, Romanis calamitoſa. Cannenſis pugnæ luctuoſus dies. Per omnia deinde Quatuor elementa contuſi veteres Romani. De Marco Curtio, in voraginem immittenſe. Terræmotus aliquot: Peſtilitates, grandes, ac miſerandæ.*

XV. *Syllam-Dictatorem, Romanorum fuiſſe flagellum atrox; ſed, ejus ab interitu continuatum, à temporum, & hominum, turbulentorum ſucceſſione. inter quos homines, Marcus fuit Lepidus: Spartacus gladiator; (cujus hiſtoria mittitur illic in compendium): Cn. Pompejus, & Marc. Licinius Craſſus, Tribunatum-Plebis antiquæ protervia reſtituentes: Luc. Sergius Catilina, ejúſque conſpirationis ſocii; quorum exitus breviter indicatur: Publius Clodius, uxoris C. Julii Cæſaris corruptor. Cn. Pompejus, ab uxore impudica divertit; indéque, Craſſo Cæſariq; conjunctior, delabitur in præcipitia Civilis diſſidii, atque Belli: quod Bellum, cur exactè deſcripturi ſimus; cauſſa inſpergitur. Pompejum porrò, ſicut & C. Cæſarem, Clodius prenſat, ad opprimendum faciliùs Marc. Tull. Ciceronem, inviſum ſibi, ob cauſſam, illic expreſſam. Cæſari, ære alieno graviter oppreſſo, noviſque propterea rebus ſtudenti, Clodius admodum opportunus eſt. Craſſus, pro Cæſare debitore ſpondet. Iidem duo, adſumptô quoque Cn. Pompejô Magnô, ſocietatem, Reip. pernicioſiſſimam, ineunt: cujus conditio illic apponitur. A Marco Varrone tunc, & à Lucano poſtea, aliiſq;, fœdus illud meritò traductum.*

XVI. *C. Julius Cæſar, in Conſulatu ſuo primô mirè, pernicioséque, quàm plurima miſcet, ac novat:*

colle-

collegam Bibulum, Marc. Catonem, Marc. Tull. Ciceronem, exagitat. Ad Tribunatum-Plebis promovet Clodium; quem, à nobilitate, ad plebem traduxerat, Ciceronis odio: quem, adjuvante Pompejo, Clodianis furiis vexandum (ſed vterque diſſimulanter) objicit. Galliam adipiſcitur, Provinciam: à quo tempore, inſectando per Clodium Ciceroni, graviùs inſiſtit. Cur Cicero Cæſari, aliisq; non paucis, inviſus eſſet? Is, Clodii operâ, clámq; ſubmachinantibus Cæſare & Pompejo, pellitur in exilium; à ſimulatione vtriuſque turpiter deluſus, ac deſtitutus. Cohibetur ab amicis duobus, ab armatâ ſui defenſione: mœrénſque, exulatum abit, in Macedoniam. Mira Cæſaris, & Pompeji, in ſubvertendo Cicerone, vafricies; Pſeudopoliticorum, etiam hodiernorum, perpolitum ſpeculum.

XVII. Ob Clodii, adversùs ſe, inſolentiam, Cn. Pompejus Ciceroni reditum in patriam conficit. Cæſari verò, res in Gallia magnas gerenti, invidens; nihiloſecius tamen ei, cum Marco Craſſo, pluribúsq; aliis, largitionibus Cæſaris ineſcatis, ſubdolè favet, ad potentiam ejus promovendam ampliùs, & augendam. Fit idem Pompejus iterùm Conſul cum Craſſo: quibus Provinciæ decernuntur; huic Syria Parthiáque, illi Hiſpania & Africa. Craſſo res ſuæ malè procedunt. Pompejus autem,

uxore ejus Iuliâ, filiâ Cæſaris*, extinctâ, frigeſcit in fovendo* Cæſare*: qui viciſsim animum adversùs* Pompejum*, & leges, obfirmat.* Pompejus *judicio Miloniano, cum armis, præſidet; utpote tertiùm jam, & aliquamdiu Solus, conſul: poſtea verò, cum* Q. Cæcilio Metello Scipione*; cujus filiam* Corneliam *duxerat uxorem. Leges fert,* Cæſari *moleſtas, & ſuſpectas: quem demitigat tamen, earum ipſarum temperamentô, & privilegio: in quo peccat, per oblivionem, & errorem, maximis poſtea contentionibus ſemen, & anſam, præbiturum. ubi latet, & tangitur, radix omnis civilis, inter* Cæſarem*, & inimicos illius, controverſiæ.* Cæſar*, in arcto conſtitutus, ob metum legum, & judiciorum, malè decernit ſecum; Incendium ſuum opprimere clade publicâ.*

XVIII. *Marcus* Claudius Marcellus*, Conſul, diſſentiente collegâ* Servio Sulpitio*, avellere* C. Cæſarem *ab exercitibus Gallicanis tentat: eúmque redigere conatur in ordinem. Moleſtum id eſt* Cæſaris *amicis, ac fautoribus; quorum è numero ſe quoque* Pompejus *eſſe ſimulat. Moleſtior autem ipſi* Cæſari *conatus* Marcelli *eſt: cui idcirco, modis omnibus, ipſe viciſsim oppoſiturus ſe, Romæ cauſſæ ſuæ propugnatores emit ſibi; præcipuè,* Marc. Antonium*, &* Cajum Curionem*, Tribunum-Plebis.*

XIX.

XIX. *Duas legiones Pompejus, à Cæſare abſtrabit, Partbici Syriacique belli ſimulatione: quas poſtea tamen ipſe retinet.* Partibus Cæſaris *multi accedunt: præſertim verò probroſi quidam, nec pauci; Appii Pulcri, Cenſoris, ſeveritate Senatu moti. Caji Curionis, Tribuni Plebis, ſimulatio, ac nequitia; in rebus Cæſaris promovendis.* Exenteratur *gennina radix Contentionis, quæ erat inter Optimates Pompejanarum partium, & Cæſarem; ſuper prorogatione imperii iſtius militaris, & de habenda, vel non habenda, ratione Abſentis Cæſaris, in petitione ſecundi Conſulatûs.* Demonſtratur; *Poſt primum Cæſaris Quinquennium, in Gallia exactum, imperium ei, reipſa, & Legum auctoritate, fuiſſe, non in Quinquennium, ſed in Triennium duntaxat, prorogatum.* Contrariæ *verò ſententiæ auctores, vel explicantur, vel conciliantur; conſtabilitâ veritate relationis, ſententiaq́, Marci Claud. Marcelli Conſulis, laborantis, Cæſarem è Gallia, imperióque legionum Gallicarum, Romam revocari: priuſquam Decennium moræ illius, in Gallia, exiret. Reſpondetur Oppoſitioni Cæſaris; Cauſſam ſuam privatam, interitu boni publici, tutari contendentis.*

XX. C. Curio, *primùm ſubdolè, tam adversùs Cæſarem, quàm adversùs Pompejum, agere loqui-*

 que

que ſe, ſimulans: tanquam aſſertor legum, juris, a libertatis, ad plebem gratioſus eſt. Paullatim poſtea Cæſaris cauſſam, adversùs Pompejum, & Optimates, ei addictos, apertè, ſummâq; vi, tuetur; Pompejo, inter hæc, aſtutè ſimulante, promittentéque, ſe dimiſſurum Hiſpanienſem exercitum: ſed promiſſa fallente. Huic Conſules *mandant armatam Reipublicæ tutelam, adversùs Cæſarem.* Cæſar *autem, abſens, paciſci cum Senatu conatur: paciſq; negotium* Cicero *quoque, propoſitis & ipſe conditionibus, urget: ſed fruſtrà.* Curio *ad* Cæſarem *excurrit: qui tamen, etiam adversùs Curionis conſilium, adhuc in negotio pactionis, licèt irrito, perſeverat: tandémq; implacabiliter offenſus, remittit Curionem in Vrbem, cum poſtulatis, ac litteris ad Conſules illos, ſub quibus bellum Civile Pompejanum exarſit.* Pro Cæſaris *poſtulatis, & cauſsâ, tribunorum in* Curia *contentiones flagrant. contra quos, ab Optimatibus, adversùs Cæſarem decernitur. Ad Cæſarem ergo Tribuni, partium ejus propugnatores, profugiunt: quorum adventus Cæſari, copiiſque illius, pergratus, & ad vota ſua perquam idoneus, accidit.*

XXI. De C. *Cæſaris Commentariis belli Civilis, eorúmque fide, quidnam tenendum; obiter pervestigatur. In libris illis, caput deſideratur: & re-*

rum

rum enarrationúmq; crebræ lacunæ, ſalebræq;, oc-
currunt. Vnde fit; ut plenioris hiſtoriæ, de bello illo,
contextus, tum è Latinis aliis, tum in primis, è
Græcis, ſit petendus.

XXII. Scriptorum autem illorum, præcipui fe-
rè nominantur. Ravennâ Cæſar, unde expeditio-
nem ſuam, & ingreſſum in civile bellum, exorſus
eſt, quantum militem eduxerit; indicatur. Rubi-
conem amnem tranſit; & Ariminum occupat. Le-
gatos Pompejanarum partium audit. Ab eo Labie-
nus ad Pompejum deficit: & cur? Is & Pompejum,
& copias illius, (ſicut & Appius Pulcher antea fe-
cerat) ſpe magnâ, ſed perniciosâ, implet. Ad ex-
ercitum Cæſaris multi ſeſe aggregant; plerique ta-
men (extra tractationem armorum) homines nau-
ci. Vrbes præterea, populique, complures, ei ſe de-
dunt; &, intra tempus denique exiguum, Italia u-
niverſa. Pompejus Româ Capuam, & indè Brun-
diſium versùs, fugit veriùs, quàm abit. Lentulus
conſul, ærarium Sanctius invaſurus, re infectâ
aufugit Româ: qua occaſione aliquid, & de Triplici
Vrbis Ærario, ſubjungitur. Poſt Lentuli præcipitem
exitum, ingens aliorum quoque ex Vrbe fuga fit;
quæ deſcribitur. Pompejus, è ſumma ſui fiduciâ, la-
bitur in trepidationem, & inconſiderantiam; quem,
inter hæc, nihilo minùs Optimatum clariſſimus quiſ-

 que

que diſcedentem proſequitur. Ciceronis, de Pompeji animo, præparationéq; ad inſtans Civile bellum, judicium, ac cenſura. Brundiſium, & Cæſar, & Pompejus, alter alteri, præripere feſtinant; ſed prævenit Pompejus: qui indè partem exercitûs ſui, unà cum Conſulibus, Dyrrhachium præmittit. De ipſiuſmet Pompeji, in Græciam, transfretatione, multiplex, & ex omni ferè parte falſus, à Capua rumor, intérq; cætera, de mulierum, ac liberorum, tranſitu, diſſeminatur. Epiſtola, rumoris illius fons, & origo, refutatur: &, Quidnam reipſa circa tranſitum illum Pompejanorum in Græciam ſit geſtum, explicatur. Cæſar, ad Brundiſium, prohibere Pompejum trajectu maris Jonii conatus, à Pompejo deluditur; qui, noctu ſolutîs navibus, Dyrrhachium avehitur. Cæſar igitur, infeſſò Brundiſiò, rebúſque in Apulia diſpoſitîs, Romam properat: quò Ciceronem etiam invitat, & per litteras, & in utriuſque, ex itinere, colloquio. Cicero verò, non unam ob cauſſam (in his fuit, & vitatio comitum militúmque Cæſaris; quorum is vitæ ſordes, & inprimis Marci Antonii, deſcribit) ſuam Cæſari præſentiam, Romæ præſtare, coràm & intrepidè, abnuit; Libertate Sermonis, & animi, multùm laudabilî, meritóq; & hîc laudatâ: pérque occaſionem hanc, aliis quoque Proceribus, & Principum Conſultoribus, in exemplum ſalutare,

propo-

propoſitâ. Refellitur denique Dionis Caßii falſa, de Cicerone, hòc locô allata, narratiuncula.

XXIII. *Cæſar, ad Vrbem cum exercitu veniens, Senatum habet. Legatos autem ad Pompejum, de Pace, miſſurus; qui ire vellent, reperire nequit. Ad ærarium porrò effringendum converſus; multum contentionis invenit in Lucio Metello, tribuno plebis, effractionem impediturô. quo tamen rejectô, Gallicanis irruptionibus repellendis deſtinatum aurum aufert: & abit, parùm ſecundis de ſe, tum aliorum, tum Curionis quoque, ſermonibus, & populi Romani affectibus.*

XXIV. *Cæſar in Galliam ulteriorem, & Hiſpanias, ducit exercitum. Ad Maßiliam, & Ilerdam, ibique, per id tempus, geſta, inque compendium contracta; diffuſiore narratione propterea non egent: quia Cæſaris accuratô, fidoque ſatìs, ſtylo, edita videntur. Is magnam in Hiſpaniis pecuniam facit. Cicero interim, ex Italia primò Siciliam Melitámq; cogitans; vtroque propoſitô hôc reſtituitur, Catonis fortaſſe nonnullâ culpâ. Rectà inde ex Apulia Jonium mare tranſmiſſurus, variè impeditur: ab nemine tamen magìs, quàm à Marco Antonio; inſtinctu forſitan etiam Ca. Claudii Marcelli, nuper Conſulis. Quibus tamen eluctatus ad Pompejum tandem abit in Macedoniam: ob*

Google

cauſſas, quarum aliquot illic enumerantur. in i erat, Gratus erga Pompejum animus; & reru Italicarum, per id temporis, ingratus aſpectus. Caſtris interim Pompejanis parum proficit.

XXV. Pompejus in Macedonia, tironem mili tem inſtruit; in armis ipſe tractandis, ac milita ribus exercitamentis, (ſicut & Cæſar) egregiu Claſſem maritimam, inſignem, undique ſibi compa rat: cui navium quoque prætores complures præfi cit; Catone tamen, ex eorum numero, contra pri mam animi deſtinationem, excluſo: &, quanam de cauſsâ? Claſſe hac, per legatos ſuos, rem Pompejus aliquoties bene gerit: cujus proinde nonnullo metu, C. Curio maturat, in Africam trajicere. ubi tamen, poſt ſecundos aliquot rerum ſuarum progreſſus, ab Rege Iuba denique circumcluſus, victus, cæſus, omni-que cum exercitu, pauciſsimis elapsis, deletus eſt. In Curionis tragico hoc exitu, perpenditur Divinæ Iuſtitiæ manus; improbum hunc per omnia hominem, ad pœnam denique, toto vitæ curſu promeritam, rapientis. Ejus, in adoleſcentia, cum Marco Antonio ſceleſta familiaritas, è Cicerone protrahitur: ac Reipublicæ collapſæ culpa denuò Tribunis Plebis impingitur.

XXVI. Cæſar, à Marco Lepido abſens Dictator renuntiatur. qui, ſtatim Maſsiliâ movens, præmiſsis

miſsis Romam legionibus, eodem ipſe quoque contendit, ac pervenit: ex itinere priùs Placentiæ ſuorum militum ſeditione compreſſâ. Romæ deducitur per Servilium Iſauricum, à ſalutari, ſibi ſuggeſto, conſilio, legationis de Pace mittendæ. legibus damnatos, reſtituit; exules (præter Milonem) revocat; à ſeipſo, cum Iſaurico, fit Conſul. Templa, fanaq́; ſpoliat. Abit denuò Româ: non ſine diverſis futurorum oſtentis, interq́; ſollicitas populi preces; ad pacem cum Pompejo ineundam eum incitantis. Brundiſium convenire legiones ſuas jubet: quarum numerus, ut & Pompejanæ vires ingentes, referuntur. Ii, qui cum Pompejo in tranſmarinis terris erant, Senatûs Reipublicæq́; formam, qualem poſſunt, inſtituunt. Cæſar, nihil minùs exſpectante tunc Pompejo, Brundiſio mediâ hyeme, cum exercitûs magnâ parte, trajicit in Epirum: oppida quædam maritima, armorum injecto terrore, capit; &, ultrò dedita, in fidem recipit. Exercitum Pompejanum, repentino Cæſaris ſuperventu conterritum, Labienus confirmat. quo, copias in officio continente, caſtra locantur, primùm ad Dyrrhachium. deinde, Cæſare ad Apſum amnem ſua locante, Pompejana ponuntur in ejuſdem amnis alterâ ripâ, Dyrrhachinis caſtris propiore. Cæſar, præſidiis in littore maris Adriatici diſpoſitis, Pompejanam claſſem, re-

bus, è continenti terra neceſſariis, intercludit: eâqu durante penuriâ, Bibulus, Pompeji thalaſſiarchus mortem in navi oppetit. Conditiones Pacis iterum Pompejanis Cæſar offert, ſed parùm æquas; quæqu non immeritò Pompejum, ejúſque duces, paullò pòſt, partim ad indignabundas, partim contumelioſas ac minaces ad voces, proritarent. Ad exercitûs partem, qui Brundiſii remanſerat, in Macedoniam per Adriaticum Sinum tranſportandam; Cæſar ipſe periculo ſeſe exponit: ſed, repulſus tempeſtatibus, cœpto deſiſtit. Eas tamen copias Marc. Antonius, demum, Pompejanis quantumvis invitis, & impedire tentantibus, transvehit, & exponit. Ad Antonium feſtinanti Cæſari, & Antonio invicem ad Cæſarem, interjicere ſe Pompejus ex inſidiis ſtudens; proditione Græcorum, ſpe ſuâ dejicitur. Hinc igitur ab Apſo, ad Aſparágium Dyrrhachinum, caſtra copiáſq; transfert. Cæſar excurrit; ad Macedoniæ, caterásq; continentis urbes, ac populos, tentandos. De Dyrrhachio quoque ipſo occupando cogitat; aut certè, de Pompejo indè excludendo. Pompejus, poſt hæc, ad Petram Dyrrhachinam caſtra locat. Eum ibi Cæſar operibus & caſtellis, per circuitum, claudit: &, quónam conſilio? In eâ tamen re Pompejus, etſi circumſeſſus, prudentiâ magnâ utitur; viciſſimque Cæſarem adſidet. Caſtrorum utriuſque ſpatii ampli-

amplitudo, perquam admiranda: alteriúsq; ab altero mutua, nec ſine præliorum minorum viciſſitudinibus, obſidio. Cæſarianorum militum fames, & inſolita ſimùl, & inſolens. Cæſaris, de Dyrrhachio, per proditionem occupando, ſpes decepta; ſed Pompejanorum interim aliquâ clade. Timiditatem quampiam Cæſar viſus tribuere Pompejo; paullò pòſt in diſcrimen ingens ipſe conjicitur, juſti timoris plenum: quando, Pompeji irruptione, ad Dyrrhachium illius res, & exercitus, plagam luculentam acceperunt. Is conflictus deſcribitur: in quo, periclitati primùm Pompejani, ſuorum ſubmiſſo ſubſidio, fuere ſublevati; Cæſarianis ejectis, & contuſis. quam tamen ſtragem Cæſar à ſe multis excuſationibus, aut removet, aut aliò derivat: fide, non parùm ſuſpectâ.

XXVII. Curâ narrationis retrogradâ, relinquuntur (ex officio fidi, rerúmq; chaos vitaturi, Scriptoris) ea; quæ à primo Cæſaris, in Epirum, adventu, uſque poſt prælium Dyrrhachinum, geſta ſunt: ac, vel à Cæſare prætermiſſa, ſuppreſſaque; vel à cæteris quibuſdam, fide digniſſimis, auctoribus, ſecus aliquantò, tradita. De Cæſaris, Brundiſium tranſmittere navi tentantis, temeritate; ſuis improbatâ. De ponte fluminis Apſi. De Prælii Dyrrhachini magnitudine. De Marci Catonis fletu: déque ejuſdem, olim pueri, conſtantiâ imperterritâ.

ritâ. De Cæſaris, poſt pugnam ad Dyrrhachium mœrore, ac pœnitudine: déque famâ ejuſdem adverſâ, & exiſtimationis priſtinæ, apud populos, jacturâ. De Pompeji modeſtia; militum verò illius nimiâ Securitate: déque utilitate, quæ, Dyrrhachinâ è clade, refluxit in Cæſaris ſinum, ac fortunam.

XXVIII. *Cæſar, à Dyrrhachio diſcedens, Apolloniam contendit. Pompejus, ducere bellum, quàm præcipitare, certior, deducitur à rectiore mente; & à conſiliis aliorum, ſuámmet in perniciem properantium, impellitur, ad Cæſarem continuò perſequendum. quem tamen non aſſequitur, ſuâmet nonnullâ culpâ. Cæſar, quidnam intuens, Apolloniâ in Theſſaliam, ac procùl marî, ſeſe contulerit: & Gomphos oppidum, cur vaſtârit? Quo loco, Cæſarianus miles (inprimisq; Teútbones) epulis indulgent, ac poculis: & tamen, cum aliquo remedio morbi, corporibus jam concepti. Locus quidam Commentariorum Cæſaris, ventilatur, & excutitur. Cæſar, auctus Domitii Calvini copiis, ad Pharſalum denique venit, & conſidet: quo eodem loco, Pompejus quoq; (paullò pòſt ſuperveniens) & ipſe caſtra ſua locat: Scipione quoque ſocerô, ejúſque legionibus, in eadem receptîs. Pompejus ad ſuos concionatur. Duces autem illius, de rebus, nunquam futurîs, inter ſe contendunt; & alienas, adhuc in Fortunæ fatorúmque*

gremio jacentes, Opes ſibimet diſpertiunt : univerſique Victoriam ſibi promittunt; animorum præſidentiâ, Deo ſemper invisâ.

XXIX. Pacis reſumpta cogitatio, ſtudiúmque; rurſus (ut ſemper antehac) fluctuat: ac tandem, ſui deſperatione, datur in præceps: &, quibus cauſſis? Pompejus nihiloſecius, trahi bellum, quàm, ſupremum in caſum impelli, præferendum putat: fruſtra ei Cæſare frequenter pugnæ copiam faciente. Sed Prælii flagitatores importuni, præpollent: quorum dimicandi prurigini Pompejus, ad extremum, dat manus: tametſi ſucceſſus lævos ei denuntiantibus crebrò prodigiis; & Cæſare, deſperatâ Pompeji ad infligendum audaciâ, jam aliorſum caſtra tranſlaturô. Ad profligandum porrò Cæſarem, ſuum Pompejus equitatum monitis inſtruit, ſed, adversùs Cæſaris aliam quandam, majorémque, calliditatem, nihil profuturis: tametſi Labienus quoque, rurſus, nuper, jurisjurandi Sacramentô, à ſe cœpto, Pompejanum exercitum, in ſubruendi Cæſaris voluntate, obſirmaret. Pompejo tandem exercitum ſuum caſtris, adversùs hoſtem, emoliente; Cæſar, re compertâ, exultat: &, unà ſecum exultantem, exercitum expedit, ad ſupremum certamen. Pompejani verò, diverſis ſe præludiis ad prælium comparant; uſque ad timoris pariter, ac luxûs, infamiam.

XXX.

XXX. *Pompeji, ante prælium, animi torpentia lentor quidam. Ejus copiarum vires; ac multitudo: ut & Cæſaris, ex adverſo; numero quidem inferior, robore verò præſtantior. Aciei utrimque ordo, ſupremique duces. Auxiliares utriuſque copiæ; ferè ſolum ad ſpectaculum ſepoſitæ. Acies Cæſaris Quarta: adversùs Pompeji equitum multitudinem ſubornata; ac præmonita. Exercitum ſuum imperatores ambo, Cæſar autem intentiùs, in pugnam inſtantem, exhortantur. Cæſaris Concio militaris repræſentatur. Ejus miles, ad præliandum egrediens, ſuámet caſtra, juſſu Cæſaris, convellit, & evertit: cum admiratione Pompeji; tantæ ad audaciæ ſpectaculum inhorreſcentis, ac rerum eventum tacitè præſagientis.*

XXXI. *Exercitûs utriuſque, ante concurſum prælii, ſtupidum ſilentium; animorúmq; ſenſus. Vtriuſque item Teſſeræ militares, in pugnam accepta. Prior tandem Pompejus tubâ dat pugnæ ſignũ. Craſtini, Centurionis Cæſariani, primus in hoſtem incurſus: poſt hunc, & aliorum; ac Pompejanorum equitum, in Cæſarianos, magnô cum eorum labore, diſcriminéque, impetus: donec Cæſaris Quarta acies, in equitatum hoſtilem conſurgeret; eúmq; ſtrategemate ſævô, (Cæſare poſt tergum aſſiduò ſuos incitante) disjiceret, & averteret. Laborat res Pompejana;*

pejana; ducis ſupremi conſiliô monitúque, prudenti quidem, & aliquouſque, ſed ægrè, neque diu, ſeſe ſuſtentans. Tota demum Pompeji *acies, ex omni parte, funditur, ac profligatur. Cæſaris, ad conſpectum fugientium, voces. Auxiliarium copiarum,* Pompejo *inutilis, deſes, ac fugax, opera: quarum (dum Cæſar interim parci Civibus jubet) ingens cædes editur.*

XXXII. *Pompejus, rebus inclinatis, in caſtra ſe, (neglectâ, ſepultâve, Juramenti religione) recipiens; in tabernaculo, mœſtus, & cunctabundus, ſed inutiliter, ſedet. Cæſar autem, ad caſtra illius oppugnanda, ducit: quæ dum expugnantur;* Pompejus, *cum paucis fugæ ſe dans, Lariſſam evadit. cujus exemplum, aliò paſſim alióque fugiendo, cæteri quoque ſequuntur. Caſtra Cæſar ingreditur; eáque diripit. mox reliquias* Pompejanorum, *elapſas, perſequitur, è quibus, dedititios veniâ impertit. Quot, eô prælio, Cæſariani, quot* Pompejani, *occubuerint, ſummatim refertur. Lucius Domitius interfectus. Quot ſigna capta* Pompejana. *Poſt prælium Pharſalicum, quinam* Pompeji *partium, potiſſimùm vitâ exuti: quibus, è contrario, venia conceſſa. Cæſaris, in victoria, moderatio: cùm interim Cicero, ab ipſiſmet ſuis partibus, ſupremum vitæ periculum adiret.*

XXXIII. *Cæſaris inde, poſt tantam victoriam, gloriæ, felicitatisq; (ſicut ipſi videbatur) inoffenſus pro-*

Digitized by Google

progreſſus: potentia quoque, &, proculcatâ ſen Veteris Reipublicæ libertate, culminis excelſioris n ditatio. quæ Romæ demum ei, conjuratorum à m nu, calamitatem ſupremam, & interitum, attul ſed non & Monarchiam in poſteris extinxit; Oc viano Cæſare ei ſuccedente, multiſque aliis. qui, nomine juréque Auguſtalis, ac Tribunitia, poteſtat licentiam arrogantiámq; infinitam exercebant.

XXXIV. *Pompeji Magni, poſt Pharſalicam p gnam, diverſæ fugæ: quarum poſtrema fuit, in Æg ptum. Ibi, regis à ſatellitibus interfectus eſt. C jus tragœdiæ tota ſeries explicatur, uſque ad abitu Corneliæ, cæterorúmq; è conſpectu perfidæ Ægypti.*

XXXV. *Pompeji Virtutes enarrantur: in quas & belli piratici laus. Vitia deinde, virtutib numerô nequaquam inferiora: propter quæ, tam in dignus illâ fortunâ, in quam incidit, cenſeri neque nunc debeat, nec ſuô tempore debuerit.*

XXXVI. *Quid ejus cadavere denique, ſepulcróque, factum ſit: ex comparatione Syllanarum exſequiarum, ignominiosè; nec ad Salutem animæ, in poſteris quoq; honoribus, ei præſtitis, quidquam cum fructu. Concluditur; Ejus Mortem, Monarchiæ Romanæ Initium; Libertatis verò, Finem, ac Ruinam; Chriſtianæ deniq; Religionis, ex occaſione, januam, & Ingreſſum in Imperium, extitiſſe.*

RUI-

REIPUBLICÆ-VETERIS ROMANÆ ORTUS, ET INTERITUS.

§ (I.) §

DERCVRSIS, utcunque per rerum copiam, deleɥúmque, licuit, Caſuum, à Condito mundo ſpeɥabiliorum, theatrîs, ad Ætatis uſque Sextæ propemodum finem; quídnam præſentem, ſensímque ſuas ad metas tendentem, DECADEM, aptiùs, quàm ROMANA-VETUS Reſpublica (*A*), Potentiáque, concludet? quippe, quæ de ſumma Libertate, quælibétq; pro ſua libidine miſcendi licentiâ, poſt Orientis ac Macedonum everſa ſuîs armîs Imperia, tandem & ipſa, quódque gravius erat, *in Seipſam*, ſuîſmet impulſibus, collabi cœperit: &, in proprium domeſticúmque ſuî Servitium, Cneji Pompeji Magni calamitosô caſu funeréque,

récidens, Orbi, per ſe ſubjugato, ſpectaculu effecta ſit, Jugi Ruinæq; ; qua Cæſares eam præceps dederunt.

Ut autem Casûs iſtius magis in aperto ſit Cauſſæ, Progreſſus, ac Magnitudo; conſiliui eſt, Ex alto curſim principium & incrememt repetere *Reipublicæ* ROMÆ-VETERIS: hoc eſt VRBIS, eô ſtatu florentis, in quo, poſt excuſ ſum ſuis è cervicibus Regnum, adepta Libertatem ac Potentiam eſt, Regnis omnibus altiorem, ac formidandam. Diſſeram deinde; Quibúſnam Roma priſca malis, rerúmque turbidarum quaſi gradibus, ab excelſo magnitudinis ſuæ faſtigio, ſenſim deſcendere ſit exorſa Poſtea verò, quo pacto, magis magíſque, ſuômet progreſſu debilitata, fractáque; ſub extremum ità *colliſa* ſit: ut (quod ſexcenteſimô plus minùs annô priùs, Daniel, Vates Hebræus, futurum expreſſerat) lapis, *de montibus* æternis *abſciſſus ſinè manibus*, hoc eſt, Chriſtus JESUS, è Virgine, nullius patris mortalis congreſſu prævio juvantéque; progenitus, Imperii ſui ſuperventu, *reliqua regna*, certo quodam modô, *conſumeret univerſa*: ſuique ponderis illabentis impetu, *teſtam, ac ferrum, & æs, & argentum, aurumq;, ſubrueret*: hoc eſt, *ut Aſſyriorum,*

Perſarum, *Græcorúmque*, potentiam, in unica quondam magnitudine *Romanâ* collectam, *Eccleſiæ Chriſtianæ* ſempiterna majeſtas comminueret, ac diſſiparet. (*b*) Priuſquã tamen hæc explananda ſuſcipiamus: præmoneri *duo*, non erit extra rem. *Primum* quidem: circa Rerum Romanarum ſtatum, Conſulum ſucceſſionem, Annorum ab Urbe Condita numerum, Geſtorum ſeriem, modum, fidem, ac res, ea circumſtantes, ut & ritus; non omnium ſemper eandem eſſe narrandi rationem, opinionémq; ſcriptorum, ſive Græciæ de Romanis, ſive Latii de ſuæmet Romæ veteribus Actis. Ego, quæ propiùs verum eſſe videbantur, ex utriuſq; linguæ claris auctoribus ſelegi: cùm præſertim viderem, idipſum quoque T. Livium, in ſcriptoribus Italiæ, ſuam ætatem antegreſsis, ſæpiùs, in perplexis rerum expoſitionibus, amplexum eſſe. Præmonendorum autẽ *alterum*, illud eſt: Quorundam hujus Ruinæ Capitum (ſeptimi præſertim, Octavi, Noni, Decimique) tantam rerum enarrandarum, noſcẽdarúmve, fore copiã, ut frequenter, ac plerumq; catenatim, ad ſingula quæque verba, certéque narrationis membra, ſui rerum Teſtes eſſent adhibendi. Quid autem Lectori (præſertim pro-

 peran-

peranti) moleſtius occurſurum opinemur, natîs illîs, quas ab initio jam inſtituimus, A ctorum clauſtrîs,& carceribus, in unum qua doque Caput aliquod plus millies freque tandîs? Et tamen ſua ſingulis univerſiſque fide ſummâ, conſtabit Auctoritas. Quæ, r penitùs,etiam Auctorum ſub Titulo [qui Ru næ ſubjungetur] pereat, aut intercidat; gene ratim ibi conſignabitur: ac, nequod *enantia tum* ſub Teſtimonium veniat *Injuratum*; Teſti um ſaltem Tribus, & claſſes, nominabuntur Harum autem ipſarum Auctoritatem, ſic uni verſim adductam,ſiquis,aliquantò ſuſpicacior, adhuc fortaſsis auſurus eſt in dubium vocare: per me licebit, ipſos ut Scriptores, non per partes,ac ſaltus, tranſeundo, percurrat; ſed to tos (ut nos fecimus) ac per ſingulas earum narrationes, evolvat: *citra* quam *diligentiam*, *in humanis,nihil poſitum eſt extra prolapſionis vel Periculum, vel Metum.*

II. Ut ad inſtitutum igitur accedamus; *Romam*, ſub Olympiadis ſextæ finem, annô, poſt mundi principium, ter milleſimo, trecenteſimo ſecundô,regente Jeroſolymam ac Judęam Achaze, *Romulus*, adjutante *Remo*, fratre, condidit: eámque primus, jure nominéque *Regio*, guber-

gubernavit. Succeſſerunt, eâdem poteſtate, per ordinem, Numa Pompilius, Tullus Hoſtilius, Ancus Marcius, Lucius Tarquinius Priſcus, Servius Tullius, Tarquiniúſque Superbus; pro legitimo rege, ſceleratus tyrannus. (*c*) Regnatum erat annos, ab Urbe conditâ, ducentos circiter, & quadraginta quatuor, *ſeptem* ab Regibus: *octavúſque*, ſupremæ dignitati deſtinatus, *Sextus Tarquinius*; patris, annum jam vigeſimum quintum regnô potientis, mortem exſpectabat: cùm repentè *Lucretia* Romana, genere nobilî prognata, ſed nobiliore formâ, *Collatiæ*, (quod oppidum Romæ vicinum erat) ipſo conjugis, tunc abſentis, in thalamo, per vim ac libidinem illius ejuſdem *Sexti*, vitiata; Romanos quidem, *odio Regum*, ad res novas, *Reges* autem ad *fugam*, ac privatam fortunam, adegit. Res, è Livio, Dionyſio, Naſone, pluribúſque ſcriptoribus aliis, utriuſque linguæ, notiſſima; nullam requirit ulteriorem narrationis moram.

Extinctâ porrò Romæ *capitis unius* in cives omnes ſupremâ potentiâ; res ad OPTIMATUM deducitur IMPERIUM: urbéque ſe *patriciorum* poteſtati totam permittente; *bini* creantur in poſterum tempus, annuô magiſtratu,

Conſules: primique, *L. Junius Brutus*, regu exterminator; & *Luc.Tarquinius Collatinus*, L cretiæ (quæ ſeipſam, pudore contaminati co poris, interfecerat) maritus. Is urbis Roman *Status*, quia Regibus obnoxius eſſe deſierat, L BERTAS appellabatur: &, quòd, *unius* exſolu tus nutu, *plurium* ad manus, *populi commodò*, de volutus erat; RESPUBLICA, (velut alii gubernatarum urbium Statibus eminentior tunc habita) dici, gaudebat. *Revera* tamen ea gubernationis erat forma, quam ARISTOCRATIAM Græci, nos autem, OPTIMATUM REGIMEN, nominamus. Tanta porrò, *Junio Bruto* cumprimis, ac *Publ. Valerio* (poſtea *Poplicolæ* dicto) cum univerſo populo, *Libertatis* retinendæ conſtabiliendæque, cura pariter, & charitas, inhæſit; ut, de *Tarquiniis* reducendis clam agitantes, *Titum ac Tiberium*, filios ſuos, *Marcum* item, & *Manium*, Vitellios, uxoris ſuæ germanos, & Lucium ac Marcum, *Aquilios*, Tarquinii Collatini, collegæ ſui, ſorore natos, *Brutus* conſul, palàm, & in oculis ſuis, proditionis crimine condemnatos verberatósque ſecuri feriendos tradiderit. Idem, *Lucium* quoque *Tarquinium*, *Collatinum*, Conſulatûs (ut dixi) conſortem, mitiora ſuadentem, juben-

bentémque; tanquam civem, *Tyrannorum* partibus ſtudentem, collegiô ſummi magiſtratûs, & urbe, pepulit: *Publio Valerio*, ne ſolus in reliquum anni tempus Rempublicam gereret, participe *Conſulatûs* aſſumpto; numeróq; Senatorum ad *trecentos* uſque reparatô.

Talem in modum, id eſt, ejectione Regum, fugîs, & exiliîs, ac filiorum nepotúmque cruentîs ſuppliciis, obſignata populi Quiritium *Libertas*, inoffenſo progreſſu jus ſuum prorogavit, ſub legum tutela Conſularî: donec, *patriciorum* laceſſitus injuriis, *Populus*, ex urbe ſecedere cœpit, in Sacrum ſuburbani ſoli montem; qui, ſecundùm *Anienem* flumen, trium millium intervallô remotus erat ab urbe. Repentinus autem hic populi motus, Siciniô quodam concitante plebem militarem, & tunc armatam, incidit in annum, ab Urbe Condita, ducenteſimum ſexageſimum; contumaciâ ſuſcitatus *Juniorum* è Patribus conſcriptîs: qui *Manii Valerii* Dictatoris æquiſſima, pro re fortiter geſtâ, promiſſa, poſt partam victoriam exſolvere plebi meritæ detrectabant. *Menenii* verò cujuſdam, cui cognomentum *Agrippa* fuit, prudentiâ, dexteritatéque facundiæ, plebejis auribus accommodatæ, reductus tan-

dem in urbem populus; præſentem *Reipublicæ* ſtatum, ordinémque, qualis à parta *Libertate* per annos jam ſexdecim, & aliquantùm ultrà, viguerat, per vim, ac ſeditioſas conditiones propoſitas, immutavit. Non enim contentus manſit eo, quo, poſt expulſos reges, ſemper gaviſus erat, jure, paríque propemodum cum *patriciis* arbitriô ſuffragiorum; ut nimirum rerum in Republica maximarum *Senatûs-decreta*, *magiſtratuum creationes*, *legum lationes*, *bella*, *paces*, *fœdera*, cúmque populis exteris *ſocietates*, aliter, niſi de populi conſenſu, *plebiſq́ ſcito*, ratæ non eſſent, tametſi *Patres* auctores fierent: ſed reductus, quem dixi, Populus, TRIBUNOS inſuper PLEBIS, [magiſtratum, illic antehac inauditum], efflagitavit ſibi; pérq; ſum̃am contentionem demum extorſit. Nominati quinque ſunt, qui *Tribunatu plebis*, eodem partim annô (qui fuit ab Urbe Condita Ducenteſimus Sexageſimus primus, ad exitum ferè vergens), partim annîs, proximè ſecuturîs, fungerentur; alternatîs *Tribunatûs*, & *Ædilitatis Plebejæ*, poteſtatibus: quæ tunc *Ædilitas*, *ſeminarium* quoddam *Tribunorum plebis*, in ſucceſſiones, ac vices, erat. Hi fuêre, *Lucius Junius*; qui *Bruti* ſibi cognomen, *è Liber-*

tatis

tatis introductæ ſimilitudine, licèt ipſe *plebejus*, induerat: *Cajus* item *Sicinius*, de quo dictum eſt, cognomentô *Bellútus*: *Caj. Licinius*: *Publ. Licinius*, ac *Spurius Icilius Ruga*. Qui ſtatim, in concionem populi progreſſi, *Luc. Junio Bruto* ſuadente, *plebi* majorem in modum auctores fuerunt; utì, non modò Poteſtatem illam *Sacroſanctam*, & omnibus, etiam magiſtratibus, inviolabilem, ſed inſuper *Æternam*, Immobilem, & inconcuſſam, ſancirent: adjectò, ne cuiquam, poſthac futuro naſcituróque, populo, fas eſſet unquam, illam, de *Tribunatûs-plebis Æternitate* latam tunc, legem antiquandi. Quod ſanè totum, quid erat aliud; quàm, primò quidem, ſapienter, poſt exauctoratos ſemel Reges, introductum OPTIMATUM IMPERIUM, in REGIMEN POPULARE, plurimorúmque confuſas ſententias, præcipitare? quem regendi modum, DEMOCRATIAM, Græci vocant. (*d*) Quid aliud deinde, quàm, genus illud hominum, tum legibus armatum, tum communicatione poteſtatis auctoratum, in Reipublicæ quaſi gremium inſinuare, deponeréque; quod in hoc, velut de compoſito, natum ac factum eſſet, ut ingenii ſui contumaciam, quaſi *ſcutum*, adver-

ſùs omnia Conſulum, curuliúmq; magiſtratuum, juſſa, decretáque, per *Interceſſionum* licentiam; opponeret? tanquam, *nullis*, niſi *Tribunis plebejis* Romanis, dictum illud eſſet, in contentioſas vulgò rixosâsque cervices circumferri ſolitum, Paradoxon: SEMPER CONTRARIUS ESTO! Quô proinde factum eſt; ut, illâ ſemel eis apertâ laxatâque, quibusvis contradicendi, poteſtate, tantumnon infinitâ; poſt *alteram* præfertim *plebis* (quâ mox indicabo) *ſeceſſionem*, omnia fierent, quæ, nefas alioquin eſſet, in *tranquilla benèq; compoſitâ Republicâ* fieri: Singillatim autem; ut delectus, à Conſulibus indicti, malitiâ *tribunorum plebis*, impedirentur: ut hoſti, bellum inferenti, communis omnium patria, Roma, prædæ fieret: ut *agrariæ* latæ *leges*, populum à Patribus, velut inteſtinîs armîs, abſcinderent; urbémq; ſeditionis omnî tempeſtate miſcerent. *Tribunorum-plebis* inſolentiâ factum eſt: ut, quoniam, lege latâ, nefas erat, turbulentiſſimas eorum conciones interpellare; multæ leges utiles, à Patribus rogatæ, non perferrentur: ut leges è contrario noxiæ, per vim, graviorúmq; malorum metum, ſancirentur: ut Dictatores Conſuléſq;, poſtquam magiſtratu,

(quan-

(quantumvis præclarè geſtis rebus) abîſſent, præteritorum interrogarentur: ut pecuniâ ſæpe grandi mulctarentur: ac demum, in exilium etiam ejicerentur. Ab hoc *mortalium audaciſſimo genere*, TRIBUNIS, inquam, PLEBIS, *Conſules* (ſuprema Romæ, regiæq; potentiæ ſubrogata, poteſtas) in carcerem non duci ſolùm juſſi, (*e*) ſed reipſa ducti ſunt (*f*): Conſulibus aliis, ab iiſdem illis Reipublicæ turbinibus, conflata capitis, ac fortunarum, pericula; dictáque dies eſt (*g*): aliis, eorúmq; lictoribus, illata vis (*h*) ac *minæ* ſunt *præcipitii, de montis Tarpeji ſaxo*: citati per apparitorem Conſules, ab his ipſis, ad *collegium tribunorum*, Icilliô duce: convocatus eorum imperiô *Senatus*: (*i*) &, ad eorundem nutum, in Senatu dici ſententiæ cœptæ. *Tribunorum* denique violentiâ (paucîs ut multa dicam) erepti ſæpenumero judiciis legitimis, ſubtractiq; ſuppliciis, lege fixis, reorum nocentiſſimus quiſq; ; qualis inter cęteros complures fuit [per *C. Bæbium*, tribunum plebis, aurô corruptum, liberatus], *Jugurtha*, Numidiæ rex, cognatæ ſtirpis interfector. (*k*) Ab iiſdem, è diverſo, pulſi ſunt in exilium, viri *patricii*, longè clariſſimi; Camilli, Coriolani, Rutilii, Metelli, Cicerones. quæ tamen

men pleraque pòſt evenerunt. Sed, ab hac tamen, quam memoravi, plebis armatæ ſeceſsione, *Tribunisq; plebeiis*, per eam reductam ſemel *intruſis*, ac pòſt etiam *multiplicatis*; primus factus gradus eſt, ad pleraque, quibus in poſterum tempus conflictatus, ſensímq; convulſus, REIPUBLICÆ ſtatus eſt, pacis turbamenta. PRIMUMQUE FUIT hoc INITIUM, LIBERTATIS ROMANÆ, tanto labore ſuo partæ, DESCENDENTIS AD SERVITIUM; EX IPSAMET LIBERTATIS IMMODICA SANE TUTELA: CUJUS IN SPECIOSO VOCABULO, SUPERBIA TRIBUNORUM, PRO REGIBUS EXACTIS, PLEBEJUM SIBI REGNUM CONSTITUEBAT. Itaque, PRO TYRANNO QUONDAM UNO, quem, ut Injuſtum, ejecerat, alios ſibi ROMA plerumque SUBSTITUIT, eóſque ferè Quinos, aut DENOS, REIPUBLICÆ, ſed (ſi Superis placet!) *legitimos*, OPPRESSORES.

III. Talium autem plerumque ſpe præſidii freti, deterrimus quiſque, paullatim cœpêre *Rempublicam* agitare. Nam, cùm hæc, *Senatu* cumprimis, & *Equeſtri* conſtaret ordine, *Ple-*

Plebejáq; (*l*) multitudine [*tres enim Ordines* hi, Romā tunc univerſam conſtituebant]; fiebat, ut *ambitioſorum* acerrimus quiſque, ſeu Romanus is *eques*, ſeu de *plebe* civis, eſſet, ad commoda dignitatéſq; *Patriciorum*, interdum autem & ad *regiam* potētiam, aſpirarēt: uti *Caj. Iul. Cæſar*, aliiq;, ſuprà Cęſaris ætatem, fecerunt. At hi, ſuis in conatibus deprehenſi, *patronos* ſibi, ſi poſſent, *omnes*, aut *pleroſque*; vel, ſi minùs id ſuccederet, *unum quempiam*, alterúmve, de *tribunis plebis*, parabant; gratiâ, largitione, promiſsíſque potentiæ majoris. Sed nos progreſſum, ſic inſtitutæ tunc, *Reipublicæ* curſim, ac per ſingularia quædā tantummodo, delibantes; videamus: ut illius, nunc quidem *labantis*, nunc autem *erectæ*, mox iterum *imminutæ*, paullóque pòſt denuò *creſcentis*, iterùmque *decreſcentis*, potentiæ, varios inter fluctus rerum, viciſſitudines nobis in propatulo ſint, & in quodam aſpectûs compendiô. Nam immorari ſingulis, nec operæ valde pretium fuerit, in tanta veteris Romanarum rerum hiſtoriæ copiâ; nec adeò noſtri, *Chriſtianas* ad ætates properantium, impetûs, & inſtituti.

Jam igitur primùm omnium annô, poſt conditam urbem, ducenteſimô ſexageſimô ſecundô,

dô, Tit. Geganiô Macerinô, Publióque Minutiô, Conſulibus; *C. Marcius Coriolanus*, patricii vir generis, bellicæque fortitudinis gloriâ ſpectatiſsimus, in petititione Conſulatûs, ob plebis in eum irã, *tribunorũmq; plebis* impulſu; contra *Patrum* voluntatem, eum impensè foventiũm, repulſam paſſus erat. Repulſæ cauſſa fuit: quòd Marcius, & Tribunis infeſtus, & populi ſordidioris utilitatibus adverſus, nec *plebi* quidquam in *frumentaria largitione* cenſeret indulgendum; &, *Tribunatu* præterea *plebis*, [tanquam magiſtratu, civitati periculosô,] ſublatô, priſtinum Urbis Liberatæ ſtatum, ac ſcilicet Optimatum Regimen, revocare meditaretur. Indè factum eſt; ut, adnitentibus omnium acerrimè *Cajô Siciniô, Deciôq;*, Tribunîs plebis, anno proximè ſequente, conſenſu furioſæ multitudinis, opprimeretur: ac, *duodecim tribuum* infeſtîs ſuffragiîs (hoc eſt, à *majore populi multitudine*; cujus *viginti* tùnc, & *Una*, tantùm Tribus erant) damnatus, urbéque pulſus; in *Volſcos* exulatum abiret. Qui, memor injuriæ, *tribunisq;* maximè *plebis*, ac fæci multitudinis, infenſus, & implacabilis; urbi ſtatim, tertiô poſt ejectionem annô, bellum inferre cœpit: caſtrisq; Volſcorum, in quos imperium ei

man-

mandatum fuerat, ad ipſa demum Romana mœnia promotis; in extremas calamitates, ac ſummam exitii formidinem, cives ſuos adduxit: exciſurus (ut apparebat) urbem, aut Volſci certè juris imperiiq; facturus; niſi, *Veturiæ* denique matris, & uxoris *Volumniæ*, legatione, ſupplicibúsq; lacrymîs, emollitus, ab armis, & inferendâ ſupremâ clade, cum ſuæ quoque vitæ certo periculo perniciéque, diſceſſiſſet. (*m*)

At ſanè, pòſt paullô, juſtiùs eâdem illa *plebs*, cum *Tribunis ſuis*, ac cætera quoque *Roma*, viſæ ſunt in *Spurium Caſſium*, ter quidem Conſulem, ac geminô præterea triumphô conſpicuum virum, ſed nimiâ tamen felicitate ſuperbum, & immodicum, animadvértere: quando, reducem eum ex *Hernico Volſcóq;* bellô, proptérq; tentatam largitionem agrariam affectatæ tyrannidis manifeſtum, damnatúmque, de ſaxo Tarpejo dejecêre; ſextô pòſt annô, quàm urbe *Marcium* (uti dictum eſt) *Coriolanum*, ejuſdem quidem criminis, ſed falsò, poſtulatum, exturbâſſent. (*n*) Nec tamen, poſt hæc, quietiores *Romanæ res*, ſublatis, qui regnum affectâſſe ferebantur, *Coriolano*, *Caſſioque*, fuerunt; improbitate *Tribunorum plebis*. Hi namque, turbis aliis ſuper alias excitandis inten-

intenti, geſtientéſque; non priùs quievêre: quàm *collegii* ſui *numerum*, eouſque *quinquevi-ratu* clauſum, laxarent: ac, ſub ſpe promiſsíſque, concordiùs poſthac cum *Patribus* agendi, geminarent. *Decem* itaque *Tribuni plebis* uno tempore creantur, iîs legibus: ut *ne minor* is numerus unquam in poſterum eſſet. Factum id eſt, ſub annum, ab urbe conditâ, ducenteſimum nonageſimum octavum. Sed ii, *Patrum* extortô ſemel aſſenſu, per ſuffragia plebis nominati, promulgatíque; ſtatim inter ſeſe, per ſummam rerum indignitatem, conſpirârunt adversùs eos ipſos, ſuæ poteſtatis approbatores, patricios: *nequis è ſuo collegio, niſi de totius collegii ſententiâ, quidquam eorum, quæ pertinerent ad jura tribunitia, moveret: neu' - cui fas eſſet, in eo, quod decretum à tribunis plebejis eſſet, intercédere ſententiæ plurium collegarum.* Quo ſanè machinamentô, fraudis iniquitatíſque plenô, via *Patribus* obſtruebatur, ab iniquis *tribuni* cujuſpiam, aut plurium, rogationibus, ac legibus, ad æquiores poteſtatis ejus collegas provocandi; noxiique conatûs *interceſſorem* parandi. Fiebat igitur, ut hac tantâ magiſtratûs hujus, tum multitudine capitum, tum conjuratione ſententiarum, & agendi pervicaciâ,

jam

jam non *Democratiam* ſe Romana *Reſpublica*, ſed (quæ multîs ſanè partibus deterior eſt) OCHLO-CRATIAM, hoc eſt, PLEBEJÆ MULTITUDINIS inſolentem inſanámq; DOMINATIONEM, profiteri compelleretur. (*o*) Qui profectò, ſi ſic ſemper perſeverâſſet rerum Status: nec lentus fuerat, nec parùm manifeſtus, ad ſui perniciem, deſcenſus. Cujus rei turbulenta ſe mox aperuerunt indicia: cùm, bienniô pòſt, pro jure, *cunctis omnino civibus æquali*, largiendô; necnon, pro lege perferendâ, qua plebi dividi publicus ager jubebatur, *Tribuni plebeji* petulanter tumultuari cœperunt: nec, niſi pæne *manu* denique *Conſulum*, globóque factô *patriciæ* juventutis, & clientûm Senatûs, impudentibus poſtulatis ſuîs abſtiterunt; obliti, ſe, trienniô jam antè, ſub pactionibus, *Aventini montis*, in plebis domicilia ſedéſque ſibi concedendi, *numerique tribunorum plebis* geminandi, perſanctè fuiſſe pollicitos, (ſicut ſanè pepigerant): tam *legis Agrariæ* mentionem, quàm *juris inter omnes æquandi* contentionem, in perpetua demum tempora, concordiæ firmioris cauſsâ, depoſituros. Sed nempe, PLEBEJIS HOMINIBUS, UTI GENERIS, ITA FI-

DEI DATÆ, VILE PONDUS era

Inter has autem Patrum, plebíſque, perpetuò recurrentes, altercationes, non aſpernandum illud *Optimatibus* occurrebat remedium ſi, quemadmodum Spartæ quondam, Atheníſque, ſic & Romæ demum, poſt jam *trecentos ab Vrbe Condita* decurſos annos, *Reipubl. conſtituendæ cauſſâ*, *leges* conderentur. Igitur eodem ipſo, qui fuit urbi conditæ *trecenteſimus*, ſummâ populi Patrúmq; voluntate miſsis ad Græcorum, quæ tum inter Italos erant, urbes, & in tranſmarinam quoque Græciam, Atheníſque potiſſimùm, legatis tribus (quorum nomina fuerunt, *Spurius Poſthumius*, *Servius Sulpitius*, *Aulus Manlius*); conquiſitæ leges ſunt: quarum poſtea Senatus Populuſq; Romanus delectum facerent. Iis autem, tertiô pòſt annô, Romam perlatis; viſum eſt, utì, ceſſantibus inter hæc, tam *Conſulum*, ac *tribunorum plebis*, quàm aliis quorumcunque nominum, magiſtratibus, *Decemviri* crearentur, *legum conſcribendarum*, & *ordinandæ Reipublicæ*, cauſsâ. Creatique, præter *tres*, qui leges peregrinas attulerant, legatos, *Claudius* inſuper *Appius*, *Tit. Genutius*, *Publ. Sextius*, *Titus Romulius*, *C. Iulius*, *Tit. Veturius*, ac *Publ. Horatius*: qui magiſtratum illum,

illum annô poſt Cond. Urb. trecenteſimo tertio, ſic ingreſsi ſunt; ut, penes *unum* exiſtente Conſulari poteſtate, cum faſcibus, *denûm dierum* imperium ſinguli per ordinem obtinerent: qui, de tribunali, jus aſſiduò dicerent, & cauſſas, æquè privatas, ac publicas, dijudicarent; à quibus itidem provocandi jus non eſſet. Nequando verò provocationis neceſſitas poſſet incidere; ſummâ tunc, per omnes ſingulóſque, *Decemvirorum* æquitate, lites univerſæ, cauſſæq;, tractabantur. *Decem* quoq; *Tabularum* (quę poſtea, propter *Duas* additas, *Duodecim* dici cœperunt; ut & nunc quoq; dicuntur, ac partim retinentur) leges conſcriptæ, populo palàm, vel approbandæ; vel augendæ, minuendæ, molliendæve, proponebantur. (p) Ad ſummam! ità primus ille *Decemviratûs* exactus annus eſt, uti, non ſolùm ejus continuandi magiſtratûs, in annum etiam poſterum, ſed etiam reficiendorum, eorundem ferè Decemvirûm, populo Patribúſque deſiderium ſederet. Ac *creati*, non *iidem* quidem, Decemviri ſunt: *refectus* tamen, & populi votîs, & ſuopte ſuffragiô, quo ſeipſum primum omnium nominârat, *Appius Claudius*. qui collegas ſibi, quos voluit, &, quos ambitioni ſuę commo-

diores ſperabat, adjunxit. Cujus tamen late broſum animum priuſquam urbs ſimplicio penetraret; multùm ſibi Roma felix, ac tum demum *verè Libera*, ſub *Optimatum* tam moderatâ gubernandi viâ, videbatur: quòd præſertim ad id uſque temporis etiam *Appius*,(minimè cæteroqui, nec ſuâ, nec majorum ſuorum, indole, *populare nomen*) inſperatiſſimâ civilitate, plebem præcipuè, tanquam redivivus quidam *Poplicola*, tractaret, ac foveret. Sed profectò; NIHIL SIMULATUM, FERRE POTEST ÆTATEM. Adversùs ingenium ſuum *Appius* comis, redire ſenſim ad mores ſuos cœpit; &, contage (ſicut in humanis fit) ambitionis, aſperitatíſq; gentilitiæ, contactos, collegarum quoque pleroſque tranſversùm agere. Conſpirant igitur: ac, per vim, minas, inſolentiam, & jam Faſcibus etiam Secures, intrà mœnia, contra morem veterem, illigando, vertere jus in injuriam inſtituunt: quámq; cum gloria reſtituerant, *Ariſtocratiam*, in *Regnum*, *Tyrannidémq;* demum, transformant. Itaq;, cùm & legibus XII. *Tabularii* adjeciſſent eam, quâ *connubia, patricios inter ac plebejos*, vetabantur; & in *annum* quoque *tertium* ſeipſos renuntiâſſent *Decemviros*; ac, præter hæc, cum

regii

regii terroris inſignibus, omnes decem, & ſimùl quidem, unáque, prodirent: tum demum, urbis univerſæ publicum incurrerunt odium. Ad quod, cùm annô, quem dixi, *Decemviratûs* tertio Deorum in eos Immortalium acceſſiſſe viſa fuiſſet ira; quippe malè geſtâ, per *octo Decemviros*, in caſtris re, contra Sabinos & Æquos: &, cùm domì tantiſper, cum *Oppio* collegâ, remoratus, *Claudius Appius* intemperantiâ ſuâ plus, quàm ullâ priùs ferociâ, deliquiſſet: is ſeipſum ſimùl, Collegásq; ſuos, evertit. Dum enim *Virginiæ*, ſpecioſiſſimæ puellæ, raptum libidini ſuæ deſtinans, cauſſam *patri* virginis præbet; ut hic ei vitam, in ejus viſcera defixô cultrô, priùs eriperet, quàm *Appius* pudicitiam, ac libertatem: indignitate rerum permota plebs, tam ea, quæ tum in caſtris erat, quàm illa, quæ remanſerat in urbe; primùm in *Aventinum* montem, caſtrîs ibi collocatîs, mox autem, [utì quondam quoque fecerat] in *Collem Sacrum* [q], cum conjugibus liberísq;, *ſecedit.* Sed, ob evacuatam indigenîs urbem ſubmittentibus ſe tandem *Patrum* arbitrio *Decemvirîs:* revocata per legatos, *Lucium Valerium Potitum*, & *Marcum Horatium Barbatum*, Romana *plebs*; Romam, *iis conditionibus*,

reverſuram ſe, pollicetur: ut, *abolitô Decemviratu, Decemviriſq; populi Patrúmq; judicio permiſſis, Tribunatus-plebis*, eódem, quo fuiſſet ante *Decemviratum*, numerô reduceretur; creatíſque, ſicut antiquitus, Conſulibus, *Provocatio* locum ſuum, priſtinâ lege conſuetudinéq;, recuperaret. In hæc pacta, *plebs* in *urbem*, ac *civitas* in qualemcunque *concordiam*, redire viſa; Conſules accepit, eoſdem illos, quos dimiſerat ad plebem legatos: *Tribunos* verò *plebis*, interfectæ Virginiæ patrem, ſponſum, avunculum, alióſque *ſeptem*; pro *Decemviris tyrannis*, *Decemviros alios*, profeſſione *populares*. Appius *Decemvir* in carcere, vel ſuâ, vel alienâ, manu, turpiter extinctus; *collegas* cæteros, quos nefarii dominatûs habuerat conjuratos, ſupplicii reliquit participes: partim meritâ morte plexos [*r*]; partim autem in exilium, fortunis eorum publicatis, ejectos. Ità factum eſt, ut [quod Poëtarum Maximus, loco quodam, ſed aliâ verborum mente, dicit] *iretur in antiquam Sylvam*; eandémque, quæ fuerat ante *Decemviratum*, animorum, inter *patricios*, ac *plebejos*, contentionem Romani, ducibus *Tribunis*, reſumerent. Quod equidem, eôdem mox annô, patuit: quando Conſules, *Valerium*, & *Horatium*,

tium,

tium, à profligato bello redeuntes, & *à Patribus* triumphare prohibitos, *plebs*, ac *Tribuni*, poteſtate donârunt honoris illius capiendi; quem *Senatus* eis abjudicârat.

Poſteris autem tempeſtatibus, immanè quantùm inſolentiores effecti *tribuni plebis*; ſuis ac populi commodis, quærebant, & conciliabant, quæcunque, moleſta Patribus ac dolentia fore, non ignorarent. Ea verò ſi negarentur; improbiſſimâ confeſtim pertinaciâ, Conſulibus, adversùs imminentes hoſtes delectum indicentibus, & indictum habentibus, adverſabantur: expeditionibus eouſque turbatîs, & impeditîs; quoad eis Patres, aut rebus ipſis, aut perſanctè factâ fide promiſſorum, acquieſcerent. Igitur, *quinquenniô* vixdum elapsô poſt *tribunitiam* reſtitutam poteſtatem, rogatione per *Ca. Canulejum* tribunum plebis latâ; *promiſcua plebejorum cum patriciis* connubia, (rem, è muliebri quondam ſororum duarum æmulatione moveri cœptam) Patribus expreſſerunt: & annô, partim eodem, partim inſequente, *Conſulatum* quoque cum plebe communicari, fas eſſe, perimportunè contendere cœperunt. Quæ res eò conſiliorum *Patres* adegit: ut, priùs, quàm & *Conſulatum* ad ſe *plebs*, ſicut nuper

conjugia patricia, traheret; intermiſsô *Conſulu* magiſtratu, TRIBUNOS potiùs MILITARES POTESTATE tamen CONSULARI, creandos, eâ lege, populo proponerent: ut eorum pars è *patriciis*, pars autem *è plebe*, crearetur. Quamvis verò *tres* tunc duntaxat, & *omnes* quidem *è patriciis*, juſſi ſunt *Tribuni militares* poteſtate Conſulari (cùm tamē eis à populo largè facta copia fuiſſet, *Sex* omnino, partem autem eorum dimidiam, *è plebe*, nominandi): quamvis itē, redactîs paullò pòſt in ordinē *Tribunîs militaribus*, ceu, *vitiò creatis*, in reliquū anni tempus *Conſules* urbs ſuffecerit; non tamen intrà metas illius, quam initiô præ ſe tulerant, ſeu conſtantiæ, ſeu modeſtiæ, diu perſtitêre: ſed, cùm à *Conſulibus*, ſeptenniô pòſt, ad *Tribunos* iterum *militares*, ac poſtea ſæpius, decucurriſſent, deſultoriâ viciſſitudine, nunc *hos*, nunc *Conſules*, jubendo; numerum quoque *tribunorum militarium-Conſularis-poteſtatis*, extendere paullatim inſtituerunt. Et nunc quidem *quaternos* (s), aliàs autem & *ſenos*; tandem verò, ſiqua *Livio* fides eſt (ut eſſe poteſt) *octo*: nec eos ſemper, ut aliquandiu, *patricios*, ſed *promiſcuè*, nominârunt (*t*). Nam ad extremum, etiam *plebem* in magiſtratum illum, impor-

portunîs *Tribunorum plebis* impulſi concionibus, Quirites intruſerunt. Cujus audaciæ principium factum eſt, annô, poſt Conditam Urbem, trecenteſimo quinquageſimô quartô; Publ. Liciniô Calvô, *plebejô*, juxta *quinque Patricios* collegas, creatô: ſequentéque mox annô, juxta *Patricium* unum, (*Marcum Veturium*) cæterîs collegîs *plebejis*. Ità ſemel in hunc modum, patefactô *plebi*, ſummum ad honorem (*u*), aditu; minùs eidem poſt hęc arduum fuit, magiſtratuum *curulium* (x) gradus omnes invadere; pervicaciâ tribunorum plebis. *Ædilitatem* quidem *curulem*, alternîs primùm inter patricios, ac plebejos, annîs; poſtea verò *confusè*, ſub annum ab Urbe Condita trecenteſimum octogeſimum octavum (*y*): paullatim deinde, *Præturam* quoque, per Q. Publium *Philonem* (*z*), quin & *Cenſuram* denique, per *C. Martium Rutilium*, ad id munus annô, poſt Urbem conditam, Quadringenteſimo ſecundô, contentionibus *tribunitiis* evectum; hominem, *plebejum* quidem, ſed, ad talia faciliùs ſenſim graſſari ſolitum, & evadere: quòd, iîſdem illis uſus præſidiîs, jam ante quinquennium *Dictaturam* etiam occupârat; aperturus eandem & aliis poſtea de *plebe*, poſt annos tres

ac decem. Inter hæc autem, *Conſulatum* (quem ſolum unicè *plebs* affectârat) *Luc. Sextius*, cognomento *Lateránus*, extorſerat; & ipſe de plebe vir: in annum, poſt urbem conditam, trecenteſimum, octogeſimúmque ſeptimum. Supererant, *Pontificatus*, & *Auguratus*; patriciorum antiquitus functiones. Tamen, etiam à *plebe* demum, & *Augures* fieri cœperunt, & *Pontifices*, patriciis immiſti, numerô *novem*: ſub annum unum, & eundem, qui fuit, ab Urbe Conditâ, quadringenteſimus quinquageſimus tertius.

Cæterùm, inter iſta, quæ diximus, *patrum* ac *plebis*, pro magiſtratibus adipiſcendis, ac negãdis, invicem certamina; diversîs etiam aliunde motibus, ab annis retrò non paucîs, *Roma*, domi juxtà foríſque, conflictabatur. *Spurius Melius* inprimis, vir, ordinis equeſtris, opulens, & induſtrius, ſed ambitioſus; inopiâ frugum & alimenti preſsâ civitate, largitione coëmpti privatîs ſumptibus frumenti, gratiam favorémq; plebis, & ex hoc, *regnum*, quæſiſſe, manifeſtus erat. Eum, *L. Quincii Cincinnati* Dictatoris juſſu, *Ca. Servilius Abala*, magiſter equitum, in mediis ſeditionis plebejæ conatibus (quos, empti corruptiq; mercede Melianâ, *tribuni*

tribuni plebis promotum ibant) oppreſſerat, cæſum tamen,adhuc *popularis favor*, à *morte*, (quæ trecenteſimo decimóq; ſextô, poſt urbem cõditam,annô contigerat) celebrabat: ejuſdémq; memoriam comitabantur *agrariæ* perferendæ *legis*, crebriùs iterata, deſideria. Quæ poſteaquã nihilô magis, quàm, à tot antehac annîs, procedebant:deſertâ Româ,plebs inquieta migrare *Vejos* contendebat; annô,poſt conditam urbem trecenteſimo,ſexageſimóq; primô. Vixq; deductus ab ea mentium inſaniâ populus, *Vejentis* agri, (qui, bello captîs Vejis, virtute Romanorum,publicus erat factus),largitione; trienniô pòſt,*tribunitiarum turbarum* obliviſci cõpulſus eſt: dum *Gallorum* gentem, victricẽ, intrà muros tunc admiſsã, cervicibúsq; ſuis impoſitã, excepit. Hæc,obſeſsô Capitoliô, vel *ſervitutem* urbi, vel *excidium*,erat illatura. Sed hoſtem, *anſerum* vigiliâ clangoréq; proditum, dejecit indè *Marc. Manlius*,antè triennium *Conſul*; tunc autẽ *Servator arcis*: à qua, *Capitolini* poſt hæc cognomen cepit. At nec ille quidem eo metu,ſatis,& in ſolidũ,liberavit urbẽ, *Libertati* juratam;dum eam minùs tutam præſtat à ſuámet ambitione: quâ paullatim prenſabat multitudinẽ; concutiendóq; *legis agrariæ* turbidam mentio-

mentionem, & obæratos ſublevando dom-
ſticîs copiis, Patres juxtà, fœneratoréſque, c-
minari cœpit; tanquam, exactione pecun-
creditæ, rigoréque judiciorum, in pari verſa-
tes noxâ. denique, *regnum* & ipſe, non obſcu-
riùs, quàm *Spurius Caſſius* antehac, & *Meliu*
omni genere popularitatis, agitare. Quas o-
res, *Manlius*, primùm quidem, ut Reipubl.
turbator, imperio Cornelii Coſsi dictatoriô,
conjectus in vincula; cùm indè, metu concita-
tæ multitudinis, Senatuſconſultô dimiſſus eſ-
ſet, ac nihiloſecius querelîs criminationibúsq;
novîs ſeditionem, etiam acriùs, quàm unquam
antehac, inflammaret: etiam de *Tribunorum*
plebis denique ſententiâ (ne ſemper, & præfra-
ctè, refragari bono publico videri poſſent) de-
nuò comprehenſus, affectatæque tyrannidis
damnatus, de *ſaxo Tarpejo* dejectus eſt; annô,
poſt conditam urbem, trecenteſimo ſeptua-
geſimo, póſtque *ſervatum* ab eo *Capitolium*, ſe-
ptimô. (*Aa*) Nec eò magis tamẽ, à *Manlio* ſub-
lato, quietum vulgus Romanum fuit; quod, ob
Romã, (à Gallis nuper incenſam deformatám-
qu, poſtea, negatîs plebi *Vejis*, inſtaurari ſum-
ptibus plebejorum cœptã), exhauſtum, æréq;
paſſim alienô multô gravatum, erat. Quâ cauſ-
sâ,

ſâ, creditoribus debitores aſperiùs, quàm humanitatis ſenſus exegiſſet, tractantibus, & in ejus raptis *nexum* intentantibus : ſeptimô pòſt annô, (*bb*) recruduit in immenſum ſeditio; tribunis plebis eam (more ſuo delectus, adverſùm Volſcum irruentem, impediendo), ſuccendere perſiſtentibus:donec poſtulatis plebis *Patres* acquieſcerent.

Verùm hæ, generis hujus, *Reipublicæ-quietæ* (ſi tamen unquam *verè quieta* Roma priſca fuit) concuſſiones, etſi tumultuoſæ turbulentæque : *rixæ* tamen veriùs, altercationésq; civicæ, quàm, in perniciem publicam exituri, *motus armorum*, fuêre; præ *bellorum*, tam ab *exteris* in *Romanos*, quàm ab *Romanis* in *Seipſos*, excitatorum, geſtorúmque, tempeſtatibus, atque turbis.

Et *bellorum* quidem, adversùs exteras urbes, ac populos, & Reges, *per annos*, ab Urbe Condita, *quinque ſupra Septingentos*, hoc eſt, ad uſque principium *Imperii* C. Julii *Cæſaris*, pugnatorum; ſupervacuum eſt ſcriptori, compendia ſequenti (quod nos facimus), vel pleniorem exſequi rerum enarrationem; cùm in manibus omnium verſentur Hiſtoriæ Romanæ diſertiſſimi complures utriuſque linguæ conditores;

vel

vel per eorum capita ſaltem, ac titulos, ambulare: cùm in promptu ſit *Lucius Annæus Florus*. Exempli tamen cauſsâ, *nominentur* ſanè, quæ videri cuipiam *eminentiora* poſſint. *Bellum* cum *Samnitibus*, Italicâ gente, fortiſſimâ; tractum in annos *ſeptuaginta duos*, per *triumphos*; *unum ac triginta*, de gente, ſemper reſumente vires iracundiores. Bellum *Carthaginienſe primum*: annis geſtum *quatuor, ac viginti*. Bellum *Carthaginienſe ſecundum*, cum *Hannibale*, protractum adusque domitam, ab Africano Majore, Punicam gentem, ejúſque principem urbem; annis decem, & octo. *Tertium*, cum eádem gente, *bellum*, ad *excidium* uſque *Carthaginis*, in annum quidem, haud ampliùs *quartum*, productum; ſed urbis victæ *ruinâ*, perenniq; calamitate. *Bellum*, ſub eádem ipſa tempora, *(cc) Celtibericum* redivivum, *Viriatho* maximè, *Luſitanô*, duce; variâ ducum Romanorum, memorabilíque, clade, prolatum in annum ferè *quartum decimum*, hoc eſt, aduſque doloſam Ducis hoſtilis cædem, &, poſt hujus interitum, adhuc in *annos* prope *ſeptem*, quorum exitus, tum demum bello, *Numantino* pariter, ac *Celtiberico*, (quod arma *Numantinorum* excitârat) non ſine *Numantiæ* tamen excidiô, finem

impo-

impoſuit. *(dd)* Bellis præterea *Punicis*, & *Celtibericis*, intervenêre *Macedonica* duo, contra *Philippum*, ac *Perſeum*; & *Aſiaticum*, adversùs Antiochum Magnum: quorum illud, à *Philippo* geſtum, ſi numerus ineatur annorum, ab icto primùm adversùs Romanos fœdere cum Pœnis, & Annibale, *novemdecim* continuos implevit *annos*. Iterúmque poſt hæc redivivum; quantum in *Philippo* fuit, non priùs *armorum* exitum, quàm rex *vivendi* finem, invénit. quod ſpatium temporis, *ſexenne* fuit. *Perſei* verò bellum, *quadriennium* duravit continuum. Cum *Antiocho* dimicatum in *triennium* eſt *(ee)*. Poſt ea tempora, *bellum* exortū *Numidicum*, extractū eſt in *ſeptennium*; Iugurtha rege demum fraude Bocchi ſoceri circumvento, Romaniſq; dedito. Bellum in Hiſpaniis, ac Luſitaniâ cumprimis, *Sertorianum*, in *decennium*; *(ff)*: cujus exitu Q. Sertorius, *Perpennæ* perfidiâ, periit. *Mithridaticum*, ſæpius interpolatum pace, fugîs, victoriîs, & cladibus alternîs; inſtauratum denique crebriùs *ſeptem* ac *viginti* tenuit annos. Præ cujus proinde diuturnitate magnitudinéque, meritò videri leviora debebant (quātumvis & ipſa, nec ſemper brevia, nec geſtu mollia), bellum *Siculum*, adversùs Syracuſas; bellum

lum *Liguſticum* multiplex; bellum *Creticum Dalmaticum*, *Illyricum*, *Cimbricum*, *Piraticum*, & aſſiduò reſumpta, bella *Gallicana*. leviora deni que breviorave, bella Servilia, Siculorum, bellúmque *Spartaci* gladiatorium: &, qui propter antiquitatem memorari loco primo poterat, *tumultus Herdonianus*. qui, cum *Sabinorum quatuor millibus*, annô, poſt Urbem conditam, ducenteſimô nonageſimô quartô, nocte concubiâ, Capitolium, *Appio* quodam *Herdoniô* ductore, perfregit; ac perfractum, fortiùs, quàm diuturniùs, inſedit: quandoquidem, quod bellum *nox* inchoavit, id inſecuta *dies*, interitu ducum utriuſque partis (*gg*), abſolvit.

IV. Sed, quanquam dura fuerunt hæc, & aſpera, ſeu, quę memoravimus, ſeu, quę prętermiſimus, Romanorum, cum hoſtibus *externis*, certamina: longè mihi tamen horridiora, certéq; luctu digniora, ſemper viſa ſunt *Inteſtina*, ſeu caſtrenſi *ferrô*, ſeu tribunitiô triumviralíque *furore*, patrata bella. Nam, ÆQUIORIBUS SEMPER OCULIS ASPICITUR, INFLICTUM AB HOSTE, QUAM A CIVE, VULNUS. Cruentarum porrò *Seditionum* pæne *primi* (*hh*) vexillum extulêre, duo *Gracchi*. Quorum parentes, *alter* quidem, *Sempro-*

nius

nius Gracchus, Hiſpanienſî Proconſulatu, magnîsq; geſtîs rebus, inclytus; *altera* verò, *Cornelia*, Majoris Africani filia, *Scipionum* progenie, propriâque tum eruditionis, tum pudicitiæ, laude clara (*ii*): generoſiſſimæ quidem indolis, & admirandæ facundiæ, poſt ſe *filios* reliquerunt; ſed, qui, popularis auræ ſtudiô longiùs abrepti, deſertîs *Optimatium* in Republ. partibus, factionibus ſeſe plebejis adjunxerint: *majore ſuâ pernicie, quàm plebis*, cui ſtudebant, *emolumentô*. Prior autem in *Ruinam* feſtinavit, inter fratres, qui prior annîs, *Tiberius*; quippe, *Tribunus* tunc *Plebis*, quando *Cajus*, frater ejus, adhuc juvenis admodum, ad *Numantiam* in caſtris erat: & favore præterea plebis, Appióque Conſularî, ſocerô, ſatìs ſibi firmitatis habiturus in cauſsâ viſus. Is igitur, & principiô ſtatim *Tribunatûs-plebis* (quem geſſit annô, poſt urbem conditam, ſexcenteſimô viceſimô) *leges* reſuſcitavit *agrarias*; utcunque, per aliquot retrorſum annos, refrixiſſe viſas: &, iis promulgatîs, *Triumviros, agris dividundis*, & in eos colonîs deducendîs, ſuis è penatibus eduxit, ac nominavit. *Seipſum* deinde (ne, magiſtratu finitô, dicere cauſſam cogeretur), *Tribunum plebis*, in annum etiam poſterum, reficere

 cona-

conatus eſt: collegæq; ſimul *Octavio*, turbu lentis ipſius conatibus obviàm eunti, magiſtra tum abrogans; legem inſuper minabatur *Se natui*, cujus rogatione, *Regis Attali*, cognomen to *Philopátoris* (ejus, qui Pergami regnârat) *pe cuniam*, quam is, eodem ipſo tempore mori ens, cum regno ſimùl, *populi Romani* propriam eſſe teſtamentô juſſerat, publicaturum ſe di xerat: agríque novi futuris poſſeſſoribus ſeſe diviſurum eam eſſe, denuntiârat. Sed eum, his intentum, & in area *Capitolii*, cum multitudi ne clientium, concionabundè palantem, ſéque populo patrandis iis, quæ profeſſus fuerat, venditantem; *Publ. Scipione Naſicâ*, Tiberii con ſobrinô, duce, Senatus, Optimates, Equeſter ordo, plebíſque pars, turbarum adhuc intacta, proturbârunt: pérq; præcipitem *Capitolii* gra duum deſcenſum, dum is cum ſuorum cœ tu per montis declivia fugam capit, aſſecuti; cumulô cadaverum objacētium præpeditum, impulerunt in lapſum. Ubi, non eum *Naſica* (quod quibuſdam perſuaſum fuit), ſed *Satu rejus*, Tiberii collegarum unus, ac *Lucius Rufus*, pede per tumultum diffracti ſedilis, in caput aliquot ictibus impactô, mactârunt: cúmq; ſe ditionis illius popularibus, ampliùs *trecentis*, unà

nà necatîs, in profluentem abjecerunt. Id factum eſt, *Lucretii* potiſſimùm *Ædilis* miniſteriô; cui ſordidus labor hic, VESPILLONIS poſtea cognomentum, dicacitate plebis, adjecit. (*kk*) Hic *Tiberii Gracchi* caſus, viri cæteroquin innocentiſſimi, nondúmque triginta plenos annos nati, *Gracchæam* familiam mœrore luctúque concuſſit; adeò quidem conſanguineas penetrante mentes, ut *Cornelia* mater, relictâ Româ (cujus urbis matronarum unicum tunc pudicitiæ fuerat, ac virtutum omnium, exemplar) *Miſenum*, Campaniæ littoralis oppidũ, mox ſeceſſerit. Neq; tamen abſteruit ea res *Cajum*; quò minùs, fraternis inſiſtens veſtigiis, eandem, poſt annos aliquot, (*ll*) agendi viam ingrederetur. Cùm enim eô *Lucius Aurelius Oreſtes*, Conſul, adversùm Sardos expeditione ſuſceptâ, Quæſtore fuiſſet vſus; & quidem, inprimis induſtriô, fortî, juſtóque, proptereáque, non provinciæ modò, ſed & exteris, ipſiq; Numidarum abſenti regi, *Micipſæ*, famâ virtutum, gratò: *Cajus*, illic non integri biennii morâ tractâ, Romam, contra voluntatem *Oreſtis*, & invitiſſimo *Senatu*, ſed approbante *populo*, reverſus eſt. Ibi mox, totius Italiæ frequentatus affluxu, ſuffragationéque

 popu-

popularî, contrà, quàm *Senatus* ac *nobilitas* vo luiſſent, adjutus; *Tribunatu plebis* eſt potitus, in annum, ab Urbe Conditâ, vigeſimum octavum ſupra ſexcenteſimum. In quo, cùm favore vulgi, propter *fratris*, adhuc inextinctam in plebe, memoriam, & præter hæc propriâ quadam, illorum temporum incomparabilis, eloquentiæ gloriâ, polleret; adjutore conatuum ſuorum vſus Marco *Fulvi*[illegible] *cô*, continuò legem tulit *frumentariam*, qualem ſuperioribus retrò tempeſtatibus nemo perduxerat ad effectum: ut *alimentum plebi menſtruum*, *viritim*, è *publico divideretur*. Cujus facti favore *C. Gracchus*, devinctâ ſibi plebe, conſuléq; *Flaccô* ſuffragia propellente, *refectus*, in annum etiam alterum, *tribunus plebis* eſt. Eo tempore, latis legibus, de viis muniendis, déque publicis exſtruendis horreîs, prætereáque, de coloniâ, deducendâ *Carthaginem* (quam *Cajus* urbem, à vigeſimo quarto poſt excidium annô, conatus eſt inſtaurare, colonorum ex Italia ſex millibus in eam deſcriptis): JUDICIA quoque, SENATORUM ANTEA PROPRIA, CUM EQUITIBUS ROMANIS, ut & hos ſibi faceret obſtrictos, COMMUNICAVIT; ad *trecentos Senatores*, aut totidem, aut (quod

epito-

epitoma Liviana ſexageſima perhibet) *alterò tantò pluribus*, (*m m*) viris ordinis *Equeſtris* adjectîs. *Carthaginis* verò *Ruinas* ipſe per ſe *Cajus* inſpecturus, cùm navigaſſet in *Africam*; ac, rebus omnibus, ad coloniæ deductionem, habitationémq;, ſollerter affectîs, Romam *ſeptuageſimô*, poſtquam abierat indè, *die* regreſſus eſſet: è nunciis, ſeu verîs, ſeu dolô ſubornatîs, diſcere coactus eſt; limites, à ſe Carthagini reficiendæ fixos, à *lupis* interea nocturnîs revulſos eſſe: ſtipitibus ablatis aliò, fœdéq; corrosîs. Credique tunc poterant, *manes* id feciſſe *Scipionis Africani minoris*; qui, Caji, Tiberiíque Gracchorum ſororis olim maritus, *Carthaginem*, à ſe fundamentorum tenus exciſam, vetuerat, aliquando reparari: ſolúmq; loci, Diis devotum, juſſerat, armentis eſſe compaſcuum; à frequentia verò mortalium incolatum incultum. Idem porrò (*C.* inquã, *Gracchus*) in *Tribunatu*, quem diximus, *altero*, poſteáque tertiô quoq;, non minùs apud *plebem* regnans; cùm *Luc. Opimium*, ſtudiis ſuis adverſantem, in petitione *Conſulatûs* impugnâſſet, eúmq; (pronoto ſuîs opibus, populíq; ſuffragiîs, *C. Fannio Strabone*, ceu partibus ſuis addicto), ſpe ſupremæ dignitatis dejeciſſet: ad conſilia, præteritîs

vecordiora, ſe convertit. Poſteaquam enim paullò pòſt, & *Fannium*, *obtentò jam Conſulatu beneficii ſui vidit immemorem*; & *(vt ab ingrati fieri vulgò ſolet) inimicorũ inſuper ſuorum partibu adjunctum*: quò viciſſim Gracchus, tam hunc quàm Senatum, novâ quapiam moleſtiâ tentaret, & ureret; tametſi *Livio Druſo*, collegâ tribunatûs, omni cum nobilitate conatibus ejus obnitente, legem tamen promulgavit, *de Latinis*, & *Italicis omnibus*, *civitate Romanâ donandis*; *déque coloniis*, non *Carthaginem* modò (quod hucuſque ſemper contenderat, nec tamen adhuc efficere valuerat) *ſed etiam Capuam*, *ac Tarentum*, *deducendis*. In iis autem illius conatibus, cum priùs & *Luc. Opimius* Conſulatum, invitô *Gracc ho*, ſtudiîs Patrum, adeptus eſſet; & *Gracchus* ipſe *Tribunatum plebis Quartum*, impetrâſſet quidem à populo, ſed invidiâ Patrum, fraudéq; Collegarum, non iniſſet: *antiquatæ* primùm ipſius *legum* pleræq; ſunt; protinúsq;, prævalentibus inimicorum ſtudiis & armis, oppreſſus eſt & ipſe Cajus: & *Fulvius Flaccus*, conſiliorum quondam *Caji* particeps. Ac *Flaccus* quidem, è *balneo*, quo ſe fugiens abſtruſerat, extractus, *Opimii Conſulis* auctoritate jugulatur; adjectâ *paternæ* cædi duo-

duorum quoq; *filiorum* immeritâ nece. *Cajus* autē,(quem domeſticas intrà latebras retinere fruſtra conata fuerat *uxor Licinia*; fruſtra quoque *Pomponius* amicus, eques Romanus, evolvere periculo necis conatus): mortem, quam inferre ſibimetipſi prohibitus à *Pomponio* fuerat, ab *Euphori, ſervi* comitiſq; ſui, manu, ſicut oraverat, invénit. Cujus *caput*, à corpore reſectum, & *auri* tantô pondere, quantô repertum eſſet ipſum, in ſtateram impoſitum, conſtitiſſe, relatum ad *Opimium*; ac molis ſuæ pretiô rèpenſum eſt: infixum haſtæ cuſpidi. *Corpus* autem Gracchi, ſeu projectum priùs in profluentem, unà cum *Flacci* cadavere, cæſorúmque cum iis *ampliùs trium millium Romanæ plebis*; ſeu ſtatim initiò redemptum ab amicis: *Miſenum* eſt tranſportatum, ad matrem *Corneliam*; matronam, ad hoc tantùm (utì videri poterat) natam, ac maritatam olim, & matrem effectam: ut ejus ſuperſtitis *inſontes lacrymæ*, patris, mariti, duorúmq; clariſſimorum liberûm, acerba ſibi funera proſequerentur; & cadavera *lavarent*. (*nn*) Incidit autem *Caji*, quem diximus, interitus, in *Opimii*, (qui mandârat eum), *Conſulatum*; adhuc durantem annô, poſt Urbem Conditam, ſexcenteſimô triceſimo ſecun-

dô: qui fuit ante *Chriſtum* natum Centeſimi ac vigeſimus. Ex quo tempore, ſemel iterúmque *civili cruore* cœptum urbis Romanæ ſolum imbui; vix unquam planè ſiccum eſſe dicit: ſed, deinceps quoque, ruentibus per præceps diſcordiîs urbanîs, aliiſque ſuper alios enatîs ſeditionum æſtibus, ad extremum & tota *ſtagna* ſanguine redundârunt; & *Roma* nunquam *Tiberi* magìs, quàm *ſuorum cædibus*, innatavit. Fons autem eluvionum harum, *Gracchorum* fuit, &, his addictæ, multitudinis, invidioſa ſuis auctoribus, *cædes*: viáque patefacta laxiſſima furiis alternis, hinc quidem *Optimatium*, indè verò *Popularium, factionum*; inter ſeſe *fori campiq.* certamina vertentium in *acies*, atque *caſtra, legionum*.

Proximum ergò fuit, ut *Opimium* populus, ceu *Gracchorum*, ac proinde *Libertatis* quoque, juratum *hoſtem*, & *Carnificem*, exagitarent: útque jam plebs, OPIMIANO (quod in proverbiis erat), NON VINO (*oo*) MAGIS EBRIA, QUAM ODIO, per omnes in eum circulos, & convivia, baccharetur. Nec id ſine ſucceſſu: quippe, Q. Decio, *Tribunô plebis*, ei, proximô ſtatim pòſt annô, quàm Opimius *Conſulatu* defunctus eſſet, diem, ob violentiam,

& ob

& ob privatas in *Ca. Graccbum* exercitas inimicitias, dicente; plebéque, poſt hęc, eundem, captarum à *Jugurtha* Rege pecuniarum poſtulatum, (*pp*) judiciô publicô condemnante. Cujus criminis in infamiâ, fruſtra *Ca. Papyrio Carbone*, cæterîſque *patriciis*, cauſſam ejus, rerúmq; geſtarum invidiam, ſublevare conantibus, ingloriè conſenuit: cùm *populus* interim *Gracchis*, velut in *populari cauſſa* cæſis, ſimulacra collocaret; frugúmq; primitias illuc, ubi ceciderant, allatis, eorum honoribus haud ſecus, ac *Semideorum*, rem divinam quotidie facere, non dubitaret. Ne verò deeſſet, qui *plebis* poſthac vindictam in *patricios* haud clementiùs exerceret, quàm *Opimius*, & *Optimates*, interfectîs *Gracchîs*, ac *Fulviô* nuper, in *plebem* exercuiſſent; trienniô, poſt *Caji* cædem, adeóque, poſt Conditam urbem, anno ſexcenteſimo triceſimo quarto, tanquam acerrimus ex eorum oſſibus excitatus ultor, *Ca. Marius*, M. Tullii *Ciceronis* gentilis, ac propinquus, poſt frequentem annorum aliquot repulſam, in *Tribunatum* denique *plebis*, favore *Cæcilii Metelli* Conſulis, intruſus: ſtatim, & quàm memor eſſet beneficiorum, & quanti faceret nobilitatem, *Arpinas* ipſe *municeps*, obſcurôq; locô na-

tus, oſtendit; quando, *Curiam* irrumpens, *Conſulum duorum*, legi cuidam ſuæ refragantium *alteri* (qui *Luc. Aurelius Cotta* fuit), ni legem ratam haberet, carcerē eſt minatus, altiori magiſtratui magiſtratus inferior: *alterum* autē, (qui *Metellus* erat), collegæ ſui judicium comprobantem, accerſitô lictore, duci juſſit, *cliens patronum*. nam in clientela *Metellorum*, Mariana fuerat, jam ex antiquo, familia. Talíque *Marius* impudentiâ, cui nemo collegarum interceſſit, initiatô *Tribunatu*; victor *nobilitatis*, & pertulit, quam rogârat, legem: & cæteros, ſui generis ordiníſque docuit; NULLUM, ADVERSUS NOBILITATIS POTENTIAM, FIRMIUS ESSE SCUTUM, QUAM, EJUS IMPERTERRITUM CONTEMPTUM. Itaque didicerunt, ejus exemplô, jam tum, *homines novi* ſpiritus altiſſimos, adversùm *Patres*, & ipſos adeò *curules magiſtratus*, gerere. quorum è numero *Marc.* etiam *Æmilius Scaurus*, patre genitus, cujus opes, tabernæ carbonariæ quæſtu creverant; poſteaquam (percursîs celeriter, facundiæ mirandæ ſuffragiô, cæterîs inferiorum ordinum honoribus) *Conſulatum* eſt adeptus: *Publium Decium*, Præturâ tunc fungentem, ſibi tamen præter-

tereunti non aſſurgentem, aſſurgere coëgit: ſurgentis aſtantiſque, prætextam diſcidit; quiritantis, ſedile comminuit; provocanti, Juriſdictionem ademit; populúmq; Romanum ejus aditu, poteſtatis Conſularis edictô, prohibuit (*qq*). Quanti fuiſſe *ſpiritûs* hunc *faſtum*, credamus; è *follibus* tamen adeò *plebejis*, ac *fuliginoſis*, exortũ? Sed Æmilii tamen infandam arrogantiam multîs poſt ſe partibus à tergo reliquit *C. Marii* mox, in dies *inflatior*, animi tumor, & audacia: quâ, *Q. Cæcilium Metellum*, ſub quo contra *Jugurtham* ipſe militabat in *Africa*, per ſceleſtiſſimum mendacium calumniatus, cunctámque, ſuîs ac *tribunorum-plebis* concionibus, *nobilitatẽ* in populi ſævum odium adducens; *Conſulatum* tandem adeptus eſt, añô, poſt Urbem Conditam, ſexcẽteſimo quadrageſimô ſextô: tantâ, melioris apud notæ viros, ambitionis infamiâ, quantã nec *Criſpus Salluſtius*, in *Jugurtha* ſuo, ſatìs aſſequi verbis potuit; neque municeps, & cognatus ejus, *Cicero*, ſuis in documentis *Officiorum* diſſimulare. Quo loco, poſterior hic, *negat*; *Eum boni viri functum officiô fuiſſe* (*rr*). Quam ego quidem *cenſurã*, à maximi judicii, dignitatiſq; ſumæ, viro profectam, quávis inuſtæ compunctæque frontis inſcriptione

ptione probroſiorem,duco. Quamvis autẽ bellum Numidicum *Marius*, velut exauctorã tô (licèt pænè jam victore) *Q. Metellò*, cũ Conſulatu, ſtatim ſuſceperit; *Africámque*, cẽ *Provinciam*, ſibi decretam, ingreſſus ſit *acriter* & cum nominis *imperatorii* meritìs tantîs, u negotium illud, inprimis arduũ, *celeriùs bienni* confecerit, in poteſtatem redactô *Jugurthâ*: ſi verè tamen rem totam æſtimaverimus; *patrati* tanti *belli* gloriam penès *Luc. Cornel: Syllam* potiùs, *quæſtorem* ejus, quàm *Marium*, reſidere debuiſſe, judicabimus. Quod enim *manu ferróq;* non potuit unquam *Marius*; *id conſiliò, diligẽtiâ,* facundiáq; ſuâ, nec non vitæ multiplicî periculô, *Sylla* confecit: ut à *Bocchò*, Mauritaniæ rege (diu dubitante, *Syllámne Jugurthæ, genero ſuo, proderet? an, Jugurtham Syllæ?*) ſibi tandem *rex Numida* vinctus daretur in manus. Idque, patrati tam difficilis & annoſi negotii, decus, ſibi potiſſimùm deberi, non diſſimulavit *Sylla*: cùm in annuli ſui gemma ſculpendum *Bocchum* eâ ſpecie, curavit, & habitu; quo fuerat, quando rex ille *Jugurtham* ſibi, captivum, tradebat: eóque, nec alio *ſigillo*, reliquam omnem deinceps in vitam, eſt uſus; frendente licèt, ac jam tum belli, (quod pòſt inter utrum-

que

que geſtum eſt) ſcintillas in animo concipiente, *Mario:* quem *invidiæ* fax, quantò tectior, tantò Syllanæ gloriæ quotidianis acceſſionibus valentior, inflammabat. Syllâ nihiloſecius contemptô; *Marius*, Anni, poſt Urbem Conditã, ſexcenteſimi quadrageſimi noni *Kalendis Januariis*, ex *Jugurtha* victô, *triumphavit* (ut Salluſtius ait) *magnâ cum gloria*. Ductus ante currum in catenis *Jugurtha*, cum filiis duobus: eóque peractô ſpectaculô, detruſus in profundiſſimum carcerem, tunicâ diſpoliatus, &, auriculâ quoque, ſimul cum inaure, revulſâ, lacer, nudus, inópſque, conſtitutus; poſt diem ſextum, quàm eò conjectus fuerat, fame jam antè pluſquam ſemienectus, imperiô *Marii*, ſtrangulatur. (55) Ità ſanguine Regis barbari *Marius*, & *triumphalem* ſuam *veſtem*, & *prætextam* ſecundi ſui *Conſulatûs*, quem tunc inibat, imbuit: inundaturus, aliquantò pôſt, & *Romam* ipſam cruore *patriciæ* ſtragis. Qui ſanè, favore *plebis*, odiôque *nobilitatis*, quo ſibi *plebem* tenebat adſtrictam, *aſſecutus, quidquid Ambitio cupienti dictâſſet*; etiam in *quatuor* proximè ſubſecutos *annos*, adeóque *Sextùm* Conſul, ſuo nomine, quondam obſcuriſſimô, *Faſtos* inſigniebat: ſemper *Primus*, conſenſu ſuffragio-

giorum, renuntiatus. Et horum quidem *Co[n]ſulatuum*, otioſus ei nullus præteriit. In *Te[r]tio* namque, bello, quod adversùm *Cimbros* a[c] *Teútones* gerendum inſtabat, *Marius* ſeſe com[-]parabat. At in *Quarto* quidẽ, adversùs *Teútone[s]* ſeparatim profectus; ejus expeditionis comi[-]tem habuit, adductam è *Syria* ſibi, fatidicam quampiam mulierem, nomine Judaicô MAR[-]THAM appellatam: quæ, fanaticîs oraculo[-]rum ſuorum reſponſis, & imperatorem, & pugnarum occaſiones, ac tempora, regere fe[-]rebatur. Tunc igitur illius gentis barbarorum, ad *Aquas Sextias*, (Maſſiliæ Gallicanæ vicinam urbem), prælio geminô, tantam contrucida[-]vit multitudinem (*tt*): ut eorum poſthæc *oſ[-]ſibus* Maſſilienſes *vineas* ſuas, longè latéq; ſpar[-]ſas, pro maceriis, tanquam ſaxîs ac ruderibus, circumcinxerint. *Conſulatû* verò *Quinto*, C. *Ma[-]rius*, Cimbros, etiam cis Alpes, in *campis Rau[-]denſibus*, aſſecutus; &, cum *Q. Luctatio Catulo*, ſuperioris anni Conſulatûs collegâ, beneficiô pulverulentæ nebulæ, quæ conſpectũ Roma[-]norum barbaris eripiebat, eos aggreſſus: præter *Teutonum*, eis immiſtorum, partem occiſã, (*uu*) *Cimbrorum centum quadraginta millia cæſa*, *ſexa[-]gintáque millia capta*, laureatis in litteris, Sena[-]tui

lem qui miſsis, recenſuit. In quo conflictu, licèt, ad ſummam victoriæ, major *Q. Catuli Proconſulis*, ſeu fortuna, ſeu virtus, enituerit, quàm *Ca. Marii:* populi tamen in hunc, quàm in illum, propenſioribus ſemper ſtudiîs, áccidit; uti, non in *Triumpho* ſolùm, quem è ſuperatis Cimbris egit unà cum *Catulo Marius*, priores ei partes deferrentur: ſed etiam, ut adulantium vulgò vocibus, *Romulus*, urbis *primus conditor*; *alter* verò, Luc. Furius *Camillus*, ejus à Gallis *Recuperator*; *Tertius* autem, ejuſdem *Vrbis Auctor*, Marius, ob cohibitos à Roma Cimbros, proclamaretur: in conviviis autem, ut primò *DIs*, deinde *Ca. Mario*, ceu DIs proximo, *libaretur*.

Secutus eſt, inſequente mox annô, *Conſulatus* Marii *ſextus*; ab eo, grandis, in omnes populi Tribus, pecuniæ largitione pronuntiatâ, per importunam ac ſceleſtam *ambitionem* extortus: *nequod videlicet unquam ei tempus, exſors Imperii, ſummique magiſtratûs, decurreret.* Quo tempore, *Marius, crudelitatis* ſuæ, cujus, *in exteris*, ſeges ei deeſſe cœperat, adversùs *patriam* poſthac diſtringendæ, *ſemina*, radicéſque, tectâ nequitiâ ſpargere, per ſuorum conſiliorum conſcios, eſt aggreſſus: quando primùm, per addictum ſibi *Tribunum plebis*, Luc. *Appulejum*

giorum, renuntiatus. Et horum quidem *Conſulatuum*, otioſus ei nullus præteriit. In *Tertio* namque, bello, quod adversùm *Cimbros* ac *Teútones* gerendum inſtabat, *Marius* ſeſe comparabat. At in *Quarto* quidē, adversùs *Teútones* ſeparatim profectus; ejus expeditionis comitem habuit, adductam è *Syria* ſibi, fatidicam quampiam mulierem, nomine Judaicô MARTHAM appellatam: quæ, fanaticîs oraculorum ſuorum reſponſis, & imperatorem, & pugnarum occaſiones, ac tempora, regere ferebatur. Tunc igitur illius gentis barbarorum, ad *Aquas Sextias*, (Maſſiliæ Gallicanæ vicinam urbem), prælio geminô, tantam contrucidavit multitudinem (*tt*): ut eorum poſthæc *oſſibus* Maſſilienſes *vineas* ſuas, longè latéq; ſparſas, pro maceriis, tanquam ſaxîs ac ruderibus, circumcinxerint. *Conſulatû* verò *Quinto*, C. *Marius*, Cimbros, etiam cis Alpes, in *campis Raudenſibus*, aſſecutus; &, cum *Q. Luctatio Catulo*, ſuperioris anni Conſulatûs collegâ, beneficiô pulverulentæ nebulæ, quæ conſpectū Romanorum barbaris eripiebat, eos aggreſſus: præter *Teutonum*, eis immiſtorum, partem occisā, (*uu*) *Cimbrorum centum quadraginta millia cæſa, ſexagintáque millia capta*, laureatis in litteris, Senatui

tuì miſsîs, recenſuit. In quo conflictu, licèt, ad ſummam victoriæ, major *Q. Catuli Proconſulis*, ſeu fortuna, ſeu virtus, enituerit, quàm *Ca. Marii*: populi tamen in hunc, quàm in illum, propenſioribus ſemper ſtudiîs, áccidit; utì, non in *Triumpho* ſolùm, quem è ſuperatis Cimbris egit unà cum *Catulo Marius*, priores ei partes deferrentur: ſed etiam, ut adulantium vulgò vocibus, *Romulus*, urbis *primus conditor*; *alter* verò, Luc. Furius *Camillus*, ejus à Gallis *Recuperator*; *Tertius* autem, ejuſdem *Vrbis Auctor*, Marius, ob cohibitos à Roma Cimbros, proclamaretur: in conviviis autem, ut primò *DIs*, deinde *Ca. Mario*, ceu DIs proximo, *libaretur*.

Secutus eſt, inſequente mox annô, *Conſulatus* Marii *ſextus*; ab eo, grandis, in omnes populi Tribus, pecuniæ largitione pronuntiatâ, per importunam ac ſceleſtam *ambitionem* extortus: *nequod videlicet unquam ei tempus, expers Imperii, ſummique magiſtratûs, decurreret.* Quo tempore, *Marius*, *crudelitatis* ſuæ, cujus, *exteris*, ſeges ei deeſſe cœperat, adversùs *patriam* poſthac diſtringendæ, *ſemina*, radicéſque, tâ nequitiâ ſpargere, per ſuorum conſilion conſcios, eſt aggreſſus: quando primùm, addictum ſibi *Tribunum plebis*, Luc. *Appulejum*

lejum Saturninum, nefarium hominem, ac ſicarium; per *Glauciam* item, Prætorem (turbulentum etiam ipſum, ac proximâ cenſurâ, cum *Saturnino* pariter, *à malitia ſtudiorum* notatum) turbare rempublicam eſt auſus: *legis agrariæ*, *quam Patribus* & *Optimo* cuiq; ſemper inviſiſſimam eſſe ſciret, movendæ conſilium & auctoritatem eis clam ſuggerendo. Cujus promulgatione *legis*, omnia rurſus humana divináq; permiſta ſunt; flagitante plebe *diviſionem agri Gallicani*; quem (ut ajebant) *Marius Conſul*, deletîs illic hoſtibus, *populi Romani proprium* feciſſet. *Quaſi verò, Siquis è domo tua latronem ejiciat, aut prædonem; eo nomine, continuò tua tibi domus abjudicata, tranſeat in jus ac poſſeſſionem ejicientis, aut propinquorum ejus?*

Tali juris ergo (ſi tamen *Iuris*, & non, *Iniquitatis*) viâ, *Saturninus*, & *Glaucia*, contendebant; quam *terræ ſubalpinæ* partem, ante *Cimbros ac Teutonas* illuc delatos, incoluiſſent *Raudenſium camporum* incolæ, finitimíque tractûs cultores, eam, eraſîs indè barbarîs, factam eſſe ditionis populi Romani. Deinde, non contentus hac improbitate, *Marius*, ne *parùm malus Conſul* eſſet, ſuggeſſit iiſdem: ut *Q. Cæcilium Metellum*, cognomentô *Numidicum*, quem ipſe ſuîs

ſuis (uti ſuprà dixi) criminationibus, à *Iugurthino*, pæne jam confectô, bellô, ſucceſſor violentus, depulerat; quibuſcunque poſſent modis, ac machinis, à Republ. quàm primùm amoverent: cauſſatus, *Id eos bono publico facturos; ne per Metellum præſentem lex poſſet Agraria poſthac turbari.* Cæterùm, in hoc *Marius* reipſa, non tam *legi*, tribuniſve, legis auctoribus, quàm *ſuo commodo*, pravæq; mentis ſtudio, conſultum ibat: quippe, *Metelli* perpetuus jam olim, obtrectator, & inimicus; ſimúlque, quoad Romæ *Metellus*, & in Curia, verſaretur, inſtitutis ſuis eum, ſicuti meritus eſſet, obſtiturum eſſe, conjectans. Et *Saturninus* quidem (utpote, privatim quoque *Metellum* exoſus, ex quo tempore, *Cenſuram* is gerens, mores ejus perſtrinxerat) rem continuò confectam dedit. *Fert* legem *Agrariam*; ac, per vim, *perfert*. Vult inſuper; in eam, populô coràm, jurari. Jurant omnes, &, ante cæteros omnes, ipſe *Marius*. Solus id recuſat *Q. Metellus*; & in eo perſtat. Abit foro. Fertur à Saturnino ſtatim *nova lex*; ut *Metellus* in exilium ejiciatur. Ejicitur ergo. Lætantur *Marius*, *Glaucia*, *Saturninus*, ſucceſſu; ſed gaudiô, non ſanè diuturnô. Cùm enim, Italiâ vixdum egreſsô *Metello*, Comitiis

Conſularibus proximîs, ejuſdem illius anni, *Memmium*, Conſulatûs candidatum, virum, gravitate morum ſpectatum, *Glaucia*, competitor illius, &, adjutor Glauciæ, *Saturninus*, percuſſoribus immiſsîs, in medio multitudinis interfeciſſent; illíque poſtridie, metu ſupplicii, commeritæque mortis, ad quam eos populi concurſus depoſcebat, unà cum *Caj. Saufeio*, quæſtore, *Capitolium* occupâſſent armati: coactus *Marius* à Senatu (qui ſtatim eos hoſtes judicavit) agere ſeveriùs, & in eos, à *Capitolio* denique deductos, ultimi ſupplicii minas, ac denuntiationem, diſtringere; fecit id quidem: multùm tamen invitus; ac ſenſus ſuos, ne cõſiliorum tam improborum etiam ad ipſum pars aliqua pertinere videretur, ſubdolè recondens. Itaq; *triſtis* eos, velut in *poſterum* (uti præ ſe ferebat) *diem* pœnas daturos, in *curiam*, tanquam *cuſtodiam honorariam*, incluſit: *nocte* proximâ (quod nemo dubitabat, &, quod nocentes illi de *Mario* ſibi pollicebantur) ſic eos emiſſurus; tanquam illi, cuſtodibus eluſîs, inſciente ſe, ſtomachantéque, per excubiarum incuriam aufugiſſent. Quæ *Marii* doloſa mens cùm ne *populum* quidem fefelliſſet; concurſu factô, conſcensóq;, ſcalîs applicitîs, *Curiæ* tectô, tam-

tamdiu, revulsîs indè tegulis, & in incluſos deorſum conjectîs, Romani cives ſævierunt: donec, aſſiduîs tegularum dejectibus exanimati, *Saturninus*, ac ſocii, *Memmio*, per ipſos necato, *Metelloq;* relegato, pœnas exſolvêre. Trucidati verò ſunt, eodem concitatę multitudinis turbine, *Cn.* quoque *Dolabella*, Saturnini frater, ac *Luc. Geganius*, cum eo per olitorium forum profugiens: dum populus, partim in urbe furibundus diſcurrit; partim autem, in opprimendis ſeditioſis (licèt non minùs ipſe tunc ſeditionis aſperſus labe) curiæ tectum convelt. *Metellus* autem, anno mox inſequente, multùm quamvis obnitentibus *C. Mario*, Mariq; ſtimulîs incitatô, *P. Furio*, *Tribunò plebis*, ummâ Patrum, ac Plebis, voluntate, legéq; tâ, ſic eſt in patriam revocatus; ut *Furium*, gi, plebiſque ſcito, pertinaciter reluctantem, pulus, in eum furore pércitus, unanimi ncurſu manúq; diſcerpſerit: tam inſuetâ oq; gloria reductus eſt; ut ad portam ei rednti gratulantibus prima dies non ſuffecerit: multitudinem omnis ordinis, ac ſexûs morum; virum tantum omni genere plauſuum ipere geſtientium. quem *diem* invidus, ac eſtabilis, *Marius*, (unicus omnis *Metellæ* ca-

lamitatis, & ignominiæ, ſemper auctor) ne videret; in *Aſiam* priùs, per cauſſam, neſcio, cujus exſolvendi voti, vela fecit: rediturus, ut primùm *Roma*, quæ jam tum machinationibus ejus occultîs cruentari cœperat, publicam in *ſtragem*, furore Marianô præmeditatam, *ematureſceret*; ac *falci* demeſſuræ parata ſtaret.

V. Tantiſper ergo reſpirare ſibi, *Marii* diſceſſu, Roma, ſaltem patricia, videri poterat: ſi vel *domì* diuturnum id ei *tribunitiorum motuum* contingere *ſilentium*; vel *Marius*, (homo, natus ad ferenda mala) conquieſcere *forìs*, potuiſſet. Sed, *ſexenniô* vix interpoſitô, *Publ. Rutilius. Rufus*, integritatis & abſtinentiæ Romanæ, ſiqua fuit unquam in ullo, documentum ac ſpecimen unicum; judiciô crimineque falsô *repetundarum* inſons damnatus, in exilium pellitur. quod is *Smyrnæ*, litterarum immerſus ſtudiis, in ultimam uſque ſenectutem, animo magnô toleravit. Cauſſa vera damnationis illi fuit, quæ SEMPER AB IMPROBIS EXAGITABITUR; DIVERSITAS MORUM, ET INNOCENTIA: quòdque, *Q. Mutio Scævolæ*, Proconſuli, legatus comeſque datus in Aſiam, provinciales homines à publicanorum, (equeſtris ordinis virorũ), improbitatibus & in-

& injuriis, æquitate ſuâ vindicârat, ac tutatus eſſet. Quo proinde factũ eſt; utì ſceleris illius, cujus erant ipſimet PUBLICANI, PROVINCIARUM OMNIUM, EX PROFESSO, LATRONES, AC FURES) rei convictíque, virum, unum omnium tunc juſtiſſimum, condemnarent Romæ, ſuffragiis infeſtis, *Iudices*: qui tum, è *C. Gracchi, tribuni-plebis*, factioſis inſtitutis, *ex Equitibus omnes*, hoc eſt, è *publicanorum contribulibus*, in Reum ſedebant. Cui Romanorum tribunalium iniquitati, novis rerum motibus, ulciſcendæ; *Numinis*, ſinè dubio, *providentî Iuſtitiâ*, bienniô vix interjectô, *bellum* eſt exortum, totius propemodum *Italici nominis*: quod iccirco *Sociale* quoq; dictum eſt. Illius belli cauſſa fuit ea: quòd, non *Latini* ſoli, ſed ceteri quoque, Romanorum per Italiam *ſocii populi*, tribunorum plebis jam olim (*xx*) impulſu, *Fulvii*q; *Flacci* (tunc Conſulis) auctoritate, moti; *civitatem* omnes ex æquo *flagitâſſent*: nec adhuc tamen impetrare valuiſſent. Quod ergo *precando* non extorſerant; id jam minis & *armis* urgebant: ne, ſicut *fretum* aliquod, unquam ſinè *procellis*, *fluctibúsq;* rerum, è *Roma* poſſet.

At in *Aſia* (quò ſe *Marius*, utì dictum eſt,

contulerat) inquietiores longè, turbulentioréſque, Romanis exortæ tempeſtates; univerſum pæne, *bellô Mithridatico* ſuſcitatô, concuſsêre terrarum ambitum: & in diuturno tenuerunt *armorum regno.*

Primus autem quodammodo (quod dicere non verebor), claſſici tam exitialis incẽtor, idẽ ipſe, qui ſemper & ubique BELLORUM FAX deprehenſus eſt, CAJUS fuit MARIUS. Qui, ſimulac *Mithridatis*, *Pontici regis*, in conſpectum venit; ipſe quidem, qui, (præter cruorem in baltheo, Juliámque, C. Cęſaris ámitã, in matrimonio), ſplendidum & illuſtre nihil haberet, ſalutatus, & exceptus à rege fuerat, honoribus quæſitiſſimîs. Ille verò, voce ſuperciliôque, quod nec regulorum quiſpiam, aut tetrarcharum, æquîs oculis aut auribus accepiſſet, *Regem*, *univerſæ tunc Aſiæ Septentrionisq̃, longè potentiſſimum*, *séque ſalutantem*, aliter non reſalutavit; quàm: AUT FORTIOR ROMANIS ESTO, REX; AUT EORUM, IN OMNIBUS, IMPERATA FAC! (*yy*). Quibus *Marii* tam imperioſis verbis, jam tum (nec immeritò) *Rex* offenſus, diſtulit tamen ſuum, in arma, quoad potuit, impetum; ne prorumperet ante tempus, ac priùs

ſcilicet,

ſcilicet, quàm exactè ſingula diſpecta, pro rerum neceſſitudine, preparâſſet. Prorupit autem in arma, *decennio pòſt*; intolerabilibus *Romanorum Ducum*, & quidem per eos *accerſitis* (zz), omníque ſtudiô quæſitîs, injuriîs ſubactus: cùm nempe *Luc. Caſſius*, *Marcus Manius Aquilius*, & *Q. Oppius*, in Aſia tunc cum copiis agentes, ac belli novi prædarúmq; materiam quærentes; haud ignarô conſiliorum talium *Cajo Mario*, Bithyniæ regem *Nicomédem* (invalidum alioquin, & prorſus invitum) ſub celeris auxilii promiſsîs, ac pactîs, incitarent, ad *Mithridatici regni* vicinum ſibi tractum incurſionibus, ac deprædatione, vexandum. Cúmq;, poſt hoc, à ducibus Romanis *Mithridatis* mitia pacificáq; poſtulata ſpernerentur, quibus rex orabat; *ne Nicomedis, adversùs ſe, cauſſam ſuſciperent ac tuerentur; néve ſe bello, niſi totâ lite priùs apud Senatum Populúmq; Romanum utrimque diſceptatâ, peterent*: componi tamen cauſſa nullo modo potuit: ſed, illîs utrumq; poſtulatorum ejuſmodi, per contemptum, repudiantibus; ad arma continuò factus gradus eſt. Erant autem *Mithridati* ſub ſignis, eo tempore, *ducenta quinquaginta millia peditum*; *equeſtris militia, quadraginta millia*; *claſſis navium Ponticarum*, par-

tim *conſtratarum*, partim *biremium* alius generis, *quadringentarum*; *falcatiq; currus centum*, ac *triginta*. Quibus, aliiſque talibus, armatæ-militiæ præſidiis inſtructus *rex*, tametſi præventus à Nicomede, ducibúſque Romanis, *Oppio*, *Caſſio*, *Manio* (cùm adhuc in itinere *Pontica phalanx* eſſet): non dubitavit tamen, conſerere manus. eóque prælio, licèt aliquouſque primùm variante Martis fortunâ, *falcatorum* tamen denique *curruum impetu*, cum ingenti pernicie Romani militis irrumpentium, victor *Mithridates*; ac, potitus adverſariorum caſtrîs, omni refertîs opulentiâ Bithynicâ Romanâque: ductores hoſtilis exercitûs profligavit, alium aliò fugâ dilapſum: captivorum ingentem numerum, paullò pòſt ultrò, viaticô ſimùl ac libertate donatum, dimiſit: *Bithyniam*, *Phrygiam*, cæteráſque Romanæ poteſtatis in *Aſia Minore* terras, occupavit: *Q. Oppium*, à Laodicenis ſibi deditum, ſinè vinculis ſecum, præſidiôq; duntaxat ei circumpoſitô, quaquaverſum copias duceret, unà traxit, & oſtentavit. Paullatim autem *clementiæ, cujus opinioni colligendæ ſollicitudinem in principiis intẽderat*, curâ depoſitâ; *Marcum Manium* (quem diximus) *Aquilium*, virum Conſularem, ac belli tanti facilè primum & acer-

acerrimum auctorem, in fuga, quâ *Rhodum* is petebat, interceptum, vinxit: &, impoſitum aſino, paſsímq; circumductum, proclamare (Populi quondam Romani *Conſulem*, ac Principem,) coëgit; *Se Manium eſſe, qui furore* (A a a) *ſuo bellum incenderit Aſiaticum.* In hujus autem vel interfecti, vel adhuc ſpirantis, diductum os, aurô liquefactô tandem infusô; rapinis ejus Aſiaticis, judiciiſque, pretiô venditis, inſultavit. Non autem contentus hac, in *duces* hoſtium: ſeveritate, *rex: annô*, qui belli Mithridatici *Secundus* fuit, & à Roma Condita Sexcenteſimus ſexageſimus Quintus; tanquam Romanis, ob plus nimiô turgentes eorum ſpiritus, ac venas, ſanguinem è corpore miſſurus, ad regni ſui prætores univerſos, urbiúmque Græcarum in Aſia magiſtratus, datîs arcanîs epiſtolîs, imperavit iis: ut, ſub *unum* eundémq; *diem*, (qui futurus eſſet à datis litteris *triceſimus*) omnes ubique, non *Romani* modò, ſed *Italici nominis univerſi* mortales, nullô vel ſexûs, vel ætatis, aut conditionis, diſcrimine, trucidarentur. Itaque dies unicus, Romanorum civium, intermixtîs uxoribus, liberîs, hoſpitibus, ac negotiatoribus, abſumpſit *millia centum quinquaginta*; barbaricæ feritatis, adversùm pleroſque, tale

F 5 nihil

nihil promeritos,invidioſô,deteſtabilíque,theatrô: nec tamen è Rutilii, Româ pulſi, conſiliis, ut calumniatus poſtea Græculus quidam Scriptor eſt; ſed è macellô,Mithridatis ab immanitate domeſticâ dictatô.

Sub idem ipſum tamen tempus (nequis dubitare poſſet, *in urbis Romanæ ſcelerum pœnam, omnia conſpirare conſilia*) non multò mitiùs ipſa ſecum agere *Roma* cœpit: *bellis*, quæ *compluria* deinceps inſecuta ſunt,*Civilibus* inchoatîs. tanquam verò *foris* otium ab armis eſſet! Id accidit, eô rerum, quem breviſſimè percurram, ordine.

Lucius Cornelius Sylla, quem, *bello Jugurthinô C.Marii quæſtorē*,ex Africa revertiſſe, non abſq; magnâ, propter traditum ſibi Jugurtham regē à Boccho, gloriâ, ſuperiùs dixi; *Conſul* in hunc ipſum factus annum, quo *Mithridates* Romanum omne nomen extinctum in *Aſia* voluit: ſui *Conſulatûs* ingreſſum, ſenſit, & *Cæleſtibus*,& mortalium quorundam ſtudiis adverſis,diſplicuiſſe. Nam & ſereniſſimô lucis meridie, tubæ repentè clangor eſt auditus, conciſi lugubrisq; ſonitûs; quem, Italorum omnium vehementiſſimè conſternatîs animîs, *cæliſpices Hetruſci* interpretati ſunt, mutationem portendere

re *Reipublicæ*, ſtatûsq; terrarum orbis *(bbb)*. Deinde, cùm *Syllæ*, per nullam, neque *Conſulatûs* ambitionem, neque *provinciæ*, magiſtratus quidem ille, ſummâ populi Romani voluntate ſuffragationéq;, mandatus eſſet; *Provincia* verò, *bellúmque*, cum *Mitbridate* gerendum, ei beneficiô *Sortis* obveniſſet: res tamen ea turbari cœpit malitiâ *Caji Marii*; qui, tantiſper ex Aſia redux, imperii militaris, adversùs *Mithridatem*, tametſi ſeptuaginta jam natus annos, incredibili cupiditate flagrabat. Hujus inſtinctu, *Publius Sulpitius*, extremæ, quod Plutarchus n Mario tradit, audaciȩ *Tribunus-plebis* (ne non omnia civitatis Romanæ mala *tribunis* his ſeſe deberent), *ambitionis Marianæ ſatelles*, legem rogabat: qua *Lucio Cornellio Syllæ* Quirites, volentes, nolentes, imperium *belli contra Mithridaten* abrogare; *Cajo* verò *Mario* bellum *Aſiaticum* univerſum, cumprimíſq; *Ponticum*, decernere jubebantur. Addebat huic legi *Sulpitius* leges alias, unicè perniciofas: &, ut vir erat acer, ac ſuadendo diſertus, creberrimîs concionibus eò rem adduxerat; ut ei frequens tandem populus acclamaret; *Vtì Rogas!* Cùm autem his rebus, ceu novis & inſolitis, *privatim* collocutus eſſet *Q. Pompeji Rufi*, qui *Syllæ* tunc erat

erat in Conſulatu collega, filius, quíque *Syllæ filiam* habebat in matrimonio; *Sulpitius* ei factionis ſuæ percuſſorem immiſit: &, juſta quamvis, æquitatiſque plena, locutum, interfecit. Quod quidem efficere, non ſollemne magìs, quàm facile, Sulpitio fuit: quippe, ſexcentos ſemper equeſtris ordinis circùm ſe ſatellites, in omne ſceleris imperium, habenti; quos, in odium Patrum ac Patriciorum, ipſe, vocabulô novatô, CONTRA-SENATUM appellabat. Aberat eo tempore, quo gerebantur hæc, Româ *Conſul Sylla*: quippe, qui, cum exercitu paludatus egreſſus urbe, circà *Nolam*, (Campanorum oppidum), hæreret; utpote, *belli ſocialis*, quod alibi ſatìs extinctum jam erat, etiam tum reliquias cum pertinacia retinentem. Is, annos tunc natus quadraginta novem, ac ſcilicet, in flore conſtitutus militaris ardoris; cognitîs *Sulpitii, Mariique*, pravîs adverſùm ſe conatibus, compoſitiſq; raptim ad *Nolam* rebus: cum *triginta legionariorum millibus*, & *quinque millibus equitum*, Romam advolat. Ibi *Marium*, adverſùm ſe portîs, cum ſuę factionis copiîs, effuſum, intrepidus adóritur: *cruentóq;* ſuperatum pręliô, pellit: ac *Civilis belli*, poſt Romam conditam antehac inauditi,

furo-

furores initiat. Urbem deinde victor ingreſſus, *Sulpitianas* leges antiquat: C. *Marium*, P. *Sulpitium*, alióſque complures, qui ſe *popularium* partium, adverſùs *Optimates*, ferebant, lege contrà latâ, non urbe tantùm, & Italiâ, declarat extorres; ſed inſuper (quod initium *novæ*, nec *Romæ* priùs uſitatæ, *crudelitatis* fuit) *proſcribit*, iis legibus: *ut*, *eorum publicatis facultatibus*, *cuivis præterea fas & æquum eſſet*, *proſcriptos trucidare*. Cujus atrocitatis continuò *Syllanis* ab equitibus editum ſpecimen eſt; dum, *Laurentinis* in *paludibus* deliteſcentem, *Publ. Sulpitium* nacti, trucidant: capútq; jugulati, præfixum haſtæ, pro roſtris, ad ſpectaculum, adverſæq; factionis dolorem, defigunt. *Ca. Marius* autem, qui cum Mario Juniore, filio (ſicut ſunt) adoptivô, ſibíq; cognomine, per agrum *Pomptinum*, ſecundùm inferi maris litus, profugerat; & in arundineto *Maricæ*, lutulentæ paludis, ad *Lirim* amnem, ſeipſum abſtruſerat: repertus eſt à *Minturnenſibus*, paludis illius accolis; nudus, & (ut *Vellejus* aliíque ſcriptum reliquêre) *limô, cœnô, paluſtribúsq; ſordibus, óblitus*. Eóque, quamvis, ex oculîs & naribus, è luto nullùm prominentibus, vix tandem agnitus; collum injectô paſtoritiô lorô, pertrahitur in *car-*

in *carcerem Minturnenſem.* Ad hunc porrò jugulandum *ſervus* oppidi *publicus*, gente, ſeu *Gallus*, ſeu *Germanus*, (quem *Marius* olim, *Cimbricô* captum prælió, *vitâ donârat, ſed libertate ſpoliârat*), immiſſus, diſtrictô cum ferro; ſimulac ejulantem *ſenem*, vocíſque familiari ſonô ſeſe prodentem, agnovit: exſternatus viri tanti, majeſtatíſque, licèt obſoletæ, redivivâ ſibi memoriâ; projecit è manu ferrum, & in pedes ſeſe conjecit: *tanquam planè, non ipſe Marium jugulare juſſus; ſed, à Mario potiùs ipſe jugulandus.*

Spiculatoris itaque *barbari* beneficiô, *Marius* tūc quoq;, ſed in multa magnáq; reſiduę vitæ *maleficia*, ſupervixit: à *Minturnenſibus* ipſis, qui vinctum attinuerant, clementiâ lictoris ad imitationem eos provocāte, dimiſſus; &, cum veſte viaticóq;, præparatum in navigium impoſitus. Eô *Marius* in *Africam* devectus; ſub mapali *Punicô*, ſuper exciſæ *Carthaginis* ruinis, à prætereuntibus corrogatâ ſtipe, diætáq;, vixit: Ut dicere quondam poſterorum admiratio cum Aſprenate, Senecæis in Controverſiis, poſſet; MUTABILEM ESSE CASUM: CUM MARIUM SEXTO CONSULATU CARTHAGO MENDICANTEM, SEPTIMO (quod

(quod mox videbimus) ROMA VIDERIT, IMPERANTEM.

Lucius verò *Sylla*, compoſitis in Italiâ turbîs, imperiiq; majeſtate ſibi per *ſortem* jam, & *victoriæ ſucceſſum*, feliciter aſſertâ conſtabilitâq;, cum exercitu trajecit in Græciam: Aſiam indè *Mithridatémq;* petiturus. Sed, ecce! vertente nondum annô, *novi* Romæ, prioribúsq; ſæviores, *belli civilis* motus, *Cinnanô Marianóque* ceelere, conflantur: rerum, & eventuum, iſto radu, progreſsúque. *Lucium Cornelium Cinam* populus, in annum, ab urbe Conditâ, ſexnteſimum ſexageſimum ſextum, *Conſulem* ıſſerat. Is, *ſi Conſul* fieret, tantùm non *Regem* facturus (*ccc*): poſteaquam *Syllæ* fidem firâſſet, ſe, partium ejus, & Optimatium, *Jove* *ſte*, ſemper futurum; ejus operâ Conſulaım indeptus eſt. E veſtigio verò, víxquedum itô magiſtratu, rupit fidem: deſertâq; nobilite, *Marianis* ſe partibus addixit. In urbē por, (populis Italicis univerſis, *æquali* cum *veibus Romanis* cōditione, civitatem pollicitus))tinus Italiæ totius frequentiam immenſam raxit: quā monuit, ut, ſub togam abditis telîs,)ccupato præmaturè forô, legis, à ſe dictatæ ſæq;, promulgationem urgeret; ſimúlq; *duorum*

rum Mariorum, ac cęterorum exulum omnium reditum, per vim extorqueret. Ipſe verò Cinna, CA. MARIUM MAJOREM, inter hæc ex Africa, REDIVIVUM URBIS INCENDIUM, AC STRAGEM, evocabat. At ubi ventum ad manus eſt; in ipſo Romano foro, victa *Cinnana* pars eſt, cum *Italicis ſuis*, ac *Marianæ* factionis civibus, ab *Optimatibus*, & *Patriciis*: quorum dux tunc *Cn. Octavius* erat; *Cinnanæ*, non *mentis*, ſed *poteſtatis* tantummodo, *collega*. Pelluntur, non ſinè *ſanguine cædibúsq;*, qui ſteterant à *Cinnæ* partibus; ac diſſipati, *Cinnam deſertum* relinquunt. *Cinna*, ne, ſolitudine ſuâ, civibus in contemptum veniret; ſervos paſſim ad pileum vocabat. Sed, nec uno quidem, illâ primâ ſollicitatione, libertatem *Cinnanam*, aut *imperium* ejus, morante; profugit *Nolam*, ad ſollicitandos *Italicos*: è quibus exercitum ſibi conficeret. Hunc, talia molientem, continuò *Patres Conſcripti*, Senatuſconſultô factô, *magiſtratu* pariter, ac *civitate*, ſpoliant; *hoſtémque Reipublicæ judicant*. Decreti verò cauſſas publicant: *tum*, quòd *ſervitia* pellexiſſet, ad libertatẽ ſibi rapiendam; tum, quòd, in ſummo diſcrimine conſtitutam, deſeruiſſet *urbem*. quorum in utroq;, Cinna non modò

non

non *Conſulis*, ſed nec *viri boni, probatiq; civis*, officiô functus eſſet. Subrogârunt autem *Cinnæ* dejectô, *Luc. Cornelium Merulam*: urbémque, junctîs operîs, *Optimates*, adversùs *Cinnam* ac *Marianos*, communire cœperunt.

At, inter hæc, abrogati ſibi magiſtratûs accenſus contumeliâ, *Cinna*, privatam imminutæ dignitatis ſuæ vindictam, vertit in *bellum*, patriæ penatibus inferendum: &, apud *Nolam*, cæteráſque, *Marii* fautrices, urbes, *triginta legionum*, (quæ *trecentarum* fuêre *cohortium*) exercitu contractô, properabat *Romam*. Huic ſe *Cajus* adjungit *Marius*, ex *Africa* tantiſper receptus in *Italiam*. ubi, non ſolùm exulum, ac roſcriptorum, agmine frequenti; ſed &, ſuer hos, *quingentorum* familiarium, ſuæq; faionis hominum urbicorum, affluxu ſtipatus: ɔpias interea ſuas, etiam delectibus ex *Hetruia*, *numerò ſex millium*, confirmârat. Cùm item eodem tempore *Cinnæ* *Marióque* ſe *uintus* etiam *Sertorius*, vir inquietus, & *Cn. apyrius Carbo*, progenitoribus (ut ferebant) ſpanîs oriundus, adjunxiſſent: effectum tanm eſt, ut *ternîs* Roma *caſtris*, exercitibúſque idem, ſub ducibus *quatuor*, circumſideretur: *s* Conſulibus geminîs, rerum ſatagentibus,

 & opti-

& optimô-quôque mœnia ſummîs opibus defendente. Cæterùm *Marius*, atque *Cinna*, non multò poſt inchoatam urbis obſidionem, diluculô quodam, *Appii Claudii* tribuni proditione, per *Janiculi* portam, eis patefactam, intromittuntur; cum militum magnâ manu. Sed, celeriter occurrentibus, *Octaviô* Conſule, *Cneòque Pompejô Strabóne*, virô Conſulari (qui tamen continuò pòſt, ipſîs in caſtris, cum frequenti circùm eum nobilitate, *fulminum crebrô jactu* proſtratus, interiit); repulſi cum ſuis, ejectíque, *Marius* ac *Cinna* ſunt: ac nihiloſecius, ſub ipſis adhuc mœnibus, cum *Octavio Pompejóque* ferociſſimè confligentes, ingentem, *edidêre* pariter, ac *retulêre*, ſtragem. Ad extremum tamen, cùm, à *Cinna Marióque* commeatibus quaquaverſum interclusîs, extremâ penuriâ *Roma* fatigaretur: in urbem illi recepti ſunt, pactîs iis; *Ne cuiquam eorum, earúmque, qui, quæve, tunc intrà muros agerent, patriæ defenſio fraudi foret, aut exitio.* Receperunt ii quidem, ità ſe facturos. ſed, nihil minùs, quàm datam urbi fidem, præſtiterunt. Interfectus igitur omnium primò, juſſu Cinnæ, *Cn. Octavius* eſt, ejus collega: cui, mortem in *veſte Conſulari*, *ſelláque curuli*, præſtolanti, *caput* à *Cenſorino*, duce partium

rium *Cinnanarum*, abſcinditur; ac pro roſtris, unà cum aliorum complurium, equeſtris ordinis, & Senatoriæ Conſulariſque dignitatis virorum, capitibus, ſpectandum defigitur. *Octavii* collegarum alter, Corn. *Merula*, ſponte ſuâ ſibi venis inciſis, inter Diras, & omne genus exſecrationum, in *Cinnæ* perfidiam effuſarum, extinguitur. *Q. Luctatius Catulus*, triumphalis, & cum Mario *Cimbricæ victoriæ* princeps auctor, *fumô* ſibi ſpiritum intercludit; ne Cinnam Mariúmque, *funera Principum ſpirantes*, intueri cogeretur. *Manu*, gladióque ſuo, *Publ. Craſſus*, conſularis, cadit: & unà ſecum *filium* ſuum, ne caderet is ab hoſte, vitâ ſpoliat. Alienô quoque ferrô cadunt, *M. Antonius*, Orator; *Q. Ancharius*; *Publ. Lentulus*; duo *Cæſares*; & viri præterea *Conſulares*, atque *Prætorii*, complures: quorum omnium, collocata pro roſtris, ac defixa, *capita* ſunt, unà cum *Octavii Conſulis* (uti dictum ſuperiùs eſt) *capite*. corpora verò, ſupremô ſpoliata funeris honore, feris, & avibus, objecta. Quàm autem eorum *immenſa* fuerit *multitudo*; conjicere licet, ex eo quoque: quòd, ingrediens urbem, *C. Marius*, qui (ſecus, ac *Cinna* fecerat) nemini fidem immunitatis ullo promiſsô fecerat, militibus ſuis,

cruoris avidis, hanc ediderat cædis,vel *facienda*,vel *abſtinendæ*,teſſeram: *ut, quemcunque, ſe ſalutantem, ipſe reſalutâſſet*; *eum ſervarent: non reſalutatos verò, neci darent*. Unde, cæſorum cadaveribus paſſim ſtrata compita complebantur: ac ſanguine viæ, templa, fora, domuúmq; veſtibula, fluitabant. Ad necem autem etiam quæſita *Metella*,Syllæ conjunx, & liberi; beneficiô tamen latebrarum, tametſi maximas inter difficultates,evaſere. Non evaſerunt amici, propinquiq; cæteri; quos,*ad unum omnes*, Cinnana crudelitas, Marianúſque gladius, ſuſtulerunt. Eruta quoque domus ejus è fundamentis; direptáque bona ſunt, tum *Syllæ*, tum *eorum omnium*,qui proximè ſtetiſſent à partibus ejus. Ipſe *Sylla*,fortunîs ipſius publicatis, *hoſtis Reipublicæ judicatus*: ejus acta reſciſſa; leges abrogatæ; nomen exſecrabile juſſum, ac factum, eſt. Ad ſummam! *Victoria* fuit illa, de *Syllanis*, omnî crudelitate referta: nec aliam cujuſquam,niſi,paullò pòſt,*Syllanam ipſam* immanitatem,ſuî victricem habitura.

Secutus porrò cladem hanc, annus,ab urbe condita, ſexcenteſimus ſexageſimus ſeptimus, *Conſules* habuit eos, quos annus ſuperior expertus erat *Carnifices*; Lucium Cornelium *Cin-*

nam,

nam, & *C. Marium*, ſeptuaginta duorum circiter annorum ſenecionem; *ravidúmq;* potiùs *lupum*, quàm *hominem*. Hi ſeipſos, ſinè *Comitiis* ullis, non juris aut conſuetudinis, ſed armorum, ſuffragiis, *Conſules* renuntiavêre: *Cinna* quidem, *iterum*; Marius autem, *Septimùm*; pro *numero* ſcilicet *pullorum* aquilini generis, quorum ei, juveni quondam, ſecundùm arbores ambulanti, *Septem* è nido delapſi fuiſſe, ferebantur, in pallium (*ddd*).

Cæterùm *Marius*, nondum cædium ſatur, omniúmque, ſinè diſcrimine, ſuſpicax; ipſis, quibus *Conſulatum* iniit, *Januarii Kalendis*, Sextum *Licinium*, (Plutarcho, *Lucium*) unum è Patribus Conſcriptis, ad ſupplicium abreptum, imperiô ſuô, de *ſaxo Tarpejo dejecit*: ipſe tamen invicem, ſive *tertio decimô* pòſt (ut quidam tradunt), ſive, quod Plutarchus affirmat, *decimo ſeptimo die*, *præcipitatus* in obſcura Tartari flagrantis loca. Dum enim *Marius*, hinc quidem alia coquit ex aliis conſilia bellorum, adversùm *Syllam*, ejúſque partium ſtudioſos; aliunde verò, curis & angoribus obruendis, quibus à *Sylla*, digna meritis ſuis, timebat, *mero*, conviviiſque productioribus, intemperanter indulget: repentè, nihilque minùs exſpe-

ctans à fatis unà cum crapula, *ſpiritum cruentum* exhalavit; inter *opes*, bellîs rapiníſq; corraſas, tantas, *quantæ* (quod Plutarchus prodit) *multis Regibus ſuffectura fuiſſent*. De qua *ſceleſtiſſimâ* generis humani *Sanguiſugâ*, doloſioréque *Punicis* omnibus ingeniis *latrone*, quis dubitare *Chriſtianus* audeat; quin, *ſicut Conſul ipſe de Jugurtha quondam, initiò Januarii* menſis, MAGNA CUM GLORIA VICTOR, *in Capitolium* aſcendit: perinde tunc, ad ejuſdē menſis *dimidium*, ex ejus anima contaminatâ, Romanîs à pomœriis in Acheruntem uſq;, *Tartareus omnis exercitus* TRIUMPHARIT? *(eee)*

Mario porrò, rebus humanis exempto, cùm *Cinna* Conſul *Lucium Valerium Flaccum*, illâ partium ſuarum auctoritate, quâ ſeipſum etiam intruſerat, ſubrogâſſet: eum, licèt artium imperatoriarum penitùs rudem, miſit in Aſiam, adversùs regem *Mithridatem*; pro *Sylla*, jam exauctoratô proſcriptôque, belligeraturum. Legatum autem appoſuit ei *Ca. Fimbriam*, etiam ipſum ſuæ factionis hominem, ac Senatorem; *belli* quidem ſcientem, militúmque tractandorum dexteritate pollentem; cæterùm, *in toga non* perinde probatum, ſed, (quod Cicero, qui nôrat eum, dixit) *audaciſſimum omnium, &, quod*

inter

inter omnes conſtaret ſanos, inſaniſſimum. Cujus hominis tanta fuit, cum immanitate morum conjuncta, vecordia frontis, & impudentia ſermonis: ut, cùm is, in funere *C. Marii, Q. Mutium Scævolam*, virum ornatiſſimum, & unicum tunc urbis Romanæ lumen, immiſsô de ſuis emiſſariis ſicariô, ſauciandum curâſſet, *Scævola* verò non continuò mortem oppetîſſet; diem ei dicere *Fimbria* ſit auſus, eô ſolô crimine; QUOD TELUM NON TOTUM CORPORE RECEPISSET (*fff*). Ejuſdem porrò protervisſimi furoris continuò ſpecimē aliud, novúmq; Fimbria documentum, exhibuit, in ipſo Conſulis, & Imperatoris ſui, *Fulvii Flacci*, corpore; cùm eum, quo tempore *Flaccus*, propter ablatos Aſiæ Proprætori *Thermo* faſces, in ipſum animadverſurus erat, in fugam vertit: & è puteo, quò ſe *Flaccus* abdiderat, extractum trucidavit: *caput* marì demerſit: *cadaver* reliquum inſepultum abjecit: omnium autem, adversùs *Mithridaten* bellantium, copiarum *imperatorem* ſupremúmq; Ducem ſeipſum, ſuîſmet legibus, & auctoritate, conſtituit; ac *Flacco* ſubrogavit. Sub hæc, commiſsis aliquot, adversùs *Mithridatæos*, præliis, haud improſperis; trajecit in Aſiam legiones: cum quibus, ex-

 agitatô

agitatô fruſtra, nec ad ullam victoriæ ſummam, *Mithridate*, provincias ac regna populationibus exhauriebat: *Syllæ* legatos, (juſſu ſui ducis, eum ab inſolentia, vexationéque ſociarum urbium, abſterrere conantes) omnî cruciatuum genere tortos, & excarnificatos, necavit: homines, *Minervæ* ſupplices, cujus Deæ tunc apud Ilienſes fanum erat, in oculis illius ſimulacri trucidavit. *Ilium* ipſum, (olim, Trojam,) oſtentatione manſuetudinis lactavit: &, tanquam urbi parſurus, cujus è reliquiis, *Romanus* ipſe, cum omni *cæterâ Româ*, traheret originem, ei verba dedit: cúmque copiis omnibus oppidum ingreſſus, diripuit id hoſtiliter: & universîs, quos obvios habuerat, nullô ſexûs ætatíſque diſcrimine, contrucidatîs, *Ilium* incenſum, vertit in cineres: mœnibúsq; ſolo pariter æquatîs, poſterô die pomœria nuda circumiens, interrogare circumſtantes eſt auſus; NUMNAM EIS FIMBRIA VIDERETUR, PERGAMA FECISSE RECIDIVA? Noviſſimè tamen, eum *Syllâ*, Trojæ (quæ Syllæ fidem ac partes ſecuta fuerat) ulciſcendæ cauſsâ, perſequente; ſibimet ipſi *Fimbria* gladiô ſuô, tot ſcelerum, tam arcto temporis ſpatio deſignatorum, jus dixit, &

ſup-

ſupplicium irrogavit. Cùm enim primùm, clàm immiſſô per eum ſicariô, qui *Syllam* percuteret, fruſtrà fuiſſet hic conatus ejus, quia deprehenſus: ægrè res ea *Fimbriam* habuit. Cùm verò, poſt hæc, *Fimbrianis* paſſim ad *Syllam* deficientibus, alloquium ejus ambîſſet ipſe quoque, ſed incaſſum, eò, quòd hominem, ſibi ſuſpectum, *Sylla* declinaret: *Pergami* demum, quò ſeſe, rerum omnium extremâ deſperatione ſubactus, receperat, vivere deſiit; dum in *Æſculapii* templo, qui *Sanitatis* credebatur *Deus*, ipſe, *mortalium inſaniſſimus*, partim *ſuo*, (ſed minùs in mortem efficace), partim *ſervi* ſui ferrô, viſcera trajecit. Quo facinore, ſibi *mortem*, innumeris aliorum *cædibus* quæſitam, *perpetuam* invénit.

Fimbriâ porrò, qui non minimum cæteroquin impedimentum *Syllæ* conatibus fuerat allaturus, modis iis, quos dicebamus, oppreſsô, ſublatóq; ; primùm quidem *copiarum*, quas ille per *Aſiam* ductârat, *reliquias* ad ſe recepit *Sylla*. Mox pacē cum *Mithridate* fecit: quam rex, (etſi malè fidam, parúmq; diuturnā futuram), pluſquam *viginti millium talentûm Atticorum* impoſitâ ſibi, ſtatímq; repræſentari cœptâ, mulctâ edimebat. Poſt hæc, Aſiam univerſam, quanta

Romani juris erat, in *Regiones quadraginta quatuor* poſterîs temporibus diſtributam eſſe juſſit: ac *Romam* tandem, à qua jam *triennium* propemodum ulciſcendi ſui conatum & impetum abſtinuerat, iter intendit. Per Ægæum autem & Ionium mare properans; non remìs magìs velìſque, quàm ardentiſſimô, tum ſuô, tum exercitûs ſui, (qui *quadraginta millium erat*) deſiderio, claſséq; *ſexcentarum ac mille navium*, recurrit. Ejus in *Italiam* reditum ut impediret *Cinna*, qui ſeipſum *quartùm* jam *Conſulem*, cum *Cn. Papyrio Carbone*, ſuperioris anni Conſule, ſinè Comitiis ullis, refecerat; conatus omnes intendebat. Jámque legiones, quarum accuratum habuerat delectum, in *Dalmatiam* trajicere cum collega cœperat. Sed, inter ipſum operis ejus conatum, tumultuante circùm ipſum milite (qui jam in *Syllam* inclinabat) lapidum jactibus impetitus, & à proximè ſtantibus confoſſus; tam collegæ ſui ſpem, quàm civium eorum, qui *Romæ* contra *Syllam* ſubſtiterant, exſpectationem, inopinâ morte deſtituit. Quos omnes videre tunc erat, vehementer, & nuperô *Fimbriæ*, (partium ſuarum ducis), & tunc præſentî *Cinnæ*, *Conſulis* Imperatoríſque ſui, caſu perculſos. Neque tamen

ideò,

ideò, vel *Carbo* ſe, vel cæteri factionis illius, planè deſeruêre: ſed, cum iis, quos adhuc ducebat *Carbo*, cúmque copiis illis, quas, in *Dalmatiam* jam trajectas, *Carbo* revocârat ad legiones circùm *urbem*, & paſſim per *Italiam*, ſeu ſparſas, ſeu collectas; *exercitum* adversùs *Syllam* ducebant (ut Paterculus ſcriptum reliquit) *ducentorum millium* peditum, & equitatûs. Ad *Syllam* autem acceſſerant, inter hæc, *Metellus Pius*, Numidici filius, Proconſul è Liguribus: è Ducibus item, ac legatis, *Cnejus Pompejus*; qui, *Magni* paullò pòſt nomine cohoneſtandus à Sylla, *Picenum* eo tẽpore tenuerat: *C. Cethegus*, inimiciſſimus antehac *Syllæ*, ſed tunc ſupplex, & reconciliatus; *Marc. Lucullus*, Luc. Luculli frater; *Q. Lucretius Ofella*, Romanus eques, bellô bonus, manúque promptus; *Marc. Licinius Craſſus*; *Albinovanus*; *Memmius*; *Marc. Tullius Decula*; *Cne. Cornel. Dolabella*; cęteríq;. Cùm, è diverſo, *Marianarum* quoque partium (quæ, C. Mariô licèt extinctô, validiùs adhuc gliſcebant) duces eſſent, & capita. *Cajus Marius* inprimis ipſe, *Ca. Marii* (ſicut eum, oratione poſt reditum ad Quirites, Cicero vocat) *filius*; ut verò prodidit Appianus, duntaxat *adoptatus*: reipſa verò, ſeu *fratre* Marii

geni-

genitus, ſeu *ſorore*; cognomentò *Gratidianus* vulgò dictus: *Cn.* item *Papyrius Carbo*; *Ca. Norbanus Flaccus*; *Luc. Cornel. Scipio*, cui cognomentum *Aſiatico* fuit; *Luciusq; Scipio*, filius Aſiatici; *Lucius Damaſippus*, prætor; (ggg) *Flavius Fimbria*, C. Fimbriæ frater; *Cn. Domitius*; *Luc. Apuſtius*; *Teleſinus*, C. Marii Junioris germanus, natu minor; *Carinas*, ac *Marcius*; & *Lamponius*, Samnitum dux. Quibus, ſi *Cinnam* adnumeres, initiò ſtatim *Syllani civilis belli* (quod diximus) interfectum; ac, vel tunc confeſtim, vel certè paullò pòſt, *Marianis* adjunctum, *Hiarbam*, *Numidiæ regem* (hhh): erunt eorum, qui contra *Syllam* duxerunt, (ſicut ipſe *numeravit*, in ſuíſmet, de Vita ſua, commentariis) univerſim *Quindecim*; cum *totidem* diſtinctis exercitibus, *quadringentarum & quinquaginta cohortium* armatarum.

Adversùs hos, quos recenſuimus, Duces, eorúmque copias, & contra *Romam* ipſam, arma *Lucius Sylla*, Proconſulem tunc ſe ferens, cepit. Et, quoniam oblatas ab eo pacis conditiones, ac LEGES (ut eas Vellejus Paterculus nominavit) ÆQUAS, reſpuebant: hôc, quo dicam, ac perſtringam, rerum ordine, bellum ità geſſit; ut victorias ſuas incredibilî, non *celerita-*

ſeritate magis, quàm *felicitate*, confecerit. In quarum nos rerum enarratione, ſi *breviſſimi* fuerimus, & *curſoribus*, quàm *immorantibus*, ſimiliores, ad uſque *Syllæ* mortem, & ulteriùs; nimirum, utemur jure noſtrô: quippe, qui *Syllæ res*, ac præſertim *extremas*, aliô poſt locô, quoad ſatis eſſe caſtigatæ lectoris cupiditati poſſit, exſecuturi ſimus. (*iii*)

Ad rem igitur ut accedamus: annô, poſt Urbem Conditam, ſexcenteſimô ſeptuageſimô, Conſulibus *Luc. Cornel. Scipione*, *Cajóque Norbanô Flaccô*; poſtquam Ioniô marî copias in Italiam trajecit *Sylla*, conflixit, cum *Norbanô* primùm, ad *Canuſium*, Appulorum oppidum: occiditque Norbanæorum *ſex millia*; jacturâ ſuorum, haud ampliùs *Septuaginta*: captiváque duxit *millia totidem*. Eodem locô, ſigna contulit, cùm *C. Mario Gratidiano*; qui *Syllæ*, nec opinanti, ſupervénit: cujus è copiis tamen *Sylla* tunc, etſi necdum ordinatis agminibus ſuis, aut, propter temporis arctum ſpatium, acie vix eviter inſtructâ, ſeptem millia delevit. Ad *Teanum* deinde, Campanorum oppidum, priuſquam ad manus veniretur; ſuorum blandîs, ad hoſtes, de pacis conditionibus, uſus alloquiis, *Lucii Scipionis Conſulis* exercitum univerſum,

ſum, ipſo ſolo cum filio relictô, pellectum ad ſe, ſuæ poteſtatis, ac fidei, fecit. *Scipionem* autem, cum *filio*, ſacramentum ejus accipere detrectantes, dimiſit, inviolatos quidem; ſed tamen patriâ partim extorres: quippe, Scipione patre *Maſſiliam*, exilii ſpontanei cauſsâ, petēte. Sub idem verò tempus, & *abſens Sylla*, *Marci Luculli* legati virtute, proſperè pugnavit: quippe, cujus ductu, *Parmam* inter, ac *Placentiā*, cohortibus ſuorum haud ampliùs *ſexdecim*, adverſarias *cohortes quinquaginta*, locô pepulerit: hoſtium *octodecim millia* proſtraverit: eorúmque potitus caſtrîs & impedimentîs ſit.

Succeſſit annus, ab urbe Condita, ſexcenteſimus ſeptuageſimus primus, Conſuléſq;, *Cn. Papyrius Carbo tertiùm*, & C. *Marius Nepos Gratidianus*; vitæ vigeſimum quintū tunc primùm emenſus annum: *immaturus utique dignitati tantæ* (quod & *mater* ejus flens agnovit); ideóque *maturior exitio.* Pugnavit hic ad *Sacriportum* (locum, Præneſtinis mœnibus, ad Orientem hibernum, ſubjectum) adversùs *Syllam* ipſum; PUER (ut ſic dicam), ADVERSUS tot palmarum GIGANTEM! continuóque, fluctuante *Marianorum* acie, magnâque præterea peditum equitúmque parte, *contemptu*

ptû ducis tironis, ad ducem exercitatiorem, ac *veteranum, Syllam*, tranſeunte; deſertus *Marius*, cum reliquiis, & fratre, *Præneſte* fugit. Quò, ſic profugô, receptô, portîſq; mox occluſis; *Sylla* nihiloſecius, ad muros urbis, cùm *Samnitibus*, cæteriſq; *Marianorum* agminibus, commiſſo præliô, ſuorum non niſi *viginti trium* detrimentô, cepit hoſtium *octo millia*, *vigintiq; millia* delevit: *Samnitibus*, quotquot & in ferrum inciderant, & in captivitatem redigi ſe paſſi fuerant, omnibus, unô turbine furoris, interfectîs. *Præneſtinis* deinde, *Mariòque*, (quos, operibus circùm mœnia ductîs, ferrô faméque clauſos tenebat), *Lucretio, legato ſuo*, permiſsîs, quoad in poteſtatem ultrò venirent: per *Cn. Pompejum* interim, *Marcium*, Marianorum ducem, ad *Senas*, Hetruſcorum oppidum, acie fudit: oppidúmq; diripuit. Ejuſdem mox ductu, *ducem* hoſtium eundem, *cum legionibus* (quod vulgò vix fidem inveniat) *octo*, quæ Mario Præneſtiniſque ſubſidio mittebantur à *Conſule Carbone*, locô deprehenſum arctô, confragosóq;, ſic profligavit: ut, parte copiarum maximâ ferrô concisâ qui cædem evaſerant, ii ſalutem *fugâ*, ſecuritatémque deſtitutione ducis ſui, peterent. Eádem infelicitate, contra *Syllam* ipſum, pugnâ-

pugnârunt, qui *Marium* & *Præneſtinos* obſi-
dione liberatum venerant; *Lucius Damaſippus*,
Prætor, cum legionibus duabus: &, ante Da-
maſippum, *Capuani*, *Samnites*, ac *Lucani*; nu-
merò *ſeptuaginta millia* pugnaciſſimorum vi-
rorum. Quos omnes exercitus, *Sylla* victor, à
faucibus montium, per quos, è *Veſtinis*, aditus
tentabatur ad *Æquos*, & *Præneſte*, ſummâ vi
rejecit. Cùm autem poſt hæc, *Marii*, Conſulis
obſeſſi, litteris ac mandatis inductus, ſeu *Bru-
tus*, prætor urbanus, ſeu, (quod propiùs fidem
eſt) *Luc. Damaſippus*, & ipſe Prætor, crudeliſſi-
mè ſe geſſiſſent, in ipſis urbis Romanæ viſce-
ribus, adversùs *quatuor* civitatis primos clariſ-
ſimósq; Syllanarum partium viros, (in quibus
erant, & Carbonis Conſulis germanus, *Cajus*, &
Mutius Scævola, Pontif. Maximus); dum eos, in-
dictâ cauſsâ, trucidant: auctum utrimque bel-
li Civilis incendium eſt. Idque longè, quàm
unquam antè, flagrantiùs exarſit: poſtquam,
iiſdem ferè diebus, iidem Marianæ factionis in
urbe duces, ac ſatellites, (ſiqua *Vellejo* fides
eſt), omnem, quæ tunc in urbe remanſerat,
nobilitatem partis *Optimatium*, & in ipſa quidem
pleroſque curia, vel in ejus aſpectu, jugulâ-
runt. Ea namque re, *Sylla*, celerrimè cognitâ;
cele-

celeritate longè majore, raptim ad urbem copias omnes, cum ducibus ſuis, (relictô tamen ad Pręneſte Lucretiô) trahens; cùm ad portam *Collinam* (quam & *Salariam* alii dicunt, Quirinali colli ſubjectam) ſub ipſis urbis Romanæ mœnibus (*kkk*) oppoſitum ſibi reperiſſet *Lamponii Samnitis*, & *Carinátis*, Marianorum *legatorum*, exercitum: cum iis, à principio ferè lucis, in viciniam uſque veſperę conflixit: acerriméque dimicans, *millia Marianorum duodecim* in deditionem accepit: *octoginta* verò *millia* trucidavit. *Civium* autem, ac militum, hoſtiles reliquias, inter ipſam fugam, indefeſſus *Syllanorum* furor adeò paſſim conſumpſit: ut *ſanguine*, cęſorum *foris*, ambitus nataret urbis; *intus* verò, compita viæq; ſtagnarent. Ingreſſus autem urbem *Sylla*, neque diu tunc moratus; præſidiô, quantum præſens rerum conditio requirere videretur, impoſitô: confeſtim ad perſequendum *Carbonem* contendit. quem aſſecutus quidem *ad Cluſium*, Hetruriæ vetus oppidum; unius integri diei cruentiſſimô certamine fatigavit. eum tamen, aciem dirimente nocte, dimittere coactus eſt è manibus; uti *nondum victum*, ità multò *minùs* adhuc *victorem*. Mox autem, & in *Vmbria*, Spoletum

inter ac Fulginium oppida, *Carinatis* copiarum *tria millia*, tum Cn. Pompeji, tum Craſſi, ductu; ſuopte verò, ſubſidiorum, *Carinati* ſubmiſſorum, ad *duo millia*, ſub ſarcinis, & in via, Sylla delevit. *Metelli* verò *Pii* fortitudine, *Carbonem* Conſulem, ac *Norbanum* conſularem, in campis *Faventinis*, ſupra *Vitin* fluvium, inconſultò *Syllanas* copias adortos; unâ ſolâ ſuperſtite lucis horâ, tantâ felicitate repulit: ut, *ſex millibus hoſtium* ultrò ſe victoris arbitrio permittentibus, *occiſis* autem *decem* ferè *millibus*, mille ſoli, (cæteris quaquaverſum diſperſis), agmine compoſitô, beneficiôque ſuperingruentis noctis, in tutum ſeſe reciperent.

Ea clades, aliáque belli caſuum adverſa, *Norbanum* adegerunt, ad nova capienda conſilia: relictâq; Reipublicæ, tam *armatæ*, quàm *togatæ*, curâ, navigare *Rhodum*: cujus urbis & inſulæ præſidiô, ſeſe, confidebat, è civilis contentionis fluctibus emerſiſſe. Sed incaſſum, ac ſpe falsâ. Nam, à *Sylla* mox efflagitatus; dum in curia *Rhodii* conſultant, utrúmnam eum, nécne, dederent? in mediô fori Rhodii, *Norbanus*, priuſquam mori juberetur, prior, & ultrò, ſtrictum in gladium incubuit.

Cæterùm, ad parem ferè rerum omnium deſpe-

deſperationem, ac fugam, *Sylla* mox compulit è Conſulibus alterum; *Carbonem*, inquam: qui, conclamatis demum *Italiæ* rebus, & Urbis omiſsâ curâ, cum ſuorum fidiſſimis in *Africam* trajiciens; bellum illuc, adjuvante *Domitio*, tranſportavit: *Cnejóque Pompejo* tantiſper ſpatium facultatémque dedit, ad rem proſperè gerendam; *Carbonianis* nimirum, ad *Cluſium*, copiis concidendis ac profligandis. è quibus, viginti circiter millia militum deleta ſunt. Ceteri verò *Marianarum* partium duces, ac legati, præcipuéque *Carinas*, *Damaſippus*, & *Marcius*, cum exercitu *Samnitium* ad *Vrbem* copias tandem rapiunt; &, ad decimum indè lapidem, inter *Albam* oppidum, ac *Romam*, caſtra ponunt. Nec diſtulit, eos inſequi, *Sylla:* nactúsq; cunctantes adhuc illos, ſub ipſum *Kalendarum Novembrium* meridiem, annô, qui fuit ab urbe Condita Sexcenteſimus, ſeptuageſimus primus, cum *omnibus illis* conflixit, pro muris urbis, & in oculis urbanæ multitudinis, eminus cominúsq; prælium ſpectantis; ad horam uſque *decimam* diei: quæ nobis, ſub *Septentrione* poſitis, *quarta* ferè numeratur *pomeridiana*; Novembriq; menſe jam inchoatô, ſecundùm antiquas annorum ac menſium rationes, hora-

H 2 rúm-

rûmque, ſenſim hiemalium, brevitatem (III) in veſperam nocturnam præcipitat. Ejus porrò prælii, tam *cruenta* fuit utrimque vis, ac rabies: ut, hinc, & illinc, *quinquaginta millibus* trucidatîs, captîs pluſquam *octo* millibus; *Syllâ* quoque, ſummô partis victricis duce, *geminum* tunc, extremúmque, vitæ periculum adeunte; *victores* tamen *Syllani*, quamvis aliquantiſper *ignari*, diſceſſerint. Carinas, ac Marcius, elapſi fugâ, ſed retracti, capite multati ſunt. *Roma* verò jugum, *Syllámque victorem*, cum quantis ipſe voluit copiis receptum, in cervices accepit.

At oppidum *Præneſte*, cujus intrà mœnia concluſus *Marius Iunior*, *Conſul*, obſidebatur adhuc ab *Ofella Lucretio*: visîs, quę circùm muros ferebantur, *Marcii*, *Carinatis*, ac *Telesini* Samnítis, præciſîs capitibus; fortunâque, nullô non locô temporéque, *Marianis* inimicâ compertâ: ſeſe *Syllæ* poteſtati dedens, *Lucretium*, patefactîs portîs, admiſit, ac recepit. Quo tempore, *Marius* quidem *Conſul*, ac germanus ejus, *Teleſinus*, abruptâ ſibimetipſis vitâ, *Syllæ* manus effugêre. non effúgit eas Marii *caput*; Syllæ juſſu, cum ſalſo dicterio, pro roſtris collocatum. Senatûs *Præneſtini*, quidquid *Marianum* fuiſſe

con-

convincebatur, interfectum eſt in carcere. *cives* oppidi, *Samnitéſque*, quotquot deprehenſi, telîs confixi ſunt; & interfectorum (quorum numerus *duodecim millium* ſummam attigit) opes omnes, facultatéſq;, direptæ. *Norba* quoque, Campanorum oppidum, quod pro *Norbani*, (Conſulis quōdam), ac *Marianorum* partibus, etiamnum, quamvis extinctîs jam ducibus, bellare perſeverabat; occupatum proditione tandem: ac cæde, direptione, flammîs, & omnî vaſtitate, deletum eſt.

At *Sylla*, Romam, omnî jam *Italiâ* debellatâ, cum ſuorum ſæviſſimîs ingreſſus; indictôque confeſtim in *ædem Bellonæ* Senatu: præfari denuntiaréq; cœpit in concione, (quam præferocē, minarúmq; pleniſſimam, habuit); *Eorum, qui contra ſe, vel arma per id triennium, vel ſuffragia, tuliſſent, nemini ſe delictorum gratiam eſſe facturum.* Sub hæc, cùm eorum, qui de *Carinatis*, ac *Marcii*, *Damaſippique* copiîs ad ſe tranſierant, *ſeptem* (mmm) *millia militum* armîs jam priùs exuiſſet; eos, in *Circum maximum* concluſos, repentè, ſub ipſum Orationis ſuæ principium, immiſsis, quos ad id ſubornârat, armatis, in cumulum jugulandos objecit. Coortô verò (quod neceſſe fuit) ad tot occiſorum

miſerandos ejulatus, in omnium Senatorum animis horrore, concuſſionéq; mentium; *Sylla*, vultu ſedens penitùs immotô, nec ſecus, ac ſi tot millium laniena, non niſi canis unius, aut anſeris, eſſet decollatio; *Quid?* (infit), *aut, ad quorum clamores, ſtupetis? Huc potiùs auribus, & animis, adeſte! nugis illis omiſſis, quæ foris aguntur intrà Circum: ubi, jubente nobis* (n n n), *in maſtigias aliquot animadvertitur:* Perinde nempe, de trucidatione *ſeptem millium virorum*, ac de *ſeptem* decémve *puerorum* objurgatione, vel virgarum in ludo pœnâ, locutus.

Declamatione verò finitâ; cùm pars inimicorum ejus etiamnum in urbe deliteſcerent; pars verò, longè maxima, primum ſtatim ad illius ingreſſum *diffugiſſent* in extera loca: nequis omnium, *effugere* quoquo modo poſſet interitum; *Tabulam*-nominum propoſuit, eorũ, quos, *uti de ſe, dég, publicâ re, peſſimè meritos*, bonîs omnibus, ac vitâ, carere jubebat. Eorum, tam è *Senatorio*, quàm *Equeſtri*, locô deſcriptorũ, nomina tunc *ad duo millia* legebantur: profeſſo Syllâ, *ſe nunc eos proſcribere, quorum, primô calore, meminiſſet. eos autem, qui tunc memoriam ſuam fugerent, ſimulac & ipſorum reminiſci cœpiſſet; neq, tabulam Proſcriptionis ſuæ, neque ferrum, effugituros.*

ros. Et, ne quis hæc, verba duntaxat, effectûq; carituras denuntiationes, eſſe crederet: ità prorſus, uti minatus eſt, fecit. Confeſtim enim jacuit cæſorum immanis, aſpectûq; tetra, congeries: pars ad pedes ejus, carnificinam *jubentis*, & juſſam *intuentis*; pars, extra conſpectum ejus, ac civitatis præſentiam; in agris, & oppidis; in coloniis, ac municipiis; in prædiis, & villis, & inſulis, terrîſq;, quò profugerant, tranſmarinîs. Quibus omnibus in locis, propoſitô *præmio*, quod *ex haſta fixâ* conficeret, indagati, (tanquam venaticis à canibus feræ) protractique, Romani cives, tam latè diffusâ ſtrage jugulabantur: ut ſanguinis civilis diluviô, non *Servilius* tantùm *lacus (ooo)* exundaret, in quem proſcriptorũ abſciſſa capita, truncatáq; membra, projiciebantur; ſed omne pæne Romanæ ditionis ſolum irrubeſceret: *nec priùs occidendi finis fieret, quàm eſſe deſinerent, occidi qui poſſent*. Ut adeò rectè *Furfidius* quidam *(ppp)* ſubmoneret Syllam, *Debere, ſaltem aliquos, eſſe ſuperſtites: ut eſſent, quibus poſſet imperari*. Certè quidem, non deeſt è recentioribus; qui, ſubductam ſollerter eorum omnium ſummam, quos *Civile* Marianorum Optimatiúmque *bellum* per Italiam, ac foris, non connumeratis

innumeris *exulibus*, abſumpſit, ad *Quingenta millia* perducat (*qqq*): quorum partem maximam, *Corn. Syllæ*, vel in acie *gladius*, vel in foro proſcriptrix *Tabula*, conſumpſit. O, calamitoſum ergò tuum tunc, *Roma*, ſtatum! quem, quaſî quis, aut cujúſnam REIPUBLICÆ, vocabulô formâque, pro meritis inſcriberet; ſimpliciter, ac ſinè conjunctione *diſſonorum*, haudquaquam inveniret. Nam, ad *unius* arbitrium legibus omnibus, judiciîsq;, devolutîs, nec OPTIMATES jura dabant, nec POPULUS ſuffragia: LIBERTATEQUE, cum nomine ſimul REGIS, oppreſsâ; nec erat, qui verè, REGNUM tenere ſe, jactare poſſet: nec, ERGASTULUM vocare *ſuum*, Romam auderet. Quid ergo de *totâ* tunc ſupererat ROMANA REPUBLICA; niſi, mirabilî quodam rei nominiſque monſtrô, vel MONARCHO-TYRANNIS? vel, TYRANNO-MONARCHIA?

Cæterùm, inter *proſcriptos* tunc, & ad *necem* certè, per complures, continuóſque, dies ac noctes quæſitus, ægerriméque duobus ſe talentîs demum ab emiſſario redimens, fuit & *C. Iulius Cæſar*; poſtea *Dictator*. Qui Juvenis, cùm haberet in matrimonio Corneliam, *Cinnæ* (ſæpe no-

pe nobis memorati) filiam, *Juliæ* Pompejanæ matrem; nec eam, ad imperium *Syllæ*, vellet à ſe dimittere: propter hanc ipſam, aliáſq; nonnullas ob cauſſas, popularitatiſque notas, judicatus eſt, proſcriptorum favere partibus; ideóq; dignus, qui *proſcriptorum* & ipſe fatum ſubiret. Et hunc quidem *Sylla* tandem, ſuorum amiciſſimis deprecantibus, datâ vitæ veniâ, condonavit: ſed perquam difficulter, additôque; CAVERENT JUVENEM, MALE PRÆCINCTUM! HABERENTQUE PRO COMPERTO; QUEM TANTIS TUNC PRECIBUS OPTIMATES SERVATUM IRENT, EUM OPTIMATIBUS OMNIBUS OLIM EXITIO FUTURUM. UNI NAMQUE CÆSARI, NON UNUM INESSE MARIUM (*rrr*).

Quanquam autem hæc, in eum, quem dixi, modum, à *Sylla* geſta ſunt; & hujus interim auſpiciis, is quoque, qui profugerat in Africam, Conſul, *Ca. Papyrius Carbo*, captus, ac vinctus, Pompejano gladiô cecidit: *Seneca* tamen *Philoſophus* (qui, librô *de Clementia* primô, non modò, *Tyrannum eum*, cum pluribus aliis, vocat, ſed eundem *Dionyſio* quoque *Majore*, Syracuſanorum oppreſſore, deteriorem, pronuntiare videtur):

detur) aliô volumine, quo *Marciam*, illuſtrem fœminam, *conſolatur*, hæc geſta *Syllæ*, TOTUMQUE SYLLAM ipſum, *Qualis* tunc *fuerit*, habendum eſſe cenſet, INTER RES, NONDUM JUDICATAS; *confeſſurósq; fore vel Inimicos*, EUM ARMA (quippe, tam fœdè laceratâ per *Marianos* republicâ) BENE SUMPSISSE, BENEQUE POSUISSE. (*sss*) Qualis tamen cunque, ſive *Senecæ* viſus *Sylla* ſit, ſive cæteris, morum ejus, geſtorúmq;, cenſoribus: certũ id eſt; ejus auctoritate tunc, *univerſam Romæ-Veteris inverſam fuiſſe, commutatámque, faciem*. adeò quidem, ut, ſi ſub idem illud tempus ab inferis rediiſſent in terras illi *primi Romanæ Libertatis* auctores, *Junius Brutus*, ac *Valerius Poplicola*; vix ullis jam è veſtigiis recognituri fuerint priſcam urbis formam: minimèque gentium illam, quam ipſi reliquiſſent, Civitatis adminiſtrationem. Nam, ut pauca, pro multis, attingam; *Interregem* eſſe *Sylla* juſſerat *Luc. Valerium Flaccum*, comitiis habendis. Ab hoc ipſe mox, necnon & à *Senatu Populóq; Romano*, QUIDQUID ESSE MALLET, UT ESSE DIGNARETUR, rogatus eſt. Et quia, VELLE SE POTESTATEM SUMMAM, ſinè verborum involúcris ullîs, oſtenderat;

derat; DICTATOR LEGIBUS FERENDIS, ET REIPUBLICÆ CONSTITUENDÆ, renuntiatus eſt. Potentiam hanc, à dominatu *regio*, nullâ prorſus *re*, ſed nudô *nomine*, diſtantem, retinuit, in annum uſque *quartum* inchoatum: *ſatellitiô ſtipatus armatorũ* denſô, *viginti & quatuor ſecuribus* antelatîs; uti *Regibus* olim anteferebantur. (*) *Conſul* reipſa, paritérq; Dictator, fuit, in annum, ab Urbe condita, Sexcenteſimum ſeptuageſimum tertium. *Conſul* autem *Deſignatus*, in annum proximè ſequentē. In hac, tam immenſâ diuturnâq; poteſtate, TANQUAM ALTER QUIDAM IN TERRIS DEUS, OMNIA, QUÆCUNQUE VOLUIT, FECIT (*ttt*). *Italiæ* complures urbes, quod aliquãdo partium fuiſſent Marianarum, redegit in ſolitudinē: populos integros, immunitatibus, agrîs, opibus, multavit: Reges novos inſtituit; veteres, faſtigiô dejecit. In Africam quoq; miſsô legatô *Cn. Pompejo*, cõtra *Domitium*, & *Hiarbam regem*, Marianorum adhuc factionem armîs ſuſtentantes; ad ſe continuò *ſeptem* millia de numero copiarum hoſtilium attraxit: *ſeptendecim* autem (*uuu*) *millia* delevit. *Domitium* quoque, ſuîs in caſtris ſe defendere perſeverantem, occîdit; *Hiarbámq;* captivum

vum abduxit: cujus regnum *Hiempſali* dedit. Reverſum Romam *Pompejum*, ad primum ſtatim occurſum, primus ipſe, *Magnum* ſalutavit; ac, *Magnum* poſthac eſſe, dicíque, juſſit, ab aliis univerſis. Eundem, etſi necdum *annos* pluſquam *viginti quinque* (xxx) natum, quin, nec *Senatorem* adhuc, ſed *Equitem* duntaxat; ex *Africa ſubactâ* ducere triumphum, & ad currum elephantos adjungere, *letè* demum tulit. *Lætiùs* autem accepit idem ipſe; pro Roſtris *equeſtrem* ſibi *ſtatuam, inauratam*, conſtitui: cujus in inſcriptione SYLLA, litterîs itidē inauratîs, IMPERATOR, ac FELIX, cognominaretur. Idq́; nominis, tam avidîs ſemper auribus accipiebat; ut *Laberiam* (yyy) quondam, è nobilitate Romana fœminam, floccellum ex ejus toga, (dum ludos is ſpectaret in publico) retrorſum, ac furtim, evellentem, non modò vultu ſeveriore non perſtrinxerit: ſed, in eam oculos ſtudiosè converterit. Et, cùm mulier, interrogata, *Quid, aut cur, feciſſet?* cauſſaretur; *Etiam ſe cupere Felicitatis Syllanæ particulam aliquam à DIs obtinere*: gratè rem, mulieríſque dictum iſtud, accepit *Sylla*. Non autem adeò multò pòſt, etiam matrimoniô ſuô dignatus illam; ex ea filiam ſuſtulit: tametſi, ſublatô

ſe jam

ſe jam è vivis, natam; ideóque *Poſthumiam*, ex eventu, dictam. Eâdem porrò, ſeu favoris propensâ voluntate, ſeu *Dictaturæ* licentiâ, *Senatum*, (cujus *nonaginta* partis adverſariæ capita, vulgaris auctoritatis, cum multis præterea virîs *Conſularibus*, *prætoriis*, ac *Cenſoriis*, bello proſcriptionibúsq; perierant), ſupplevit ex *Equitibus Romanis*: quorum ipſe tamen eorundem numerum, iiſdem illîs contentionibus civilibus, pluſquam *duobus millibus*, ac *ſexcentîs*, imminuerat. Viciſſim autem, ab Equitum ordine, *Iudicia* reduxit in *Curiam*; ac ſcilicet, ad ordinis *Senatorii* conſeſſum. *Quadraginta* præterea *legionibus*, hoc eſt, minimùm, *centum, ac viginti, millibus*, eorum, qui ſub ſe, contra *Marianos*, iis annîs militaverant, *Italiæ* paſſim fundos, & *agros*, poſſidendos diſpertiit: additîs, pro cujuſque ſtudiîs erga ſe, meritîſque, *nummariîs* etiam præmiîs; ex ærariô, latrociniôque *proſcriptionum*, depromptîs. Super hunc, *ingenuorum*, & in omne ſibi deinceps imperium addictorum, exercitum; *ſervorum* etiam, quos è proſcriptorum exulúmque familiis ſelegerat, *pluſquam decem millia*, libertate pariter civitatéque lonavit: eóſque *plebi* deinceps immiſcuit; ab orum tamen ſingulis exactô ſacramentô, *Sibi*, *tan-*

tanquam patrono, futuros eos eſſe fidos, & obnoxios: ac, quoties res exigeret, cum veteranis, agrorum poſſeſſoribus, ad omnem nutum ſuum, ſub ſigna convolaturos. Quo fiebat, ut *Sylla*, tametſi *diſcinctus*, & *in pace*; ſemper tamen, & ad omnem caſum, arbitriúmque ſuum, plus quàm *centum & quadraginta millia* mortalium in armis haberet, ac procinctu: quippe, præter Veteranos illos, & manumiſſos, quos diximus, aliîs adhuc quàm plurimîs in urbe ſuperſtitibus, *Syllæ* conjunctîs; qui nec *ſerviſſent* aliquando, neque *militâſſent*. Quos autem ille *pileô* donârat, ac *civitate*; nequando vel *patroni* poſſent exuere, vel *obſequii*, memoriam, eos omnes, eorúmq; *poſteros*, è *nomine ſuo*, CORNELIOS eſſe, ſanxerat, appellandos. Quare, nullius facilè, nec ante, nec poſt *Syllam*, gentis major erat (ſalvô tamen interim plebejorum patritiorúmq; diſcrimine) familia natióque; quàm *Corneliorum.*

Illud autem omnium *Sylla* ſuorum operum poſt ſe præclariſſimum reliquit: quòd TRIBVNATVM PLEBIS, UNIVERSORVM hucuſque CIVITATIS, IMPERIIQVE ROMANI, MOTVVM TVRBAMENTORVMQVE SEMINARIVM, ſuſtulit; haud ex

abru-

abrupto ſtatim,ac præcipitî: ſed, LEGEM ferendo; NEC VI, QVI, POST ID TEMPORIS, TRIBVNVS PLEBIS FACTVS ESSET, LICERET ALTIORIS MAGISTRATVS ESSE CANDIDATO. Quô *Syllanæ* legis *artificiô* factum eſt: ut, quiſquis ad *magiſtratus* aſpiraret *Curules* (quotum autem quemque, non ad *ſellam*, ſaltem *ædilitiam*, aut *prætoriam*,impellebat Ambitio?): *Tribunatum* is fugeret, tanquam *Scopulum*; ad quem ſpes omnis *eminentioris purpuræ*, quantacunque ſuffragantium ſibi multitudine præparatâ velificaretur, ſubitura tamen naufragium crederetur. HVNC autem MAGISTRATVM tametſi poſtea *Cn. Pompejus*,in *Conſulatu ſuo* popularis,*licèt contra ſeipſum aliquando,prôq; Cæſare, ſtaturum*, reſtituerit; ipſiq; *Cæſares*, pòſt ſecuti, diu, *ſpecie nominéq; tenus*,retinuerint: CONSTANTINVS tamen MAGNVS denique, cauſſîs,haud ferè diſparibus,quibus ad id inductus *Sylla* fuerat, impulſus; eum EX IMPERIO, REQVE ROMANA, FVNDITVS ERADICAVIT. (zzz) In hoc ergò, vel ſolô, *Sylla Felix*; quòd, in re legéque, non malâ, *ſui* eperit *Imitatorẽ* monarcham Optimum: tamtſi, (ſi Plutarcho fides) & in alio quodam, alióque,

lióque, *Felicem* ille ſe, *ſuprà Victoriarum omnium* gloriam, prædicare ſoleret: *Alterô*, quòd *Metello Pio*, (qui Numidici filius fuerat) Amicô frueretur: *alterô*, quòd, cùm, *malè de ſe ſuiſq; partibus meritas*, ATHENAS, evertere potuiſſet; intactas eas, incoluméſque, reliquiſſet: nequando dici poſſet; *Imperatore Syllâ*, ſtudiorum liberalium amantiſſimô, *Sapientiæ terrarum Orbis Armamentarium* exciſum. (*Aaaa*)

VI. Talis igitur erga nonnullos, & quidem, *in Exteros* etiam, cùm eſſet *Sylla*; tantò magis mirandum nonnemini videri poſſit: Eum, *adversùs Romam*, eámque, natale ſibi ſolum, adeò fuiſſe ſævum, & cruentum: ut *tot millium cædibus* eam impleret. cùm hic præſertim, *quartô*, poſtquam *omnia ſolus obtinere cœpiſſet*, annô, *Dictaturæ ſummam potentiam*, animô confidentiâque ſuî non minore, quàm, quâ quondam eã invaſerat, publicè deponeret: & *omnibus, ad reddendam rerum geſtarum rationem*, *offerret ſeſe*, promptiſſimúmq; demonſtraret. Quódque vehementiùs obſtupeſcas: is ipſe, nec *adoleſcentem* quidem, (neſcio quem), qui *Syllæ*, poſt dimiſſos jam cum ſecuribus *lictores*, exauctoratámque *ſatellitum* turbam, domum revertenti, palàm maledicebat, repreſſit: nec aliter, moleſtum

moleſtum eum ſibi fuiſſe ſignificavit; quàm,ut in limine demum ſuarum ædium, ad quas uſque petulans ille juvenis convitia ſua perduxerat, aliquantò ſubſiſteret: &, ad amicos,ſe comitantes,vultu converſô, quàm modeſtiſſimè diceret; *Puer hic, amici, ſuâ tam improbâ, qua nos inſectatur, maledicendi libertate, ni fallor, id efficiet: ut poſthac Dictaturam, quiſquis ceperit, ſi modò ſapiet, retenturus ſit.* Idem præterea *Marcum Æmilium Lepidum*, ſuarum aliquando partium, poſtea transfugam, & annô, poſt abdicatam *Dictaturam*, proximô *Conſulem*, cùm is,ſuîs ad Pop. Romanum concionibus, rabidè ſibi convitiaretur, ipséq; per clientes ſuos, pérque legiones veteranas, ulciſci non difficulter hominem poſſet; animo tamen civili tulit:idq; tunc etiam, cùm Lepidus eum, *Sævum Romulum; libertatis ac legum oppreſſorem; Iudiciorum, ærarii,provinciarum, regum, ac vitæ necisq; civium, Dominum*, vociferaretur: &, *ut humanarum hoſtiarum immolatorem*, palàm, acerbiſſiméq;, traduceret. cùm ei *Vectium Picentem, Cornelium ſcribam,Tarrulam,Scyrrhum,ſatellites,ac ſervorum,* (uti dicebat) *peſſimos*; cùm *Fufidium, turpem ancillam*,objiceret: *exercitúmque Syllæ*, diceret, *victorem quidem fuiſſe; ſed victoriâ, quâ, per tot*

vulnera, laboréſque, nihil illis, præter Tyrannum, ſit quæſitum (bbbb): *qui præmia* victricis *militiæ nulla, præter ſylvas, paludésq̃, reportârint.* (cccc) Omnia tamen hæc impunè tunc *Lepidus* tulit. Hôc igitur animo, geniôq;, SYLLA tunc fuit, & *depoſitâ* jam, & priùs, retentâ quoque, *Dictaturâ*; cujus *modeſtiæ* beneficiô, POSSET, QUOTIES VELLET, ETIAM NON IRASCI: NISI, CUM FACIEM ILLIUS (ut Seneca loquitur,) SANGUIS INVASISSET (*dddd*).

Quæ cùm ità (ſicut dictum eſt) ſeſe, circa *Lucium Syllam*, haberent; quid erat, quòd quondam, *adversùs tam multa millia* civium *Romanorum*, (quorum tamẽ multò pauciores adversùs eum *linguam in convitia*, quàm *ferrum in ſui tutelam*, ſtrinxerant), *faciem ejus ſanguis invaſerit*, donec infinitam in lanienam erumperet? *non autem invaſerit*, adversùs *adoleſcentem unum*, amariſſimè ſibi, peſſiméque, *maledicentem?* non item, adversùs *transfugam unum* caſtrorum, & haſtæ quondam ſuæ participem, *Marcum Æmilium Lepidum* (*eeee*); hominem (ut illum, licèt eo tempore Conſulem, *Lucius Philippus*, vir graviſſimus, appellabat) *impudentiſſimum, peſſimum omnium, omniúmq̃ flagitioſorum poſtremum?* (*ffff*) Quænam res igitur *Syllam* effe-

efferavit *in multitudines*; qui privatis alioquin, ac ſingulis, tam ſe placabilem præſtaret, atque mitem? Nimirum, DEUS DEORUM *ille*, IVSTVS, AC RECTVS! QVI, POST LONGÆVAM SCELERVM DISSIMVLATIONEM, patientiâ tandem *quaſi gratis* conſumptâ, ſuam ASSVEVIT INDIGNATIONEM IN GENTES EFFVNDERE PECCATRICES, *ac nominis ejus notitiam repellentes* (gggg); quíque ſcelera majorum, in poſteris quoque, nondum emendatîs, caſtigat: *Ille Regum*, inquam, *rex*, qui *Nabuchodonóſorem*, Babyloniorum tyrannum violentiſſimum, *Judæis* quondam, flagitiorum vindicem, immiſit; *malis*, *malum*: *virgámq́* populorum, genti, *flagella* promeritæ; nec *flagella* duntaxat, ſed, cum faſcibus *ſecures* quoque, vitiorum exſtirpatrices: idem, inquam, ille, SYLLAM Romanis, *annô* demum, ab urbe conditâ, *ſexcenteſimo ſeptuageſimóq́ primo*, FRONDATOREM immiſit; qui, *ferrô* ſuô, *vitioſa populi Quiritum germina*, quantumvis *haud minùs ipſe vitioſius*, amputaret, & exſcinderet. Qui namque *naturalibus oleæ ramis non pepercit* (quod Divus Paulus expendit, de Judæorum exſcidio differens, ad Romanos): quónam jure præteriret, exoti-

cum tunc arbuſtum, *oleaſtros?* (*bbbb*) Cujus animadverſionis æquitas in *Romanos* quò magìs in conſpicuo ſit; enumerare ſanè libet, in cumulum ac ſummam, gentis illius, cujuſmodi fuit ad uſque *Syllanam* ætatem, *bona maláq;* virtutésq; nonnullas, atque *dedecora, virtutibus longè numeroſiora:* quæ *Deum*, ad pœnam tandem infligendam, *Rempublicámq; Romæ Veterem*, in vertiginem, *Ruinámq;*, pertraxerunt.

Fatendum eſt igitur; in illa *Republica*, (qualis præſertim, à *partâ ſibi recèns Libertate*, fuit) *virtutum* earum, quæ *mores* ad *Civilem* vivendi domì foríſque rationem componunt, ſimulacra quædam, & imagines, effulſiſſe, nec obſcuras, nec ſuæ pœnitendas *origini:* quæ fuit ROMA, FORTITER ET FACIENS, ET PATIENS. Veréq; dictum à *Salluſtio* videtur; DOMI MILITIÆQUE *bonos cultos fuiſſe mores* (*iiii*).

VII. Ac DOMI quidem, ſupra fidem ferè videri poſſit, quantâ *Romani Veteres* ſint uſi *Prudentiæ, Juſtitiæ, Temperantiæ*, cæterárúmque *Virtutum* ejuſmodi *Civilium*, ſi non *ſolidâ* ſemper *exactiſſimâq;* poſſeſſione, certè tamen, poſſeſſionis quadam imagine; mortalem oculum, & admirationem, implente. PRVDENTIAM in con-

in conſpectu ponit, aptiſſima, jam à principio, rerum hominúmq; facta, poſteáque magìs ac magìs ſemper exculta, propagatáque, Diviſio, Series, & Ordo. *Structuram* Vrbis, in *ſeptem Montes*, Romulus, eíque ſuccedentes Reges, ſparsêre ſic: ut, unô demum murô Montibus illis omnibus, per Servium Tullium, circumcluſis, urbs hinc, & hinc, allueretur à Tiberi: remotiſſimum haberet Alpeſtre frigus: vicinam autem, è contrario, *maris Inferi* temperatam auram, ac portuum opportunitatem. *Indigenas* Vrbis, iidem Reges deſcripsêre, jam tum, in *Patres* (ut alibi dictum), ac *patritios*: in *Equitem*: in *Plebem*. Subdiviſit populum urbis Romulus: conſtituítq; *Tribus* primò, non niſi *Tres*; quæ poſterìs tempeſtatibus, propter populi creſcentis amplitudinem, vix *triginta quinque Tribuum* numerô, ſeſe continere potuerunt. Singulas verò *Tribuum* ſuarum idem in *denas* partitus eſt *Curias*: ſingulíſque curiarum, *Ædem* ſacram attribuit unam, & *Curionem* unum. Quo fiebat; ut, cùm *Triginta* tunc eſſent *Curiæ*, quæ *Curiatis* deinde *Comitiis* nomen [...]c ſuffragia dederunt; totidem tunc illis *Ædes* [...]aterent *Sacræ*: quas & ipſas *Curiarum* nomi[...]e vocitabant. Secutus, multò pòſt, Servius

Tullius, populi, mirandam in vim excreſcentis, multitudinem, in *Centum ac nonaginta tres Centurias* diſpeſcuit, eas in leges: ut ultima, propter inopiam, à *Cenſibus* immunis eſſet; aliterq; potiùs Rem communem juvaret: reliquæ verò *Centum, ac nonaginta duæ*, cenſum penderent; & à ſingulis ſingulæ *Centurionibus urbanis* penderent, tanquam *Centuriarum*, in urbe, *Præfectis*. Omnium porrò ſingulorúmq; *civium Romanorum nomina*, collecta per curiones, cæterósq; populi magiſtros, elephántinis conſignata fuiſſe libris, & in *Æde Saturni* ſollerter aſſervata; notiſſimus *Antiquitatum Romanarum comportator* è Veteribus monimentis adnotavit, in altero ſuorum operum commentariô.

Quantum porrò *Prudentiæ Romanæ* ſpecimen erat illud quoque? cùm, *Senatum* inter, ac *Plebem*, medios, *Equites Romanos* collocarent: & in eum tamen ordinem non cooptarent, haud modò *Servorum* quenquam, aut *vernarum*, ſed neque *libertorum*, ac *libertis genitorum*: ídque, ne tunc quidem, cùm, fortunæ favore, jam ad *cenſum* etiam *Equeſtrem* facultatibus ſuîs aſcendiſſent? Quantæ diſpectionis & illud? quòd hunc ipſum *cenſum*, (etiam ab alioquin *Ingenuis*), requirerent, non nimis plebejum, aut

tenuem,

tenuem, (quippe ↀↀ ∞ ſeſtertiûm, hoc eſt, *decies mille Philippicorum noſtratium*)? & cum ipſum, non ſolitarium, ſed probatis moribus, ac frugalitati, conjūctum? Quiſquis enim, aut antea vitam inquinâſſet, arcebatur: aut, qui, poſt equum jam impetratū, inſignitè deliquiſſet; is, in *equeſtri Tranſvectione* notatus, equô (ſi *publicum* habuiſſet) detrahebatur: aut, ſi *decoxiſſet*, locô deinceps, ab *Equitibus* cæteris ſeparatô, cogebatur, in theatris, & amphitheatris, ſpectare: vel, ſi tamen in ſubſelliis ordinis illius, (etiã extremîs, & vix ſemifultus,) adeſſe conaretur; Suſcitatorem ſibi ſciebat eſſe preparatum: ac timebat. Pertinebat enim ad *Prudentiam* Romanorum & hoc: quòd, (poſt ætates ſaltem aliquot, ab urbe conditâ,) nollent, ab univerſis promiſcuè, locô quovis, ſpectari ludos: ſed, ut, poſt *magiſtratus*, *Senatum*, ac *nobilitatem patriciam*, honeſtiſſimîs, ac Spectaculo propioribus, ſedibus receptos, etiam *Equiti*, proximè *Gradus - Quatuordecim* ad ſpectandum aſſignarent: locum, utique capacem tantæ multitudinis, quantam *Equeſter* ordo conſtituebat; utpote, *triplicem* & ipſe deſcriptus in *ſeriem*, partitione nequaquam temerariâ, vel inconſultâ. Iam erant, qui *Publicô* mererentur *Equô*, jam

antiquitus; & poſthac, ad uſque *Cæſarum* ætatem. Erant etiam, antè *Cæſarum* ætatem, qui *Iudicia* tractarent; & tribunalibus aſſiderent. Erant denique, *ſimplicis* appellationis *Equites*; qui, ſuômet equô ſumptúque rem bellicam adjuvantes, *denîs* confectis *ſtipendiîs*, poſtmodum *Immunes* & dicerentur,& eſſent. Horum *trium*, quæ dixi,*generum*, primum illud, etiam extinctâ jam Republicâ, Principibúſque ſubintroductîs, tamen *ultra Quinque millium* numerum adhuc excurrebat: *Iudicum* verò major;& longè maximus,*Immunium* Equitatus,erat. Eos tamen omnes, in conſeſſibus amphitheatralibus, *Quatuordecim* ſui, quos dixi, *gradus*, innumerîs diffuſi *cuneîs*,facilè recipiebant. Hos autem ne vulgus turbaret,&,quidquid ad *plebem* pertinebat: nimirū,in *cuneos ſuperiores*, hoc eſt, à ſpectaculi vicino fructu remotiores, omnis reliqua rejiciebatur,etiam *Ingenua*, Roma. Poſt eam, libertini, liberti, fœminæ; quidquid item pullatum, ſordidatum, vile, vel ſervile, cenſebatur: id ad *ſummam* uſque *caveam* relegabatur; & eouſque ſcilicet, quò, propter altitudinem ac diſtantiam immodicam, ægrè ſpectaculorum colores ad oculos, ægriùs verò, loquentium canentiúmq; ſonus ac vox, ad au-

res,

res, aſcenderent, atque pertingerent. Inter hæc omnia tamen ſedentium ſtantiúmve diſcrimina, providè diſpoſita, vix ulli ſua ſpectandi qualiſcunque commoditas deerat; ne tunc quidem, cùm, Libertatis antiquæ temporibus, adhuc è *ligno* ſtruerentur *Amphitheatra*. nam ſub Principibus poſtea, cùm, poſt *Cæſaris* ligneum, in campo Martio, Statilius Taurus amphitheatrum *lapideum* exædificâſſet, (cui tamen ipſi poſtea novum aliud, itidem è *ſaxo*, ſed in *urbe* mediâ, Veſpaſianus ac Titus Principes ſubſtituerunt); *graduum* tanta fuit multitudo, quanta mortalium *octoginta ſeptem millia*, ſuis in pulvillis ſingillatim ac percommodè ſedentium, facilè poſſet recipere: cùm interim in *ambitu* quoque *ſupremo*, (qui *Summa fuit Cavea*) non ægrè *dena*, nonnunquam & *vicena millia*, vel conſiſterent, vel, allatîs domô ſedilibus, ſeſſitarent. Hujus compoſitiſſimæ partitionis, quæ, (*Cæſarum* ſaltem temporibus), in theatris, amphitheatris, ac Circis, viguit, jam antè, *libertatis* adhuc in flore, Roma primas veluti lineas, & principia, duxerat in theatris, legis Roſciæ præſcriptô: quo ſua *Senatui*, ſua decernebantur *Equiti*, ſua *populo reliquo*, ſedilia. am tum *Orcheſtra* nomen, & *Equeſtrium*, ac

Popularium, invaluerat; cum diſtinčto ſingulorum generum iſtorum ſedendi jure: ne promiſcuè, ſicut barbaras apud gentes, aut incompoſitas apud reſpublicas, univerſi ſpectarent. In *Orcheſtra* igitur, & ad *podium*, proximè ſcenā & locum ludionum, *gradibus* aliquot, Cōſules, Conſulares, Prætores, Senatores, Triumphales; (& horum quidam, ſellis in Curulibus): ſacerdotes item, ac gentium exterarum legati, ſpectabant. In *Equeſtribus*, (ut ſæpius dictum eſt), Equites; iique *tergemini* generis: inter quos & *Tribunis* locus ſuus. In *Popularibus*, ſeu *Plebejis* veriùs, quibus tota *media*, *ſummáq; cavea* permittebatur, (cùm *Ima cavea* Senatûs & Equitū eſſet); *plebs* quidem, ſed nec ipſa tamen nullo dignitatis ordiníſq; diſcrimine, collocabatur. Suîs enim *miles* cuneîs; ſuîs, qui mariti; ſuîs pueritia prætextata; ſuîs, pueritiæ rectores, Pædagogi, recipiebantur. Deteriùs autem ſedebant, caſtrorum inexperti, cœlibes, ac prætextâ, magiſteriôq; pueritiæ domeſticô, carentes: donec in *atratis* demum, ac *fœminis*, & fæce vulgi, caveæ ſupremæ ſe, quaſi ſpectaculorum quoddam exſilium, finirent atq; conſumerent.

Qua proinde *diviſione*, quidnā (extra *caſtra*) requi-

requiſiſſes ordinatius? niſi, quòd, confiteri neceſſe ſit, adhuc ordinatiorem hac ipsâ fuiſſe *Magiſtratuum Majorum Minorúmque* partitionem; è medulla planè rationis, ac dignitatis, inſtitutam. Quâ factum eſt; ut, poſt Reges Româ pulſos, ac *Tribunos Celerum* abolitos, in Urbe deinceps eſſent ſtati magiſtratus, majores, ac minores. *Majores* quidē, bini Conſules: Cenſores item, ac Prętores. quibus, pro diverſis tēporum rerúmq; difficultatibus obortis, accedebant & Dictatores, Interreges, Equitum Magiſtri, Decemviri-legum-conſcribendarum cauſâ, poteſtate conſulari: pari quoque cum poteſtate, *Tribuni militares*. nam *Triumviri* quidem illi, pæne *decennales*, *Reipublicæ Conſtituendæ*, quos his extraordinariis majorum graduum magiſtratibus adjiciēdos quiſpiam judicare poſſet; poſt Rempublicam, morte Pompeji jam dudum everti cœptam, exorti ſunt: civitatique Deſtruendæ potiùs, quàm Conſtituendæ, ſeipſos ſuperinduxerunt. *Magiſtratus* autem *Minores* (ſed, ordinarii), *Quæſtores* erant, *Vrbani*, vel *Ærarii*: *Tribuni plebis*, *Ædiles plebeji*, *curuléſque*, (nam *Cereales*, ſeu *frumentarii*, poſt Rempublicam demum Julii Cæſaris *Dictaturâ Perpetuâ* ſubactam, acceſſerunt). *Curatores*

tores item omnium triginta quinq; Tribuum *Triumviri*, diverſorum munerum ac procurationum, diverſi; cujuſmodi, *Capitales*, *Nocturni* ſedandis incendiis, & *Monetales*, auro vel argento, metallóq; cætero, cudendo. *Quatuorviri viarum curandarum*; &, earundem, tam faciendarum, quàm ſarciendarum, intrà parietes & extra Romam, *Curatores*. Decemviri, *ſtlitibus* (ſic namq; dicebantur antiquitus) *judicandis*, qui prætoriæ præeſſent *haſtæ*, quoties ejus uſus incideret: ad quam *fixam*, inter diſceptantes jus dicerent; *Centumviris* (& *quinque* præterea ſuper hos) *Iudicibus* cognoſcentibus: atque privatorum inter ſe lites, controverſiáſque, diſpeſcentibus. Quibus acceſſerant, & ii, qui ne *Cloacarum* quidem curam dedignarentur: quam olim *Cenſores* ſuſceperant; donec, eorum onere plus nimiô circa curas alias increſcente, ſub Auguſti denique Principatu decurſum ad nomen, & officium, *Curatorum* eſt: ut & ad *Curatores* ac Denuntiatores *Regionum*, *Vicorúmq*, ſingulorum *Magiſtros quaternos*; poſteaquam exactiùs Roma, quàm quondam, à vaſtitate per Gallos illatâ dividi cœpit in *Regiones Quatuordecim*; vicos ducentos quindecim; *inſulas urbanas* quadragies ſexies mille, ſexcen-

tas,

tas, & duas; Portas urbis, mœnibus inſertas, triginta ſeptem. Quibus omnibus, mirandum haud eſt, opus curâ fuiſſe cuſtodiâque *magiſtratuum* aliquot, etiam *Minorum*; & quidem, *ordinariorum*. Non defuerunt autem rebus, aut negotiis, (quoties aliud, aliúdque, temporum mutationes, aut operum difficultates, expoſcerent), *Extraordinarii* quoque, *minorum* etiam generum ac dignationum, *magiſtratus*. quales, *Duumviri perduellionis*; Quæſitores parricidii, rerúmve Capitalium aliarum: Annonæ præfectus; Duumviri Navales, claſſibus ornandis, aut reficiendis; Triumviri, Quinqueviríve menſarii, ſolutionem æris alieni, diſpenſatione pecuniæ, non ſine luculentô populi bono, procurantes: aliiq; denique, nominum ac munerum aliorum Quinqueviri, Triumviríque. Qua ane *Magiſtratuum*, Minorum æquè Majorúmque, *diviſione*, quæ tota, non *foris*, ſed DOMI, Romanos intrà muros, fiebat, nec in Provincias Proconſulatibus, Præturîs, Proprætur îs, Quæſturîs, Proquæſturîs, & id genus aliîs, ſparebatur: quid *humanitus* ſapientius? quid ordinatius, atque providentius. excogitari potuiſe, cenſebimus? quando, nequid incommodi oma ſuſtineret ex iis, quibus humana carere com-

commoditas non poteſt, ne *Cloacarum* quidem, *Aquæductuum*, atque *Lacuum*. multò verò minùs *Viarum*, conſtructionem, partitionem, curámque, neglexerunt. Et *Cloacarum* quidem, præter minutiores quàm plurimas, *grandium* duntaxat ac *Majorum*, nomen, imperitis vulgò fœdum; opus autem ipſum, ac res, doctis publicarum utilitatum æſtimatoribus, magnificentiora cæteris *Romæ-Veteris* operibus univerſîs, viſa ſunt: antra videlicet ſubterranea *Septem, ingentia*, ſubfoſsîs etiam collibus ac montibus; & urbe, ſuprà quidem ſuſpensâ, ſubtus verò navigabılî, magnam in longitudinem, camerîs arcuatîs, deducta. Specuum horum latitudo, pedum erat ſedecim; nec inferior altitudo. capacitas autem & amplitudo tanta; quantam currus villaticus, frugibus onuſtus, aut fœni ſtrue cumulatus, *rotis inoffenſis* tranſmitteret. In *cloacas* has porrò derivabatur, quidquid uſquam ex urbe ſordium, aquarum, & eluvionum, egereretur: quod totum, in unam denique, cæterarum omnium velut *alvum*, conceptaculúmque, coiens; in *Tiberim*, & hinc, in mare Tyrrhenum, evaneſceret. Jam autem, invaleſcēte civium multitudine, quàm, ad neceſſitatem, & *providè* pariter, & operosè, com-

ſè,comparatum erat: ut,perfoſsâ terrâ,coęquatiſq; ſubinde convallibus,ac penetratîs montibus, *aqua ſalubrior*, & *uberior*, per cavernas, coƈti lateris opere cõtinentî fornicatas,introduceretur? altitudine plerumque latitudinéque, qualis, & quanta, virum equitantem, vertice capitis haud alliſô, brachiiſque neutiquam deſtriƈtîs, tranſmitteret: *celſitate* nonnunquam arcuum ad centum,& ultrà,pedes; ſpacio verô *procurſuq;* primùm, per undecim ferè paſſuũ millia, ſæpius autem, & per plura: donec ad quadrageſimum deniq; milliare perveniret meatûs unius longitudo. Meatibus autem hîs cuniculoſis, *unda*, per ſiphónes & canales cæcos, in urbis illuſtre commodum, curſu jugî, Romam intrabat: ad potum, ad lotrinam, ad coquinas, ad fulloniam, ad piſcinas, lacus, balnea, publica domeſticáque: quin &, ad hortos, agellos, viridaria; ſingulîs propemodum domibus, ſuô quâque canalî, ſæpe pluſquam ſimplice, largè ſibi conſulentibus. Quapropter, tanta fuit è *Quatuordecim Aquaduƈtibus* (tot enim, progreſſu temporum; in urbem duƈti ſunt) *aquarum* illimium ac puriorum ubertas: ut, multîs hinc indè millibus tuborum, fiſtularúmque, partem ſibi ſuam attrahentibus, &

humo-

humorem quaquaverſum diſpenſantibus; in numeræ proſilirent, & affluerent, undarum ſcatebræ, putei, ſalientes aquæ, Lacus: ac Circorum etiam, atque Naumachiarum, inundationes. Et certè *Lacuum*, (hoc eſt, *publicorum undæ receptaculorum*, è quibus, ut cuiq libitum eſſet, liberè ſumeretur) *mille trecenti, quinquaginta duo*, Romæ proſtabant. Prætereo verò, quæ circa *Lacus*, & *ſalientes aquas*, Agrippa poſtea, gener Auguſti, fecit, auxit, emendavit: quippe geſta, *collapsâ* jam *Republicâ*, qua tamen ipsâ tempeſtate, veſtigiis adhuc durantibus antiquæ ſollertiæ, *Curatores Aquæ publicæ* manebant; non ſinè miniſterii ſui, ſplendidô ſatis, apparatu: ſparsíque per vicos, & regiones urbis, erant, qui tuerentur *Aquæductuum*, ac *derivationum*, ex illis, opera; ſumptu publicô conſtituti, *ſexcenti*, perpetui (ſi ſic appellare libeat) *Aquæ-Magiſtri*. De *Viis* præterea, quid dicam? quarum, Româ *forâs* excurrentium (nam, *intrà mœnia*, numerare vias, nihil attinet) *triginta* fuerunt, & *una*. Prædicat in iis ſcriptorum antiquitas, ante cæteras, viam Appiam, Æmiliam, Flaminiam, Aureliam, Latinam, Labicanam, Campanam, Tiburtinam (ſeu Gabinam), Præneſtinam, Nomentanam,

Sala-

Salariam, Collatinam, Laurentinam, Oſtienſem, Ardeatinam, Valeriam, Portuenſem. In his, ut ordine nominéque, ſic opere celebritatéque, principatum obtinebat *Appia*: vocabulum ab auctore nacta ſuô; qui fuit, *Appius Claudius Cenſor*: idem & inſtitutor primus *Aquæductûs*, aquam *Appiam* vehentis. Ego, de *Via* nunc ſolâ, narro: cujus, mirum in modum, ab antiquis juxtà, poſterioribúſque, conſtructio prædicatur, & artis ingenium. Lapides, quibus, à principio ſtatim, inſtrata fuit, ſiliceis ac duriſſimis è rupibus exciſi, latomorúmq; laborioſiſſimâ ſollertiâ, nunc ternûm, nunc quaternûm, alibi quinûm etiam pedum in magnitudinem, ex omni parte lateréque, conformati quadrátique: nequid aſperitatis, & ſcabritiei petricoſæ, retinerent; in planitiem exactam, & colore ferri reſplendentem, redacti ſunt. Inter ſeſe deinde compacti, ferruminatione nexibúsq;, tam arctis, & firmis: ut ſingulorum extremitates, invicem conſertæ, non operis & artis juncturæ, ſed originis ac naturæ lapideæ venæ, videri poſſent. Sic porrò connexi lapides; quanquam, tot jam ſæculorum ævô, tot curruum, plauſtrorum, ungularúmque, ferratis trituris concuſſi; nihilomi-

 nus

nus inconvulſi, rigore pluſquam ferreò, perdurârunt. Immò, ſi recenti nonnemini, magno famosóq; Vetuſtatis-Latialis inſpectori, fides ſit, (ut eſſe poteſt): adhuc, ad illius ætatem uſque, lapidum *Appiæ Viæ*, ſinè labe manebat integritas; ſinéq; lacunis, & inæqualitate, lævor: cùm tamen, ab Operis hujus initiis primis, ad uſque Scriptoris illius memoriam, præterierint anni, non pauciores *mille nongentis*. Equidem, qualis, & quàm adhuc retinens primævi ſui ſtatûs, ea *Via* ſit, hac, qua nos hæc ſcribimus, tempeſtate; non laboro. Judicent experti: ſuísq; potiùs oculis, quàm librorum alienæ manûs teſtimonio, fidem adhibeant. Illud contendo: prodigio fuiſſe *Viam Appiam*, non fortaſſe, qualis *eſt*; ſed, qualis ſaltem *erat*: quando nempe deductum perpetuâ lapidum dedolatorum planitie, velutíq; marmoris æquore conſtratum, iter; à *Capena* Romæ *portâ*, primùm ad *Algidum*, deinde *Caſilinum* uſque, progreſſum, *viæq; Latinæ* conjunctum; demum ad *Capuæ* quoque fines, ac mœnium ejus viciniam, (ut Julius Frontinus auctor eſt), excurrebat: *dierum* facilè *quinque* longitudine. Produxit autem hanc ipſam *Appiæ Viæ* longitudinem, itidem ſtratam, ſpatiô multò prolixiore,

poſte-

poſteritas, *Brundiſium* uſque, Calabrorum oppidum; littori *ſuperi maris* impoſitum. ut adeò *Via* jam *unica*, nõ minùs vicenûm quinûm pedum *latitudine* paſſim ſpatioſa, *trecentisq; quinquaginta* circiter *paſſuum millibus*, aſſiduîs ſub rotîs ac jumentis extenſa, *tereretur* quidem: nec tamẽ annorum injuriâ penitùs *extereretur*. Proximum autem, ab *Appia Via*, Romanæ ſedulitatis, ac *providentiæ*, miraculum præbuit (ut cæteras omnes prætercam) *Via Flaminia*: quam humanus, & viatorum utilitati conſulens, labor, Româ primùm *Ariminum*; pòſt autem, & *Aquilegiam* uſque, perduxit, *Fori Julii*, ſeu *Carnorum*, urbem. id, quod poſterîs tamen, non autem Antiquioris Romæ, tempeſtatibus, perfectum eſſe, facilè quis intelligat.

Cæterùm, ſermonis hac, de *Viis Romanis*, opportunitate, piaculum fuerit, omitti *gemina* præcipuè, nec ſupervacanea, *viarum* ornamenta. Quorum alterum erat: ad margines, *columellæ* velut quædam, *lapideæ*; poſt ſingulos quoſque paſſus mille, diſpoſitæ: notîsq; numerorum, quotum quodque milliare jam instaret, aut exactum eſſet, inſcriptæ. quod idcirco Veteres, *Ad primum* (exempli gratiâ) *Lapidem*, *ad lapidem ſecundum*, tertium, decimum,

viceſimum, ac, parî numerandi ſerie, de cæteris, dicebant: totidem, eo modo, *milliaria virum* deſignantes. Numerationis autem exordium à *Columna* ducebatur illa, quæ Romæ ſtabat, in ipſo *Fori* capite: *Fori* verò, non cujuſvis; (cùm, antè *Principum* ætatem, *octo* facilè, vel *novem*: ſub Principibus verò poſteà, *novemdecim*, paterent); ſed *Fori*, quod *Magnum*, ac, præcellentiore quodam jure, *Romanum*, appellabatur. Is locus erat, ſub *Æde Saturni*; proximus arcui Septimiano. *Finiebantur in ea*, quam dixi, *columna* (velut Bartholomæus Marlianus, apud Roſinum Antiquarium, loquitur) *Omnes Italiæ Viæ*; quas *inciſas* adnotârant: *& ab ea*, *ſingulas ad* urbis *portas*, *regionum menſuræ currebant*; ut in promptu ſtatim inſpecturis, aut in itineris procinctu conſtitutis, eſſent. *Columnam* igitur illam, ceu milliarium cæterorum caput, ac regulam, *Milliare* nominabant *Aureum*. Ingens iſtud ergô, quibusvis iter agentibus, *commodum*; viarum autem lumen, ac *decus*, erat: &, ſi verè rem expendere volumus, modô quodam, *Temporum* ac *Solis* lapſus, & Orbium ætheriorum circuitus, in Saxis, etiam cœlô non præbente Sidus ſuum, expreſſus. ad ſummam! *Horologium*, viatori paratum; non

fluens,

fluens, aut volubile, ſed *ſtans*, & *fixum*, atque *perpetuum*. *Ornamentorum* autem in *Viis* alterum, *Monumenta* fuerunt, ac *Sepulcra Romanorum*, utriuſque ſexûs; viarum crepidinibus forinſecus adſtructa, ſic: ut utrimque lateribus pretexerentur; & è cipporum inſcriptionibus, *Quorúmnam*, aut *Quarum*, illic cineres conderentur, nullo labore diſceretur. Cujuſmodi ſepulcrum erat, & illud, ponè *viam*, quod, Epiſtolarum ad Atticum nonô librô, *Baſilii-Buſtum* Cicero nominat: ad quod *ſpoliatum eſſe, vulneratúmque*, *Lucium Quintium*, *familiarem ſuum*, narrat. *Aſpectus* autem *ille* ſepulcrorum ſecundùm vias, (proclamat Anaſtaſius, Lipſii breviator) *pulcher erat*! Id, & ego fuiſſe *pulchrum*, arbitror, extra controverſiam. Subjungit; *Et Vtilis viantibus*! id enimverò, magìs etiam approbo. Quid enim *ſalubrius* viatoribus illis, (ſi modò ſapere voluiſſent), quàm, ad *monumentorum aſpectum*, preſertim verò, ſibi-notis olim hominibus, aut familiaritate conjunctis, exſtructorum, exclamare; QUISQUIS HAC TRANSIS, MEMENTO; SIC ET EVUM TRANSIRE! Vel; HI VITAM QUONDAM HABUERE: NOS, VIAM AD IPSOS! aut, cum Marco denique Tul-

 lio,

lio, (morbum ſupremum, ac mortem, Alexiónis *medici*, ſuîs ad Pomponium epiſtolis, deplorante), ſaltem ingemiſcere: diceréq; ſibi; QUID NOBIS JAM OPUS MEDICIS EST? QUORUM INEVITABILEM FATI NECESSITATEM, TANTO NUMERO LAPIDES QUOQUE LOQVUNTUR. Ad eandem *ſupremæ neceſſitatis* ingerendam *meditationem ſalutarem*, pertinebat; quòd, in funeribus *nobiliorum*, & (uti vocabant) *indictivis*, ad populum quodammodo *claſſicò* convocandum, *Tubis*, lugubrè præcinentibus, utebantur. Quod ipſum luctûs genus, etiam *Militum* indulgebatur exſequiis: cùm *plebejis*, ac viliori vulgo, vox nuda citantium, aut etiam cornu bubulum, non minùs, ac primîs temporibus, in curiam citatis Senatoribus, ſufficere debere videretur.

Sed nos ad *Romæ-Veteris* induſtriam *prudentiámq; Domeſticam* ac *Civilem* regredimur: quam in *Legibus* etiam, (& vel inprimis), iiſq; generum omniũ, & omnes in uſus, ſpectare, curioſo rerum antiquarũ homini licet. Earum Legum principem facilè locum, *Decem* primò, poſteáque *Duodecim*, Tabularum, (quæ dictæ ſunt), Leges, & inſtituta, tenent: quas *Tabulas*, velut

Æqui-

Æquitatis, *ac Sapientiæ Civilis Sacrarium quoddam*, in pleriſque ſuî partibus, juré quis & dicat, & habeat. Cæterarum *Legum* ſparſim alicubi mentio nobis antehac occurrerit; occurrétve poſtea. Sed omnes, (utpote, quarum immenſus eſt numerus,) inſequi ſingillatim; id enimverò fuerit, actū agere: cùm id, & Jureconſultorum præſtantiſſimi quiq;, non negligēter fecerint, &, qui patrum memoriâ Romanam Antiquitatem commentariîs illuſtrârunt, expensè præſtiterint. Secundùm Leges, *Curia* Patrum erat; cuſtos, & ſæpe parens, legum: quæ *Viros* requirebat, & olim ut plurimùm habebat, ortu, cenſu, vitæq; gravitate, conſpicuos: quos ferè, Libertate gliſcente, *Cenſores*, & legebant; &, ſi contaminare cœpiſſent Ordinem, elidebant. E probatis in Curia, nemo non in commune conſulebat. Ex iiſdem, *mittebantur* in magiſtratus, ac ſellas curules, intrà Romā & Italiam: *emittebantur* ad exercitus, imperia, provincias tranſalpinas, ac tranſmarinas: tanquam ex heroum illo Promptuario, quos, & quales, Cyneas, notiſſimus Pyrrhi legatus ille, *totidem Regum eſſe Conſeſſum*, dixit. Et verius, meo judiciô, dictum hoc erat, quo tempore *pauciores* erant: ſub Romulo videlicet, (*Hoſtilobiô*-

commoditas non poteſt, ne *Cloacarum* quidem, *Aquæductuum*, atque *Lacuum*, multò verò minùs *Viarum*, conſtructionem, partitionem, curámque, neglexerunt. Et *Cloacarum* quidem, præter minutiores quàm plurimas, *grandium* duntaxat ac *Majorum*, nomen, imperitis vulgò fœdum; opus autem ipſum, ac res, doctis publicarum utilitatum æſtimatoribus, magnificentiora cæteris *Romæ-Veteris* operibus universîs, viſa ſunt: antra videlicet ſubterranea *Septem, ingentia*, ſubfoſsîs etiam collibus ac montibus; & urbe, ſuprà quidem ſuſpensâ, ſubtus verò navigabılî, magnam in longitudinem, cameris arcuatîs, deducta. Specuum horum latitudo, pedum erat ſedecim; nec inferior altitudo. capacitas autem & amplitudo tanta; quantam currus villaticus, frugibus onuſtus, aut fœni ſtrue cumulatus, *rotis inoffenſis* tranſmitteret. In *cloacas* has porrò derivabatur, quidquid uſquam ex urbe ſordium, aquarum, & eluvionum, egereretur: quod totum, in unam denique, cæterarum omnium velut *alvum*, conceptaculúmque, coiens; in *Tiberim*, & hinc, in mare Tyrrhenum, evaneſceret. Jam autem, invaleſcēte civium multitudine, quàm, ad neceſſitatem, & *providè* pariter, & operosè, com-

ſe, comparatum erat: ut, perfoſsâ terrâ, coæquatiſq; ſubinde convallibus, ac penetratîs montibus, *aqua ſalubrior*, & *uberior*, per cavernas, coctili lateris opere cõtinentî fornicatas, introduceretur? altitudine plerumque latitudinéque, qualis, & quanta, virum equitantem, vertice capitis haud alliſô, brachiiſque neutiquam deſtrictîs, tranſmitteret: *celſitate* nonnunquam arcuum ad centum, & ultrà, pedes; ſpacio verô *procurſúq;* primùm, per undecim ferè paſſuũ millia, ſæpius autem, & per plura: donec ad quadrageſimum deniq; milliare perveniret meatûs unius longitudo. Meatibus autem hîs cuniculoſis, *unda*, per ſiphónes & canales cæcos, in urbis illuſtre commodum, curſu jugî, Romam intrabat: ad potum, ad lotrinam, ad coquinas, ad fulloniam, ad piſcinas, lacus, balnea, publica domeſticáque: quin &, ad hortos, agellos, viridaria; ſingulîs propemodum domibus, ſuô quâque canalî, ſæpe pluſquam ſimplice, largè ſibi conſulentibus. Quapropter, tanta fuit è *Quatuordecim Aquaductibus* (tot enim, progreſſu temporum, in urbem ducti ſunt) *aquarum* illimium ac puriorum ubertas: ut, multîs hinc indè millibus tuborum, fiſtulárúmque, partem ſibi ſuam attrahentibus, &

humo-

humorem quaquaverſum diſpenſantibus; innumeræ proſilirent, & affluerent, undarum ſcatebræ, putei, ſalientes aquæ, Lacus: ac Circorum etiam, atque Naumachiarum, inundationes. Et certè *Lacuum*, (hoc eſt, *publicorum undæ receptaculorum*, è quibus, ut cuiq; libitum eſſet, liberè ſumeretur) *mille trecenti, quinquaginta duo*, Romæ proſtabant. Prætereo verò, quæ circa *Lacus*, & *ſalientes aquas*, Agrippa poſtea, gener Auguſti, fecit, auxit, emendavit: quippe geſta, *collapſâ* jam *Republicâ*, qua tamen ipsâ tempeſtate, veſtigiîs adhuc durantibus antiquæ ſollertiæ, *Curatores Aquæ publicæ* manebant; non ſinè miniſterii ſui, ſplendidô ſatis, apparatu: ſparsíque per vicos, & regiones urbis, erant, qui tuerentur *Aquæductuum*, ac *derivationum*, ex illis, opera; ſumptu publicô conſtituti, *ſexcenti*, perpetui (ſi ſic appellare libeat) *Aquæ-Magiſtri*. De *Viis* præterea, quid dicam? quarum, Româ *foràs* excurrentium (nam, *intrà mœnia*, numerare vias, nihil attinet) *triginta* fuerunt, & *una*. Prædicat in iis ſcriptorum antiquitas, ante cæteras, viam Appiam, Æmiliam, Flaminiam, Aureliam, Latinam, Labicanam, Campanam, Tiburtinam (ſeu Gabinam), Præneſtinam, Nomentanam,

Sala-

Salariam, Collatinam, Laurentinam, Oſtienſem, Ardeatinam, Valeriam, Portuenſem. In his, ut ordine nominéque, ſic opere celebritatéque, principatum obtinebat *Appia*: vocabulum ab auctore nacta ſuô; qui fuit, *Appius Claudius Cenſor*: idem & inſtitutor primus *Aquæductûs*, aquam *Appiam* vehentis. Ego, de *Viâ* nunc ſolâ, narro: cujus, mirum in modum, ab antiquis juxtà, poſterioribúſque, conſtructio prædicatur, & artis ingenium. Lapides, quibus, à principio ſtatim, inſtrata fuit, ſiliceis ac duriſſimis è rupibus exciſi, latomorúmq; laborioſiſſimâ ſollertiâ, nunc ternûm, nunc quaternûm, alibi quinûm etiam pedum in magnitudinem, ex omni parte lateréque, conformati quadratíque: nequid aſperitatis, & ſcabritiei petricoſæ, retinerent; in planitiem exactam, & colore ferri reſplendentem, redacti ſunt. Inter ſeſe deinde compacti, ferruminatione nexibúsq; tam arctis, & firmis: ut ſingulorum extremitates, invicem conſertæ, non operis & artis juncturæ, ſed originis ac naturæ lapideæ venæ, videri poſſent. Sic porrò connexi lapides; quanquam, tot jam ſæculorum ævô, tot curruum, plauſtrorum, ungularúmque, ferratis trituris concuſſi; nihilominus

nus

nus inconvulſi, rigore pluſquam ferreô, perdurârunt. Immò, ſi recenti nonnemini, magno famosóq; Vetuſtatis-Latialis inſpectori, fides ſit,(ut eſſe poteſt): adhuc, ad illius ætatem uſque, lapidum *Appiæ Viæ*, ſinè labe manebat integritas; ſinéq; lacunis, & inæqualitate, lævor: cùm tamen, ab Operis hujus initiis primis, ad uſque Scriptoris illius memoriam, præterierint anni, non pauciores *mille nongentis*. Equidem, qualis, & quàm adhuc retinens primævi ſui ſtatûs, ea *Via* ſit, hac, qua nos hæc ſcribimus, tempeſtate; non laboro. Judicent experti: ſuísq; potiùs oculis, quàm librorum alienæ manûs teſtimonio, fidem adhibeant. Illud contendo: prodigio fuiſſe *Viam Appiam*, non fortaſſe, qualis *eſt*; ſed, qualis ſaltem *erat*: quando nempe deductum perpetuâ lapidum dedolatorum planitie, velutíq; marmoris æquore conſtratum, iter; à *Capena* Romæ portâ, primùm ad *Algidum*, deinde *Caſilinum* uſque, progreſſum, *viæq̃ Latinæ* conjunctum; demum ad *Capuæ* quoque fines, ac mœnium ejus viciniam, (ut Julius Frontinus auctor eſt), excurrebat: *dierum* facilè *quinque* longitudine. Produxit autem hanc ipſam *Appiæ Viæ* longitudinem, itidem ſtratam, ſpatiô multò prolixiore, poſte-

poſteritas, *Brundiſium* uſque, Calabrorum oppidum; littori *ſuperi maris* impoſitum. ut adeò *Via* jam *unica*, nõ minùs vicenûm quinûm pedum *latitudine* paſſim ſpatioſa, *trecentiſq; quinquaginta* circiter *paſſuum millibus*, aſſiduîs ſub rotîs ac jumentis extenſa, *tereretur* quidem: nec tamẽ annorum injuriâ penitùs *extereretur*. Proximum autem, ab *Appia Via*, Romanæ ſedulitatis, ac *providentiæ*, miraculum præbuit (ut cæteras omnes prætercam) *Via Flaminia*: quam humanus, & viatorum utilitati conſulens, labor, Româ primùm *Ariminum*; pòſt autem, & *Aquilegiam* uſque, perduxit, *Fori Julii*, ſeu *Carnorum*, urbem. id, quod poſterîs tamen, non autem Antiquioris Romæ, tempeſtatibus, perfectum eſſe, facilè quis intelligat.

Cæterùm, ſermonis hac, de *Viis Romanis*, opportunitate, piaculum fuerit, omitti *gemina* præcipuè, nec ſupervacanea, *viarum* ornamenta. Quorum alterum erat: ad margines, *columellæ* velut quædam, *lapideæ*; poſt ſingulos quoſque paſſus mille, diſpoſitæ: notîsq; numerorum, quotum quodque milliare jam inſtaret, aut exactum eſſet, inſcriptæ. quod idcirco Veteres, *Ad primum* (exempli gratiâ) *Lapidem*, *ad lapidem ſecundum*, tertium, decimum,

 viceſi-

viceſimum, ac,parî numerandi ſerie, de cæteris, dicebant: totidem, eo modo, *milliaria virum* deſignantes. Numerationis autem exordium à *Columna* ducebatur illa, quæ Romæ ſtabat, in ipſo *Fori* capite: *Fori* verò, non cujuſvis; (cùm, antè *Principum* ætatem, *octo* facilè, vel *novem*: ſub Principibus verò poſteà, *novemdecim*, paterent); ſed *Fori*, quod *Magnum*, ac, præcellentiore quodam jure, *Romanum*, appellabatur. Is locus erat, ſub *Æde Saturni*, proximus arcui Septimiano. *Finiebantur in ea*, quam dixi, *columna* (velut Bartholomæus Marlianus, apud Roſinum Antiquarium, loquitur) *Omnes Italiæ Viæ*; quas *inciſas* adnotârant: *& ab ea*, *ſingulas ad* urbis *portas*, *regionum menſuræ currebant*; ut in promptu ſtatim inſpecturis, aut in itineris procinctu conſtitutis, eſſent. *Columnam* igitur illam, ceu milliariûm cæterorum caput, ac regulam, *Milliare* nominabant *Aureum*. Ingens iſtud ergò, quibusvis iter agentibus, *commodum*; viarum autem lumen, ac *decus*, erat: &, ſi verè rem expendere volumus, modô quodam, *Temporum* ac *Solis* lapſus, & Orbium ætheriorum circuitus, in Saxis, etiam cœlô non præbente Sidus ſuum, expreſſus. ad ſummam! *Horologium*, viatori paratum; non fluens,

fluens, aut volubile, ſed *ſtans*, & *fixum*, atque perpetuum. *Ornamentorum* autem in *Viis* alterum, *Monumenta* fuerunt, ac *Sepulcra Romanorum*, utriuſque ſexûs; viarum crepidinibus forinſecus adſtructa, ſic: ut utrimque lateribus prętexerentur; & è cipporum inſcriptionibus, *Quorúmnam*, aut *Quarum*, illic cineres conderentur, nullo labore diſceretur. Cujuſmodi ſepulcrum erat, & illud, ponè *viam*, quod, Epiſtolarum ad Atticum nonô librô, *Baſilii - Buſtum* Cicero nominat: ad quod *ſpoliatum eſſe, vulneratúmque*, *Lucium Quintium*, *familiarem ſuum*, narrat. *Aſpectus* autem *ille* ſepulcrorum ſecundùm vias, (proclamat Anaſtaſius, Lipſii breviator) *pulcher erat*! Id, & ego fuiſſe *pulchrum*, arbitror, extra controverſiam. Subjungit; *Et Vtilis viantibus*! id enimverò, magis etiam approbo. Quid enim *ſalubrius* viatoribus illis, (ſi modò ſapere voluiſſent), quàm, ad *monumentorum aſpectum*, prę ſertim verò, ſibi-notis olim hominibus, aut familiaritate conjunctis, exſtructorum, exclamare; QUISQUIS HAC TRANSIS, MEMENTO; SIC ET EVUM TRANSIRE! Vel; HI VITAM QUONDAM HABUERE: NOS, VIAM AD IPSOS! aut, cum Marco denique Tul-

lio, (morbum ſupremum, ac mortem, Alexiónis *medici*, ſuîs ad Pomponium epiſtolis, deplorante), ſaltem ingemiſcere: diceréq; ſibi; QUID NOBIS JAM OPUS MEDICIS EST? QUORUM INEVITABILEM FATI NECESSITATEM, TANTO NUMERO LAPIDES QUOQUE LOQVUNTUR. Ad eandem *ſupremæ neceſſitatis* ingerendam *meditationem ſalutarem*, pertinebat; quòd, in funeribus *nobiliorum*, & (uti vocabant) *indictivis*, ad populum quodammodo *claſſicò* convocandum, *Tubis*, lugubrè præcinentibus, utebantur. Quod ipſum luctûs genus, etiam *Militum* indulgebatur exſequiis: cùm *plebejis*, ac viliori vulgo, vox nuda citantium, aut etiam cornu bubulum, non minùs, ac primîs temporibus, in curiam citatis Senatoribus, ſufficere debere videretur.

Sed nos ad *Romæ-Veteris* induſtriam *prudentiámq;* *Domeſticam* ac *Civilem* regredimur: quam in *Legibus* etiam, (& vel inprimis), iiſq; generum omniũ, & omnes in uſus, ſpectare, curioſo rerum antiquarũ homini licet. Earum Legum principem facilè locum, *Decem* primò, poſteáque *Duodecim*, Tabularum, (quæ dictæ ſunt), Leges, & inſtituta, tenent: quas *Tabulas*, velut *Æqui-*

Æquitatis, ac *Sapientiæ Civilis Sacrarium quoddam*, in pleriſque ſuî partibus, jurè quis & dicat,& habeat. Cæterarum *Legum* ſparſim alicubi mentio nobis antehac occurrerit; occurrétve poſtea. Sed omnes,(utpote,quarum immenſus eſt numerus,)inſequi ſingillatim; id enimverò fuerit,actũ agere:cùm id, & Jureconſultorum præſtantiſſimi quiq;, non negligẽter fecerint, &, qui patrum memoriâ Romanam Antiquitatem commentariîs illuſtrârunt, expensè præſtiterint. Secundùm Leges, *Curia* Patrum erat; cuſtos, & ſæpe parens, legum: quæ *Viros* requirebat, & olim ut plurimùm habebat,ortu,cenſu,vitæq; gravitate,conſpicuos: quos ferè, Libertate gliſcente, *Cenſores*, & legebant;&,ſi contaminare cœpiſſent Ordinem,elidebant. E probatis in Curia,nemo non in commune conſulebat. Ex iiſdem, *mittebantur* in magiſtratus,ac ſellas curules,intrà Romã & Italiam: *emittebantur* ad exercitus, imperia, provincias tranſalpinas,ac tranſmarinas: tanquam ex heroum illo Promptuario, quos, & quales, Cyneas, notiſſimus Pyrrhi legatus ille, *totidem Regum eſſe Conſeſſum*, dixit. Et verius, meo judiciô, dictum hoc erat, quo tempore *pauciores* erant: ſub Romulo videlicet, (J...

Rege), *Centum* primò; qui tamen & Regem coërcebant. *Trecenti* deinde, per temporum, imperiíque, gradus. Poſt hæc, à Livii *Druſi* tribunatu, *Sexcenti* facilè; longéq; pòſt, longè plures: donec, ad *mille* jam, & plura, capita, *Senatum* aſcendentem, (ut infrà quoque repetetur), *Auguſtus* tandem, (emortuâ tamen *Republicâ*), revocavit ad numerum illum *Druſianum*. Hi, flos erant Reipublicæ, medulláq; *Veteris-Romæ*: quæ tunc vigebat in viris, non, niſi rerum experientiſſimis; & in *Capitibus*, *exercitatæ* ferè *canitiei*, *cum prudentia conjunctæ*: donec hæc ipſa, quam dixi, *Curia*, promiſcua paullatim eſſe cœpit univerſis; qui modò *Latum* ferre *Clavum*, & *in ſententiam pedibus ire*, didiciſſent.

At, quod ad *Laticlaviam* quidem attinet, ab *Anguſto clavo*, (quo fulgebant & Equite nati Tribuni,) conſpicuè diſtinctam; *prudentia* Romanorum, ac *civilis* rerum *ordinis*, ſpecimen iſtud etiam, quod addam, fuit. *Vna*, poſt Reges exactos, *Reſpublica* fuit: una gens: una totius Romæ-virilis; *toga*: ſed diſtincta togatorum inſignia, quin, & ſexûs imbellioris ſegregatus, tam à viris, quàm inter ſe, cultus, ac [illegible]ium habitus, erat. Romanæ civitatis *viriles*

ordines

ordines, fuêre tres; *Senatus*, *Eques*, *Plebs*. Horum Ordinum ſingulos,diſcriminabat inter ſe, viro conveniens, veſtimenti nota. *Senatorem* quidem, & ſiquis alius ejus nominis ac dignationis jus impetrâſſet, *Latus-Clavus*: Equitem autem, *Annulus aureus*: Plebem, *Toga nuda*: pedéſque, ne *mulleolis* quidem inſignes; ſed peronibus, è corio puro,contecti. *Laticlaviæ* porrò, tam florente, quàm extinctâ jam, urbis Romanæ Libertate,diuturnus permanſit,& inconfuſus ſemper, uſus; non Senatui modò, ſed univerſis, quotquot *Ordinis Senatorii gradu* (tametſi reipſa non ſemper dicundæ ſententię jus exercente) cenſerentur. Fuítq; ſanè,temporibus iîs, veſtis iſtius nota certior; quàm nobis hodię Vocabuli notio. *Latum* quippe *Clavum* Anaſtaſius, è ſuo, quem contrahit, Antiquario, *bullam* exponit; immò,*velut-bullã*, è *purpura*: cui *capita Clavorum intexta*, *vel inſerta*, conſpicerentur. At *Cujacius*, apud VVovverenum Petronianum, *Clavos*, ait, *quibus uterentur honoris cauſsâ Senatores, non fuiſſe veſti conſutos, ſed ſupra veſtem, amplè, latéque, demiſſos in pectus uſque.* Nonnihilô tamen expreſſiùs *Acron* Horatianus; *Latum Clavum fuiſſe purpuram*, affirmat, *in pectore Senatorum extenſam*; *co-*

lobiónem Græcis dictam. cujus uſum, ſuâ tempeſtate, Principes retinuerint; cùm à cervicibus ad pectus indumentum demitterent, oſtrò tinctum, aut è pellibus pretioſis muris-Pontici conſutum: quoties habitu regiò prodirent in publicum. Minùs autem aliquantò dilucidè de *Purpura Lati-Clavi* Junius Adrianus loquitur; ad Belgicas eam Curias accom̃odare tentans: rectè tamen, ab *Anguſto Clavo*, qui Romanorum Equitum fuit, diſtinguens. Stabilis itaque fuit, & inpermixtus, *Laticlaviarum* amictus. At *Annulum Aureum*, Equiti, ſtante Libertate, *proprium*, Occaſus deinde Reipublicæ, ſub Severo Principe, *communem* gregario quoque militi fecit: qui, non niſi *ferreum*, antiquis moribus, geſtârat. Id igitur *Equeſtris ordinis* inſigne peculiare, mutatum reperimus. non verò perinde mutatũ in *mulleolis* aliquid invenimus; hoc eſt, in calceis purpureîs, ad mediam uſq; tibiam aſcendentibus, & *Lunulâ*, ſeu litterâ Latinorum tertiâ, ſignatîs. quod quidem pedum tantummodo patritiorum, Senatoriorum, ac nobilium, tegumentum erat. Et hoc quidem corporum ornatu, Romæ *virorũ* gradus inter ſe, generáq; conditionum, ſecernebantur; ſic, ut *togæ* potiſſimus Viris, *Pallii* diu rariſſimus, eſſet uſus: &, ut Augu-

ſtæum

ſtæum ſaltem ante ſæculum, extráq; peregrinationes, ceu minùs è Romanis moribus, habitus hic, etiam in provinciis, vitio Prætoribus verteretur: cùm interim, nec eam quidem hominum naturam, ætatémque, quarum propriè *mundus*, & *cultus* eſt, Antiquitatis Romanæ *prudens* inſtitutum neglexiſſet. Unde, ſicut ancillæ pleræque, *vulgatique corporis* fœminæ, ferè ſimpliciter *togatæ*, *palliolatæve* conſpiciebantur, aut in publico forìs; aut alienîs etiam, vel ſuiſmet, in ædibus: ità *Virgines*, ad nuptias uſque, cum togâ prætextatâ; *pueri*, cis annos togæ virilis, in prætexta cum bulla; *matronæ*, cum vitta capitis, ac talarî limbô, ſtolatæ. pudiciſſiméq; matrumfamilias univerſum corpus, à vertice, collíque finibus, ad immos uſq; pedes, ſinuoſum velamen contegebat. Sic, utì deſcripſi, Marcus Tullius, & Servius Sulpitius, in Curia: ſic Pomponius Atticus, & Luc. Flavius, in equeſtribus: ſic primi Varrones, ac Buteones, in plebe: ſic, è fornicibus Gelliæ, Volumnię, Phyllides, prodibant: ità, templa, vel Veſtales, aditura Cloeliæ, Virginiæ, nondúmq; nuptæ Corneliæ Scipionum, & Pomponiorum Atticæ: tali cultu, parvi duo Cicerones, Marci Quintíque filii: talî, Papyrius

Præ-

Prætextatus, patri comes in curiam: &, in Verrinis Tullianis, puer Junius; priuſquam morte patris, & injuriâ Prætoris urbani, bullam amitteret. Ità deniq;, quemadmodum oſtendi ſuperiùs, tegebantur in conjugio, veteres Lucretiæ, Corneliæ Gracchorum, Terentiæ, Piliæ, Pomponiæ: conveniebátq; ſuum cujuſq; ſtatui, dignitati, ſexui, graduíq;, veſtimentorum diſcrimen. Quod quidem Romanæ gravitatis, in cultu diſtinguendo corporum, moderamen & exemplum, ſi ſequi poſtera quoque gentium, tam Italicarum, quàm Tranſalpinarum, ſecula ſtuduiſſent: nequaquam tam confuſum paſſim operimentorum *chaos*, in utroq; ſexu, populorum quorundam, & ingeniorum, vitiô, provinciis hodie noſtris invectum, aſpicere cogeremur. nec eſſet, cur indignaremur ſimûl, & ingemiſceremus: nullum jam, inter juvenes cincinnatulos, & ludiones ac mimos; vix ullum, inter regulorum, ac ruſticorum, filios; tenuiſſimum, inter lixas, urbiúmq; proceres; inter honeſtas viragines, & putida proſtibula, relictum intervallum eſſe conſuetudinis, ac ritûs, in publicum prodeundi; luxu, pompâq; veſtimentorum, *inter diſſimillimos* mortalium ordines, pæne jam *ſimillimâ*: proptérq;

rem

rem hanc ipſam,inordinatiſſimâ. Neque mirum id adeò: cùm,apud imperitos,oraculi vulgò locum, ab aliquot retrò ſæculis, obtinuerit adagium illud, quo *Veſtis efficere Virum* perhibetur; quem *facere* ſola quondam *Virtus*, *ac mollitiei fuga*, ſolebat.

Sed nos Romanorum cætera, DOMI laude digna, percurramus. TEMPERANTIÆ magnum illis, primis ab Urbe Condita ſæculis, ſtudium fuit: cujus, in eodem ipſo, de quo modò dictum eſt, *veſtium*, non jam diſcrimine, ſed etiam filô, telâ,materiâque, ſpecimen eluxit. Serica, Babylonica, Phrygiáq; texta, tardè Romam intrârunt, nec *lineæ* veſtes, & byſſus, ac carbaſus, niſi cunctanter, ac timidè pudibundéq; primùm; & quidem,inter paucos, ac delicatiores,uſurpatæ. Commune namque, divitibus æquè pauperibúsq;, corporis tegumentum erat, *lâna*: vellúſque, ne Mileſiarum quidem, aut alius generis, tranſmarinarum ovium; ſed Sabinarum, aut, ſi multum, ad Canuſium Appulum,aut Tarentum Calabricum, tonſarum. Indè *togæ* Romanis; indè, veſtium cætera, plerumq; *candida*: niſi, quòd honeſtiorum ditiorúmq; ſplendidiora, fullonúmque labore lautiora,conſpicerentur; idq; duntaxat,

quam-

quamdiu nitorem illum luctus, aut reatus, non coëgiſſet, in ſqualorem pullæq́; ſordes verti. *Sobrietatis* quoq; cura plerisq; magna: non in eo ſolùm, quòd *vinô* matronis ingenuis interdictum; & illi, clam hauſto deprehenſóq;, maritalis ira, pœnáq; potationis inevitabilis, imminebat: ſed inſuper, & in ſexûs utriuſq; *victu* quotidiano; quando, multîs annîs & ætatibus, etiam extra caſtra, pulte duntaxat, ac farre, veſcebantur. In *nuptiis* autem, diebúſque, vel amicorum conventibus, feſtivioribus; piſciculorum aliquid, aut ſuillæ, lætitiam epularum coronabat. Profuſiorem autem gulam, *ſumptuariæ* coërcebant leges: quarum rigore, *Quintus* quidem *Scaurus*, ſaginâ diſtentos glires; *Cajus* verò *Fannius*, ſuper hæc, *altiles* etiam *gallinas*, è convivio proſcribebant. (V) In *Conjugiis* autem, ante Marcum ſaltem Antonium illum, triumvirum, (qui, ſub unum idémq; tempus, Cleopatram pariter, Octaviámq;, tenebat) *unius uxoris* convictu contenti viri, Socratem ipſum, (Atticæ Philoſophiæ Deum aliquem,) &, quid dico, *Græcum idololatram?* etiam *Iudæos*, antecedebant: utpote, non raros, plurium ſimùl, eodémq; tempore, matrimoniorum, etiam in privata ſorte, poſſeſſores. *Sponſarum* autem

autem frugalem verecundiam commendabat, per aliquot temporis nuptialis horas, ac quandoque dies, *crocei luteive coloris velamen*: quod *Flammeum* omnes paſſim, Caper verò Grammaticus *Pallium*, appellat, quo caput ſuum, ac genarum pudibundum ruborem, obnuberent, ex quo *nuptiis* etiam enatum nomen eſt. Poſt nuptias autem, (*Flaminicarum* exemplô, cum viris ſuis, *Flaminibus*, ità viventium,) multîs temporibus, *Romanæ nuptæ*, ſinè *divortiorum* ullîs periculîs, cum maritis degebant: dum, curis intentæ domeſticis, ac lanificiô diſtrictæ; dum ſecretis conciliatricum, lenonum, & juvenum, colloquiis inimicæ; dum athleticæ gladiatorięque nuditatis ſpectacula peroſæ, ſibi ſolis, Virísq; ſuis, vivebant: dum noxiis rebus omnibus, non magìs *alienâ* lege, quàm *ſuâpte* voluntate, ſexus fragilior arcebatur, ac ſibi temperabat: dum *caſtas* adhuc *Latinas* (kkkk) *humilis Romanæ-rei fortuna* faciebat: dum timidas, atque mœſtas, *urbi propinquus Annibal*, præſtabat; dum denique petulantibus ſeſe procis negabant etiam illæ, quæ rapiebantur; ac pudorem, violenter raptum, in ſeipſis *matronæ* viriles, *Lucretianô ferrô*, plecterent ac vindicarent: & priùs, quàm vindicanda paterentur, apertîs pectori-

ctoribus, cum *Virginia Virgine*, ſua viſcera vi-
támq; redderent illorum cultris, à quibus ipſę
vitam erant adeptæ. Pertinet autem ad ean-
dem, qualiſcunq; *Caſtitatis*, laudem, apud Qui-
rites, mulierum earum ingens Veneratio, quæ
Corpus caſtum profitebantur: cujuſmodi, *Virgi-
nes Veſtales* erant. Eæ, ſub Numa rege *quatu-
or*, à Servio Tullio deinde, duabus ſuperaddi-
tîs, *ſex* inſtitutæ, ſeu, genuinâ magis voce, *ca-
ptæ*, numerúmq; Tullianum nunquam dein-
ceps egreſſæ: ſedem habebant, ac domici-
lium, ad *Ædem Veſtæ*. quæ ſedes, etiam *Atrium
Veſtæ* dicebatur. Virgines autem hæ, cum una
quapiam, in collegiô magis, quàm obſequiô,
degebant. quæ, quia cæteris Vetuſtior, *Virginum
Veſtalium Maxima* dicebatur: ſed, & hæc, &
cæteræ, ſub oculo curâq; Pontificis ſacrorum
Maximi. Tantum autem reverentiæ *Virgini-
tati*, moribus Romanorum antiquiſſimis, im-
pendebatur: ut, quamvis, *ſacerdotii* ſui *mulie-
bris* ætate (quæ *tricennium* erat) exactâ, licitè
deinceps *nuptias* amplecterentur; non niſi par-
vulæ tamen, teneræq; natu Virgunculæ, *cape-
rentur*: quarum explorata credebatur, & o-
mnis expers vitii, pudicitia. *Capiebatur* verò
puella, non minor quidem ſex annorum natu;
ſed

ſed nec adultior tamen decenniô. Dabatur autem & hoc *Virginum* ejus generis honoribus; ut, quæ, Pontificis Maximi prehenſa manu, capiebatur in Veſtalem, *Amata* diceretur: quò ſcilicet in memoriam ei revocarent; primam omnium, à Numa Rege captam, Veſtalem, *Amatæ* fuiſſe nomine celebratam. Tribuebatur item earum ritibus & iſtud; ut inter verba, *vetuſtatis horrore plena*, reverentiámq; vel hôc ipſo ſpirantia, *Sacerdotem Veſtæ*, teſtibus præſentibus, & in *comitio* ferè, caperent: SACERDOTEM, inquam, (uti Pontifex, *Lipſio* teſte, loquebatur) VESTALEM: QUÆ SACRA FACIAT, QUÆ JOUS SIET, SACERDOTEM VESTALEM FACERE, PRO POBLO ROMANO, QUIRITIBUS, UTIQ. QUÆ LEGE FOVIT OPTUMA. SIC TE NUNC, AMATA, CAPIO. Dicebantur hæc, & fiebant, ad augendam *Virginitatis* majeſtatem; è cærimoniarum & actionis majeſtate. Cæterùm, cùm *Veſtalium*, per univerſum illud annorum *triginta* tempus, multiplices eſſent, & aſſidui, labores: cùm ſtarent in *Ignis*, ſemper arſuri, vigilace *cuſtodiâ*; cùm, in aſſervando, neſcio quo, *Quiritium Imperii* pignore, ſeu *Palládio*, ſeu *Penatibus*

Trojanis, perſiſterent: cùm item,in Fontis Camœnarum uſu curâque, legibus Numæ Regis eis commiſsâ,locarent operam; &,cùm in aſſiduo præterea, nocturnîs æquè diurnîsq; vicibus,ſacrificiô verſarētur: ibi FVGAM OTII, (QUÆ PUDICITIÆ CUSTOS FIDELIS EST),uſqueadeò, tam annōrum ætatísq; ſuæ, quàm laborum ac munerum,gradibus,exercebant; ut neque *minuſculis* Veſtalibus vacare, propter teneritudinem, neque provectioribus ceſſare, per annorum onus, concederetur. Primîs itaque *decem* annîs, in *diſcendo* verſabantur: alterîs *decem*,in *exercendo*,quod didiciſſent: in *docendis* denique tenerioribus, decenniô poſtremô. Sed videlicet,ex his ipſis,*annorum triginta*, continuîs occupationibus, & ex accedente,ſuper hęc, intacti corporis opinione publicâ; reverentia *Veſtalibus*,& auctoritas, incredibilis, apud omnes mortalium illorum ordines, conciliabatur,& adhærebat. Earum erat *Habitatio*, proximè *Numæ Regiam*, & ad *Veſtæ* (ſicut dixi); *Viâ Sacrâ*. Sacrificium illis,& inceſſus, erat, cum majeſtate. Veſtis alba, cum prætexta, magiſtratibus, ac Sacerdotiis, uſitatâ: carbáſina, tenuiſſimíq; lini. Caput, ornatum plexîs in ſpiram capillís, pérq; cervicem

& ſca-

& ſcapulas circulatim deſcendentibus: innexum quoque ſacrificalî vittâ; ſupérq; verticem capitis injectô præterea tegmine quatuor angulorum,ſed oblongô,purpuratîs orîs, at cæterà,colore candidô: cui, quòd fibulâ colligeretur, *Suffibuli* factum nomen erat. Progreſſus earum in publicum,nō temere *pedeſtris*;ſed in pilentis carpentísve, ſupernè concameratîs: crebriùs autē,in ſellis,ac lecticis geſtatoriîs; quas, vel infernè ſubire, contemplandi cauſsâ, vel introrsùm conſcendere,ſimùl accubando,ſemper capitale *viris* fuit. Foràs autem prodeuntibus deductor aſſignatus, honoris & tutelæ gratiâ, *ſtator* apparitórve *publicus*; lecticam antecedebat. Quo *præceſſoris* indiciô, clarum omnibus fiebat; *qualénam hominis fœminæq; genus lateret in operto.* Quocirca,decedebatur eis viâ: ne *Prætoribus* quidem, & *Conſulibus*, id venerationis officium deferre *Virginitati conſecratæ* detrectantibus. Quòd ſi casû quoque *Veſtalis*,in publicum progrediens, in hominem incidiſſet, ad locum ſupplicii raptatum: *dummodo conſtaret, nihil è compoſito tunc geſtum eſſe, nec fraudem interveniſſe*; Virginis illius occurſui, *nocentis* pœna condonabatur. Earundem etiam juris & auctoritatis erat; quoties ad *Spectacula* de-

portarentur, aut irent, (nam & Spectaculis intererant), honeſtiſſimô, ſibíq; reſervato, locô ſpectare. Diebus item, lege conſtitutîs, *Sacrorum* adire *Regem*, in *Numæ* (ſicut dixi) *Regia* ſedentem, & his eum verbis interrogare; VIGILASNE, REX? VIGILA! quam ipſam hortandi formam *Virgilius Maro* poſtea, reverentiâ (ni fallor) antiquitatis, ad *Æneam* ſuum, quem *Nympha* nocturnas in navi vigilias agere jubebat, perappoſitè tranſtulit. Præter hæc autem, nec *inopes* quidem, & eſurientes, in *Atrio-Veſtæ* relictæ *Veſtales* erant: ne, *mendicatô vivere coactus, Pudor, aut Impudentiam incurreret; aut (quod iſti vitio proximum eſt) Impudicitiam.* Cenſibus igitur, ac vectigalibus, *alebantur*; quæ redigebantur ex agris, à Numa ſuſtentationi Veſtalium relictîs. Quibus tamen vitæ ſubſidiis, quanquam in capita *ſena* largè ſuffecturis, multorum inſuper *privata* liberalitas, ac decedentium è vita civium teſtamenta, legatáque, munificum adjiciebant auctarium. legum autem indulgentia, *Veſtalibus jus* etiam *hæredis*, tam *nuncupandi*, quàm *ſcribendi*, dabat: & hoc, etiam *ſexennibus* adhuc; quódque cæteris vulgò negatum erat, *patre vivente*. Talis igitur *Virginitati* tributus honor erat, ab Romanorum

rum vetuſtiſſimis; ob idipſum proinde (ſi ſuperſtitionem mentibus illorum detraxiſſes), viciſſim honore dignîs.

Cæterùm, non tota Romanorum laus, intrà *Prudentiam, modeſtiam, pudorem*, ac *temperantiæ thalami* venerationẽ, ità conſtitit: ut ii non interim HUMANITATIS etiam, ac *Liberalis indulgentiæ*, præ cæteris autem omnibus, JUSTITIÆ rationem, & æquitatis, habere viderentur. Nequis igitur in eis *humanitatem* deſideraret: plebis quoq; commodis *Reipublicæ capita* diu ſerviebant; putà, *Conſules, Prætores, Ædiles*, & ipſæ *Leges*, earúmque latores. Præ cunctis autem (uti jam ſuperiùs, de *Libertatis tutela*, dictum eſt) *tribuni plebis*. quorum indefeſſum ſtudium adeò tuendis populi rebus intentum erat, & affixum: ut eis, abeſſe vel noctem unam Româ, præterquam Feriis Latinîs, ne liceret quidem, Legum ordinariô præſcripto. *Tribunitia* verò, quam inſidebant, *Domus*, nulli non, eorum opem imploranti, paratâ ſtabat, & aperta: ne non plebi ſemper eſſet in promptu ſubſidium. Cùm autem Optimates, & exercituum imperatores, inter aſſidua, per terrarum orbem, bella, prædas plerumque maximas agerent; & ſpolia de victis ingentia re-

portarent: poſteaquam hæc in triumphis oſtentâſſent, non ſatìs habebant, divitiis illîs oculos implêſſe ſpectatoris populi; *captivas* autem *opes*, in ſuã quemq; rem, ac domum, avertere: ſed eas urbis ærariis inferebant. Quo tamen ipſo loco, ne, publici fructûs negligens, ac deſes, otiaretur *aurum*, & *argentum*: ex iis, in populi commodum, impendia fiebant; ac præſertim in *alimenta*, per *frumentationem*. Ea frugum ſuppeditatio, primîs illis, ac rudioribus *acquiſitæ Libertatis* annîs, venalis quidem erat; ſed, (*anguſtâ* præſertim *annonâ*, vel temporum difficultatibus aliîs), ære modico: quantumvis, providâ Senatûs curâ, laboribus expensíſq; maximîs, & *citra mare* comportarentur fruges; & ex *ultramarinis* inſulis, atque terris, peterentur: utì ſanè perfrequenter, è Siciliâ, Libyîs, & Ægyptô, claſſibus advehebantur. Senſim deinde, quod aliquouſque *promercale* fuerat, etiã *gratuitum* eſſe *frumentum* cœpit: quamvis, unô nonnunquam aliquô ſterilioris anni fatô, *Philippicorum* nummûm *pluſquam ſeptingentorum quinquaginta millium* valore *frumentatio* conſtaret; nec deeſſent, (auctâ tandem in immenſum urbis Romanæ civium, *intrà muros*, multitudine) *populoſiores* quidam *anni*: quibus,

bus, etiam antè Cæſarum ætatem, in capita *trecenta viginti millia*, quot-menſibus erogarentur alimenta *gratis*: & quidem viritim, ínq; ſingulos uniuſcujusq; domuum egentiorum incolas, *modii* facilè *deni*. Dividebatur autem hæc, quam dixi, frugũ menſura, menſis cujuſq; ſub exordium; eáque ſingulis quibuſque, qui *teſſeras*, ſeu *tabellas*, ad id *inſcriptas*, vel *ſignatas*, & à *Quatuorviris frumentariis* priùs diſtributas, exhiberent: ſicut & exhiberi, noſtrîs hodie moribus, apud multos potentiorum, æneæ plumbeæve *bullæ* ſolent. Prætereo, vitæ ſubſidiorum quorundam cæteri generis, ut obſoniorum, ſuillæ carnis, viſcerationum, epularum in populum, & olei, *largitionem*: quippe, quæ, vel rariùs in *Libertate necdum præcipitatâ*, vel ut plurimùm *per ambitionem*, (ſicut à Cæſare, jam dominationem ſpirante, factum), vel denique ſub *Principibus* maximè, fuerit uſurpata. *Liberalis* interim, & aliquamdiu *miſericordis Romæ*, ſint hæc, maneántq;, perpetua teſtimonia. quibus, ſi placet, adjungitor: quòd fuerint, qui populo, poſt exceſſum ſuum poſſidendam facultatum ſuarum partem aliquam, aut & pecuniam, legarent; ad eam ferè munificentiæ formam, quâ *Julius*, *Dictator perpetuus*, poſt-

quam Senatûs ac plebis Romanæ publicam rem oppreſſerat, ſuos tamen, à morte poſſidendos fruēdóſq;, populo *tranſtyberinos-hortos* publicavit: *viritim* item, *ſeſtertios trecenos*, dividendos; ſummam, utiq; tenuioribus civium haud aſpernandam: cùm *ſeſtertii quaterni denarium* conſtituerent. Quem imitatus, in partem, *Lucius Cornelius Balbus*, etſi privatæ vir fortunæ, *viritim* & ipſe populo Romano legavit Romani valoris *nummum aureum* unum; ac ditiores cæteros, poſt ſe, provocavit exemplô liberalitatis minoris, ad legata (ſi quibus animus eſſet) profuſiora relinquenda. Cujus ſanè munificentiæ campus nemini, paullò jactantiori, deeſſe, ſub id ipſum ferè tempus, poterat; quo Civium Romanorum *quadragies centum millia, prætereáque ſexaginta tria*, ſub Cenſum veniſſent. Super hæc autē, ad CLEMENTIAM, (cujus tenerum ſenſum, *humanitatis*, ac *liberalitatis*, affectio plerumq;, vel dictat, vel comitatur), in rebus ac negotiis haud paucis, *Romana* reſpiciebat *civilitas*. Cujus veſtigiū aliquod exprimebat & ille *Prætorum* mos, quo, ſentētiam prolaturi capitalem, priùs *Prætextam* ponebant: ne (ſicut ego leniter interpretor) de *re*, *mortalibus luctuoſiſſimâ*, (qua-

(qualis eſt, *Capitis ac vitæ diſpendium*,) triumphâſſe, per ſuperbiam habitûs, & inſultâſſe quodammodo perituro, videri poſſent.

Sed neſcio, quo pacto, cùm, (extra ſemotiſſimos ad Boream Scythas, & *humanæ-carnis-voratores* Américæ populos,) inſitum univerſis ferè mortalibus, latente naturæ cultu, ſit; ut, IMITATIONE DEI, PARCERE, JUCUNDIVS PULCHRIUSQUE ducant, QUAM PLECTERE; Romanis tamen, per aliquot ætates, major aliquantò *Iuſtitiæ*, pœnarúmque, nocentibus infligendarum, cura fuerit in pleriſque rebus; quàm *Miſericordiæ*. cujus virtutis, illorum quidam, maximéque, *Stoicè philoſophantes*, rationem adeò nullam habuerunt: ut ei *Virtutis* quoq; *nomen opinionémq;* detraherent. Sed nos in *Iuſtitia* nunc verſamur, *auſteritatéque*, Romanorum. de qua ſileo *vulgatiora:* quibus utique, (tametſi *ſeveriſſimè* ſtatutis, ac geſtis), eripi tamen GRAVITATIS, QUA REIPUBLICÆ SALUS CONTINETUR, præconia non debent. Cujus generis fuerunt, *Iudicia Repetundarum*; bono præſertim Sociorum-Romani-nominis, & ſalutis provinciarum, adversùm prætores, ac magiſtratus cæteros, *foris* improbos, inventa: tamdiúq; *do-*

mi poſtea, juſtius ad tribunal, & apud Prætorem æquiorem, exercita; *quamdiu Judicum aures, muneribus clauſæ, perſiſtebant*. Qualia præterea fuêre, nonnullorum, etiam *patricii* ſanguinis, aut *ordinis Senatorii*, *Conſulariſque*, ſupplicia: non dicam *Publ. Cornel. Lentuli Suræ*, quondam Conſulis, aut *C. Cetbégi*, vel *Fulvii*, Catilinariæ conjurationis participum; ſed, illorum, de quibus in veſtibulo ſtatim hujus ipſius Ruinæ dicere cœperam, patriciæ ſtirpis juvenum. Cùm, inquam, (nam relibare libet, & expedit,) in cunabulis ſtatim aſſertæ per *Brutum* Libertatis, ejus filii, *Titus* ac *Tiberius*, & horum avunculi, *fratres-Vitellii*, cum nobiliſſimis itidem fratribus, ex *Aquiliorum* familiâ, ſpectante populô Romanô, nudati ſunt; &, exactore pœnæ *Brutô*, virgis cæſi, ſecurîq; percuſſi: quòd, exactos urbe regnóque, *Tarquinios*, in urbem denuò, regnúmque, ſibi ſumpſiſſent accerſendos. Et hi tamen *urbis Romanæ Liberatoris*, (velut dixi), *filii* fuerant, & affines, ac propinqui. Pertinet autem ad ejuſdem *ſeveritatis* lineam, haud extremam, *Cenſura* quoq; *morum* urbis, plebis, equitis, & ipſius adeò *Curiæ*, Patrúmq; Conſcriptorum, (etiam *Senatûs* aliquando *Principum*), Conſularium, Triumpha-

phalium, & aliquando *Dictaturâ* quoq; functorum. *Cenſores bini:* Cenſendi poteſtas, plerumq; *Quinquennalis*; & quidem, in ſingula quæq; *luſtra*, ſeu *Quinquennia*, recurrens. *Senatum* hi *legebant*, eundem & iidem *relegebant*: ac, quem Ordinis illius nominum *lectio*, recitatióve, ſub *recenſitione*, præteribat, (quod profectò ſæpe fiebat: ídque, *Cn. Lentulô*, *Luciôq; Gelliô*, Cenſoribus, *quatuor ac ſexaginta Senatoribus*, ſub unum idémq; tempus, evénit); hunc, ipſo facto, *Senatu motum*, vitæ maculoſæ loquax infamia paſſim apud omnes, opprobriô *mutô*, traducebat. Sic autem, in *albo Senatorum* recitandô, prætermiſſi, vocabulô vel maximè genuinô, *Circumſcripti* deinceps, è *Conſcriptis*, eſſe facti, dicebantur: & cauſſam ejectionis, *publicitus* diſſimulatam, ſi fortè requirere ſuſtinerent; eam *privatim*, & in aurẽ vel os ingeſtam, intelligebant. Nec ullus, poſt hęc, expoſtulandi locus erat: aut profectò *ſerus*, &, è gravitate *Cenſoriæ notationis*, ac judicii, reis inutilis. Vivebant igitur, (niſi quâ *Cenſurâ* poſtea, vel *Poteſtate*, valentiore reſtituerentur) indécores: ac, velut in honorum exilio conſtituti. Quàm *multa* verò *moriendi genera*, *ſunt tali vivendi neceſſitate mitiora?* quando præſertim,

tim,& *Scipiones* notabantur; quibus tamen, ex *Africa* ſubactâ, vel *Aſiâ* ſuperatâ, nihil excelſius: quando nec *Lucio* quidem *Aſiatico* parſum eſt, alterutrius duorum *Africanorum* fratri: quando pulſi prohibitíq; curiæ liminibus ſunt alii, qui *Conſulatum* geſſiſſent; ut *Luc. Quintius Flamininus*, ac cæteri: quamdiu quidem in Republica *Catones*, vel *eſſent* adhuc, vel *poſſent*. Hæc, & horum ſimilia, JUSTITIÆ ROMANORUM VETERIS erant argumenta, non latebroſa: ſed, quæ ſubjungo, ſinè controverſia, luculentiora.

Rhegium quondam (inquit, apud Tit. Livium, Publius Scipio Major, ad milites ſeditioſos cōciónans), *Brutiorum extremum oppidum, in præſidiū miſſa legio fuerat. ea, per ſcelus interfectis civitatis Principibus, tribunū ſecuta Decium Iubellium, urbem illam occupavit: &, (ut opulentam), per annos decem tenuit. Propter quod facinus, foris inultum, ſed domeſticis reſervatum pœnis, illa tota legio, millia reorum capitum quatuor, pertracta Romam, & in foro ſecurî ſunt percuſſa.*

Quid autem, & de *ſacerrimis* tunc *Romanæ Pudicitiæ pignoribus*, & exemplis; de VESTALIBUS, inquam, hac in parte dicam? de ſexûs tenerioris illo ſelecto *Sacerdotii flore?* quas nos, paul-

paullò ſuperiùs, tam eximiîs ac multîs affe-ctas honoribus, ab omnibus *Quiritum* ordinibus, videbamus, & admirabamur. Eæ verò, *delicta*, ne *leviora* quidem,impunè ferre ſinebantur; nedum *grandiuſcula*: cujuſmodi tunc quoque credebatur eſſe, *cultus habitúſque corporis profanior, joca licentiora, virorum familiaritas liberior*, & *illius Ignis-æterni cuſtodia negligentior*. Deprehenſas enim, & convictas, *verberabat*, aut *verberandas* dabat, *Pontifex Maximus:* quanquam adhuc *ſalvâ* (quoad ejus fieri potuit) *virginei pudoris reverentiâ*; locôque, lumen ac diem excludente: *velò* præterea, cædentem inter, ac cæſam,*interpoſitò*. Quod quidem auſteritatis Sacræ genus,& aliàs frequenter, & ſub ipſum illud ferè tempus, quo *ſeditionem* in Hiſpania *Publius* ille (de quo paullò ſuprà dixi) *Scipio* repreſſit, Romæ repræſentatum fuiſſe, ſcimus; in *virgine Veſtali*, cui cuſtodia noctis obtigerat illius, in qua, deficientibus ardoris alimentîs, in *Æde Veſtæ* ſubſedit ignis. Cæſa quippe flagrô *Veſtalis* eſt, *Publii Licinii*, Pontificis, non *manu* quidem, ſed (ut adducta ſuperiùs Titi Livii, librô duodecimô, tradit auctoritas) ſeverô *juſſu*. Verùm hęc talia, ſicuti *leniùs* peccabantur, ità *non ultra lenitatis* alicujus *limites* caſtigabantur. At

At illa verò demum atrociter, nullâque *clementiâ* mixturâ, deplectebantur flagitia; quæ *Veſtalem* prohibebant, in poſterum, haberi, nominaríque, *Virginem*. Præterquam enim, quòd is, in quem, ad *probrum uſque, mulier Veſtalis* exarſiſſet, ad *necem* uſque vapulabat: convocante, cognoſcentéque, Pontifice Maximô, ſedebat in puellam unicam Pontificum omne collegium. Cauſsâ ſatis exploratâ, ſceleréq; de latebris protractô; *vitta* primùm mulieri, *ſuffibulúmq;*, cum *alba veſte*, prætextatô *limbô*, cæterísq; corporis ornamentîs, detrahebantur. In luctu, gemitu, ſqualore, tota civitas erat. Damnata capitis, mulier, & in lecticam conjecta; proſequentibus eam cum fletu, complorationéque, cognatîs & propinquîs, efferebatur, exſequiarum ritu. Poſtquam ventum erat in *Campum*, cui *Scelerati* nomen impoſitum, ad portam urbis *Collinam*, intrà muros: ibi jam *Pontifex Summus* ſtabat, adventum ejus, ſublatîs in cœlum palmîs, & arcanas inter precationes, opperiens; apportatámque, ſuâmet ipſe dextrâ, *funeſtus manuductor*, educebat lecticâ: plorantémq;, ſtatuebat in gradibus ſcalarum ligneis, ac mobilibus. Illic jam *carnifex*, & ſupplicii miniſtra turba, præſtolabantur. Hi, tradi-

traditam à *Pontifice* ſibi, *Veſtalem*, per gradus deorſum agebant. Ibi, ſub egeſtâ profundè terrâ, *Cellula* ſolitaria miſeram exſpectabat, excipiebátq;. mediô cellæ, *lectulus*; &, juxtà ſpondam exteriorem, *menſa*, gravata dapibus: ac, ſuper menſam, *lucerna*; cujus ad radios (quoad durarent) *vivens vidénsq; perire* poſſet. In circuitu verò, ſollemnis funerum apparatus, ac *Libitinæ* ſolita ſupellex. Eò ſimulac plenè *Veſtalis* deſcendiſſet: ſcalas miniſtri retrahebant; & in lectulo fatali, (cùm, per cubilis incredibiles anguſtias, alius ſitui corporis quieturi locus non eſſet) ſe fœmella componebat. Sub quæ, mox altè denséq; ſuperinjectîs glebîs, eouſq; conditorium illud infelix, inter mulierculæ clamores & ejulatus, obturabatur; quoad effoſſæ modò terræ ſua planities, æqualitásq;, rediret. Ità porrò defoſſam obrutámque *Veſtæ Sacerdotem*, nemo monumentô, nemo manium ſuetîs piaculîs, aut Inferiîs ullîs, proſequebatur: *Juſtáque* ſua, ſic extinctis, *Romanæ Iuſtitiæ* rigor adimebat; uti ſuperſtites, ac pòſt quoq; ſecuturæ Sacrificæ, diſcerent, eam, quam *foris* profitebantur, Integritatem, incontaminatam etiam in *abdito* præſtare.

VIII. Verùm, de *Bonis* Romanæ Reipublicæ *Mo-*

cæ *Moribus*, DOMI (quod Salluſtius dixit) *cultis*, iſta, puto, ſufficiunt. transſeamus nunc ad MILITIÆ quoque, digna laudibus, morum inſtituta, decoráq; præſigniora. Simulac *decimus ſextus* adoleſcentium unicuiq; decurſus eſſet *annus*, decimúsq; ſeptimus procedere cœpiſſet; *togam* mares *puerilem*, ac ſcilicet *prætextam*, ponebant: *togam* autem, in poſterum tempus, *puram* (quæ, *ſinè-purpura*, Græcis, *Virilis* verò *Romanis*, dici ſolebat) capiebant. nec id, ſinè ſollemniore quodam ritu, vel amicorum paternorum honorificâ præſentiâ. Qui porrò *Togam* hanc ſumpſerant; ab eo jam tempore *Tirones dicebantur*: &, ut *eſſent* quoque, militiæ rudimentîs imbuebantur. Itaq;, non, (ut hodie ſæpe, feréque, fit), domeſticâ pubeſcentium annorum deſidiâ, deliciîſque, militiæ præparabatur juventus; ut nempe tum demum bellatum exiret, quando, detritîs tandem in umbra nugîs, ac ludicrîs, domûs eam paternæ capere faſtidium cœpiſſet: ſed *annus*, ut dixi, *ſeptimus decimus*, primus ei *caſtrenſium* erat *annorum*. (*llll*) Ab hoc jam tempore *Palaria* juvenibus erant in uſu, *pedeſtrem* militiam ingreſſuris; *Salitiones* autem, *equeſtri* ſe præparantibus. *Palarium* porrò *militarium* hoc erat

inſtru-

inſtructionis, & exercitamenti, genus. *Palus* in area, campóve, ſtabat, in terram, erectô ſitu, ſic defixus; ut, *ſex pedum* eminens altitudine, ſpeciem ac proceritatem *hominis* referret, *hoſtiliter obſtantis*. Hunc talem, præſente, formantéq; feriendi diſciplinam, magiſtrô, *tiro* crebrîs incurſibus adſultabat; & ictibus, in omnes quaquaverſum partes, ità ſtipitem impetebat: ut tamen accuratè curaret, ne quâ parte, qui feriebat, ad infligendam viciſſim ſibi plagam, adverſario, (ſi repercutere valeret) ſeſe nudaret, aut ei latus aperiret. *Salitionis* verò, de qua, tanquam alterâ ſollemnium exercitiorum parte, mentionem inſperſi, forma talis erat. *Hibernis* menſibus, ſub loco, munitô tectîs, ac parietibus; *æſtivis* autem, in *campo* patente, (qualis *Martius* illis *campus* erat), *equi* collocabantur, *è ligno* fabrefacti: *Viventium equorum* altitudinem, & corporis reliquum habitum, æquantes. Hi, ſicut *ephippiis* (cujuſmodi tempora poſterorum excogitârunt) carebant; ità pariter & pedum utrimq; fulcrîs æneis, ferreîsve, vel ligneîs: quæ *ſtapedes* hodie vulgus appellat, & uſus terit. In hunc jam talem caballum, condiſcebant juvenes, dextrâ lævâque, ſaltibus ac deſultibus crebrîs, ope-

M ram

ram ac tempus impéndere; *Germanorum veterum*, ac *Numidarum* equitum, inſtitutô. Primis autem diebus, aut menſibus, id faciebant, *inermes*. Deinde, celeritatis, in inſiliendo, conſuetudinem paullatim, uſúmq; faciliorem, nacti; cum *contis* in manu: poſteáq;, cum *gladiis*, ad aërem percutiendum, diſtrictis: ídque tamdiu, donec, proluſionibus hiſce ſufficienter exercitati, *ligneis* ab equis tranſitum facerent ad *veros*, ac *vivos*; quos, in gyros, ſibi præſcriptos, flecterent, ac reflecterent: & in quibus, per ſpatia longiora, decurrerent. Ad *militiam* autem deinceps reipſa tranſgreſſi, tam pedites, quàm equites; & his, quos dixi, laboribus, & aliis pluribus, diſtinebantur: ſic, ut, nec pace quidem otiôq; conceſsô, vacarent penitùs; ſed quotidie, nullo juniorum veteranorúmq; diſcrimine, bellatores, ſuîs quiq; ſtudiis, exercerentur: ne ducibus quidem ſemper hîc otioſis; ut exemplô magiſteriôque militem ad eadem inflammarent. Bis igitur quotidie *tiro*; ſemel autem, ut minimùm, *veteranus*, exercebatur. Et ab occupationibus his, quò longiùs omnem laborum militarium deſuetudinem evitarent, nullus eos, nec horror rigentis auræ; neq; nubium hibernus, aut æquinoctialis, deflu-

defluxus; non ardor cœli, non ſqualor, aut furor, abſterrebat: quò minùs, ſub extemporaneis ſaltem porticibus, aut bellicæ fortitudinis aliîs quibusvis officinîs, arundine ſtraminéve leviter contectîs, opus aſſiduò facerent; *foris* autem, (quoad præſertim cœlum ſineret), *ambularent*, ad leges, nequaquã arbitrarii, vel vulgaris, inceſsûs; ſed planè, *militari gradu*, ſub armis, & cum telis omnibus, *pedites* aliquouſque: ſubinde verò, plenô citatioréq; paſſu, *decem* eundo, totidémq; redeundo, *millia paſſuum*, aut interdum & *quatuor millibus ulteriùs*, per horas æſtivas quinas. Idque *Iuſtum* illi demum *Iter militare* cenſebant, ac nominabant. His autem laboribus, & id genus aliis, adjungebant & *Saltum*, à *Salitionibus*, quas ſuprà protuli, diverſum: quo præludiô, foſſas, & obſtantes viis altitudines, ſuperando, condiſcerent, in oppugnationibus deinde ſeriis, invia quæque, vel aſcenſibus ancipitia, tranſilire loca. Parî verò laboris ſtudiô, maria fluminá ve, caſtris propinqua; piſcinas itẽ urbanas, ſeu publicas, ſeu (quibus Cato filios ſuos exercebat) domeſticas, natatu frequentabant. Super hæc autem, præter caſtra, valla, foſſas, machinas, vineas, aggeres, turres; etiam pontes, ac baſilicas,

 & in-

& interdum oppida quoque tota, junctîs operîs, efficiebant. In ſumma! quidnam loci, putemus, apud hos tales, otio fuiſſe, mentíſve deſidiæ; quibus nec itinera quidem unquam, & expeditiones, (quæ pedum eſt, ac totius adeò corporis, occupatio per ſeipsã laborioſa,) ſinè novo, mirandóque, laborum auctariô contingerent? Supra fidem pæne videatur, quod tamen non citra nobilium ſctiptorum auctoritatem eſſe novimus: manipularem quemque, gregariúmq; de legionariis militem, (uti peraccuratè, locô non unô Romanarum Rerum, *Juſtus Lipſius* expendit), in agmine pedibus incedentem, *gradu*, qualem paullò ſuperiùs deſcripſi, *militari*, *paſſúque* ſcilicet, ac numerô, *pari*, nullô cujuſquam à ſignis diſceſſu; per *viginti* plerumq; *paſſuum millia*, quin & his ipſis plura, geſtare non infrequenter hæc omnia: *Sui quemque generis, & gradûs, arma: gladium ad latus, ac ſupra femur; aut, hujus locô, (vel interdum & ſimùl) haſtam, loricam, aut thoracem ferreum, in corpore ſuperiore: galeam, ab humero dextro dependentem ad pectus: in ſiniſtra, ſcutum, non leviſſimi plerumque ponderis. eâdem autem manu, necnon eâdem geſtationis operâ, vel perticam firmam, (ut ante Marii militiam); vel*

ſub

ſub Mario poſtea, deincépsq́, furcam, quam vocabant ærumnulam: *cui ſaccus in ſummo, (ſive pera grandis), & incubanti ſacco ſubjecta ſarcina, ſeu faſcis alligatus, adaptabatur*. In *ſacco* porrò, *victum* portabat miles, plerumque *menſis dimidiati*; non rarò verò, *totius unius menſis*: frumentum, priſco more, ſimplex, & *molam* adhuc exſpectans: poſtea verò, ſub ducibus indulgentioribus, *farinam*, aut *panem* jam ipſum, in *ætatem* piſtum, ac durabilem. In *ſarcina*, peræ ſubjectâ, ſed interpoſitâ *ligneâ tabellâ*, ſupellectilem miles ferebat caſtrenſem, & diverſorum uſuum utenſilia: putà, ſudes præacutas, ſeu *vallos*, ad caſtra munienda, ternos, quaternos, interdum & *ſeptenos*, aut, ſi gravior id exigeret aliquando neceſſitas, etiam *duodenos*. Tum ollas, verua, cæteráq; vaſa, diverſæ corporis curæ neceſſaria: rutra præterea, foſſis ac ſcrobibus faciendis, & ſecurim, ſerram, falcem, corbem, lorum, catenam; lignationi, frumentationi, pabulationi, ligationíque captivorum hoſtium, apta. Hæc autem onera, præter molem armorum, corporibus aptatam, *librarum ſexaginta* pondus facilè ſuperantia, tum aliorum imperatorum militem, tum inprimis *Marianum*, in expeditionibus Numidicis,

cis, Cimbro-Teutonicis, & Aſiaticis, exercebant, unde *Mulorum* invaluit *Marianorum* proverbium, atque fama. Quòd ſi jam (id, quod non infrequens erat) eveniret; ut, inter ipſum agminis quadrati progreſſum, ab hoſte, vel adverſùm occurrente, vel ex tranſverſo, tenſis inſidiis, irruente, miles *Romanus* incurreretur: tum verò, continuò projectis ad latus, vel in medium conſultò collatis, ſarcinis, ſicut armatus itinere toto, paratúsq; pugnæ, miles inceſſerat, ità pugnam ſtatim inibat; impedimentorum nullâ, vel exiguâ, curâ: donec ad ea, victor, & cum ſpoliorum auctariô, reverteretur. Quantumvis autem & inoffenſum exegiſſet iter, ſic oneratum, agmen; ac, totius interdum diei laſſitudine confectum, quietis, ac reſpirationis, aliquantò largioris, indigere videretur: tamen ne laſſo quidem ad ſatietatem colligendi ſui locus dabatur; ſed ad caſtra ſtatim, (ſinè quibus noctem Romani nullam agebant) labor omnis, & cura, convertebatur. Metandum erat ſpatium; quod *ambitum* habebat, ut minimùm, *mille quingentorum*, & ampliùs, *paſſuum*. ad normam erat exigenda caſtrorum *figura*: quæ, *quadrata* ſemper; & portis, ſectionibus viarum, ducûmq; tabernaculis, uniformis,

ad

ad normam ſtatuendum erat *prætorium*; & locus circà complanandus. ad normam itidem, ac teſſellatim, ſternenda ceſpite *tentoria ducum*, ac tribunorum, erant: ad laterculi formam, in aggeres exſcindendus erat ceſpes: dimetiendæ, certis ſpatiîs, locíſq; , viæ: ſuſpendendæ, tigillíſq; fulciendæ, pelles, aut è lino (quas vocabant) *tendæ*; vel cujuſcunque modi deniq; generíſq; papiliones, in tabernacula: quæ, ſingulos in manipulos, duodena figebantur. erât caſtrorum ſtatuendæ portæ quaternæ; porta, videlicet, prætoria; porta decumana; geminæq́; *principales* ad latera: *quinquagenûm* ſingulæ *pedum*. munienda tandem ab iiſdem erant ſollicitè caſtra, jaciendô vallô: quod erat pedum, ex unâ parte, bis millenûm ſeptenumdenûm; ex alterâ, totidem millenûm, & quinquagenûm. aggeris verô totius erat altitudo ſtruenda, pedum denûm; latitudine non minore: foſſæ quoq; vallo præducendæ; pedes, ut plurimùm, octonos latæ, totidémq; pedes in profundum depreſſæ. Quibus omnibus rebus operibúſque, per eos, quos *munifices* vocabant, hoc eſt, per gregarios, laborum immunitate carentes, vix, ac ne vix quidem, perfectîs; ad aquandum milites, ad lignandum, ad pabu-

landum, pro ſuis ſinguli tribunis, diſcurrebant. Ac ſæpe (quod intolerabilius accidere fatigatione fractis debebat), nondum etiã plenè munitionibus ad ſummam manum perductîs; ab hoſte ſuperveniẽte, certaminis in neceſſitatem, aciémq;, pertrahebantur: ſicut à Juba rege C. Curionis, & à Jugurtha Q. Metelli Conſulis, legionibus evénit. Ibi, conſerere manum cogebantur; fame, ſitî, debilitatéque, confecti: quandoq; verò, gelû quoque, vel præcipitibus pluviîs, ac ſpurciſſimâ tempeſtate, vexati.

Quid autem jam dicam, & de locorum aſperrimi ſitûs, & urbium, oppidorúmq; firmiſſimorum, (ut, Syracuſarum, ut novæ Carthaginis, & Tarenti,) terrâ maríque, laborioſiſſimîs oppugnationibus? quę ſanè, niſi pæne juratò nobis ea traderet *Antiquitatis litterata* veritas, poſterorum fortaſſe fides, duceret infrà fidem. Nam ecce! Sub laterculis, pluteis, porticibus, muſculis, ac diverſorum generum teſtudinibus; ariete, dolábrâ, vectibúsq; ferreîs, mœnia ſuffodiebant; urbium portas diffringebant; & in oppidorum turres, arces, atque culmina pinnaculorum, enitebantur. Et hoc faciebant, non ſcalîs ſolîs, altitudinisq; ſcalarum for-

formidandæ periculoſis gradibus ; ſed (quis non ſtupeat?) iiſdem ſæpe, quas dixi, *teſtudinibus*, & ſcutorum ad ſcuta connexis, (quaſi ſquamatim,) clivis, ac faſtigiis, ſuperſtantes: pérque commilitonum clypeatos vertices, atque colla, ſcandentes, alii ſuper alios, tam agebant indivulſè, tam pertinaciter urgebant opus ; ut murorum tandem altitudinem aſſequerentur, & æquarent. Quoties autem & *in plano*, teſtudinis, adversùs equeſtrem hoſtium incurſum, faciendæ, neceſſitas ingrueret; ſcutorum, quæ ſuprà commilitones in medium receptos elevabant, tam arctè connexa ſeries, tantáq; tegminis univerſi firmitas, erat: ut ſuper eam, illæſam & indimotam, *homines, equi, currus*, incederent, & agitarentur. Quod quidem, quid erat aliud; quàm, tot Romanorum, non jam *manibus capitibúsq;*, ſed potiùs inviciſſimæ *Patientiæ*, cum augmento décoris ipſorum, *inſultare?*

Quid verò jam de *Tolerantia* quoque dicam egeſtatis rerum earum; quas naturæ, vel uſus ac neceſſitas, vel mos & commoditas, ad ſui fomenta, deſiderat? Ut quiſque peregrini moris aut Solis homo veniſſet in eorum caſtra, primìs præſertim ab Urbe Conditâ ſæcu-

lîs : is nullum ullius uſquam luxûs, aut immodicarum voluptatum, deprehendere veſtigium poterat : non *pecuniam abundantem* (*inſtrumentum luxuriæ*); non alia, vel opum, vel ipſius adeò viatici, ſubſidia: quibus deliciæ ventris, & gulæ, mercatu, permutationéve, parentur. *Annîs* propemodum ampliùs, quàm *trecentîs*, militatum eſt, *omnî ſinè ſtipendiô*. Poſtquam autem æs pendi de publico cœptum eſt; vivebatur in diem, *diobolô*: quod erant duæ ſextæ partes Atticæ drachmæ, vel pæne *denarii* Romani; qui *ſeſtertios* (ut ſuprà dixi) *quatuor* continebat. Ità, militis cujusq; gregarii *diarium*, erant *æreoli duodeni*: qui denos nummulos noſtrates argenteos in Germania vix ſuperabant; ac nondum ad *cruciatorum* trium ſummam aſcendebant. *Menſtruum* autem, erant *denarii Romani deni*; qui temporum horum Philippéum, circiter, conſtituerent: ſubſidium vitæ (prçſertim, aſſiduò laborioſæ) profectò vile ſatìs; neque dignum, pro quo *vita* venalis fieret: niſi parabilior, illîs tum ætatibus, quàm hîs noſtrîs, plerumq; quotidiani victûs ratio plebejis hominibus contigiſſet; ac ſtipendii talis anguſtias laxâſſet, ſtatîs, nec unquam temerè fallentibus, diebus, cum cura fidéque

déque præbitum, frumentum: quod ſaltem parte ſtipendii *ſibi* miles comparabat. Præter hoc autem, ſuô tempore, prædæ quoq; pars aliqua, quin & leguminum, ſuillæ, lardi, ſalis, adjectum de publico ſubſidium, tenuitatem ſtipendii ſublevabat: donec ad *Iulii* denique *Cæſaris*, & *Auguſti*, tempora perventum eſt. Hi *quaternos in menſem aureos*, præter frumentum, ac donativum nonnunquam extraordinarium, aliáque vitæ commoda, militi conſtituerunt. quibus addebant & frequentes ad altiora promotiones. Sed nos, de *rebus temporibúsq; Romanorum*, adhuc *tenuioribus*, loquimur: ut &, de *vulgo* duntaxat *militum*; hoc eſt, de *Militiæ Romanæ* multitudine, longè maximâ: quibus, tametſi vel inprimis ad manum fuiſſet aurum, argentúmq; ; *cibum* tamen *coctum*, è *Metelli Numidici*, priſciorúmque, diſciplinâ, nec emere licuiſſet in caſtris, nec vendere: quantumvis, indulgentiâ ducum, id, quod coctum foris erat, & caſtris poſthæc importatum fuerat, abſumi permitteretur. Veſcebantur ergo milites *pane bis coctô buccellatô*: quem, à *menſe dimidiato* ferè, nonnunquam & à *triceſimo* die, præparatum, ipſi *militarem*, Græci verò poſterioris ævi, *paxamádem*, aut *paxamádium*, appellabant. *Bis* autem

autem *coctô pane* deficiente, vel abſumptô; ſuapte manu, tum milites, tum interdum & duces, aut exercitûs imperatores, *panem* ſibi coquebant, deproperatum, extemporalem, ſubcineritium: &, quod indè ſequi neceſſum erat, inſipidi profectò guſtûs, ob idipſum; quòd illius percoquēdi, nec ſatìs *temporis* eis, nec *artis*, (in pleriſque,) fuiſſet in promptu. Quid, quòd ſuperioribus retrò ſæculîs, etiam omni pane repudiatô, *nudô* ſimplicíq; *frumento* ſint in alimentum uſi? quod illi frumentum, vel molîs manuariîs, aut ſaxîs, in farinam qualemqualem fractum, vel adhuc intrà granorum pæne cruditatem manens, redigebant in *pultem*. Eam verò, citra *panem* (utì dictum eſt) *omnem*, citráque blandimenta palati quævis alia, nec *ullîs* adjunctîs obſoniîs, capiebant. Unde *pultiphagorum* proinde nomen, Græco-Latinâ voce, jocantium à petulantiâ reportabant. Talem in modum, nullô *culinarum* in caſtris uſu, paratîs & apparatîs alimentîs; *bis* quotidie cibum capiebant: in *prandium*, inquā, & *cœnam*. ad *prandium*, ferè ſtantes duntaxat: ad *cœnam*, (ſi ſic animo ſediſſet) aſſidentes; non ad menſam, (quæ nuſquā,) ſed ad ceſpitem, altiuſculè congeſtum, & exſtructum: nec tamen id priùs,

quàm

quàm veſcendi-ſignum publicè datum eſſet, & auditum. Hæ lautitiæ, Romani militis *famem* compeſcebant. *Sitim* verò, pellebat *aqua*, ſi locus ferret, *fontana*; ſi negaret, è vicinia fluviatilis, lacuſtris, cœlô-lapſa: quam ipſam tamen ne *merácam* ſemper (ut ità dicam), penitúsq; nativam, haurirent; eam, *acetô* ſubinde fractam, velut *acuebant*. Id potionis genus *Poſcam* nominabant. *Cratéres* eorum, procul argentô, *lignum* erant, eos in uſus *excavatum:* aut, exenterati *cucurbitarum* ventres. Jam verò *domus* ad habitandum, nulla: non *cubile:* non *lectulus*. Sub unico tentorio, durabant milites deni: cum *decanis* præterea, per ſingula tentoria ſingulis. eáq;, *Contubernia* dicebãtur, & erant. *Cubilia*, ceſpes & humus erant: *ſtrata*, gramen, aut ſtramentum. Accedebat ad has omnes vitæ militaris aſperitates, in orbem omnibus rediens, excubiarum, vigiliarum, ſtationum, rigor. *Excubiarum* quidem *minorum*, pro tentoriis etiam tribunorum, ducum, & imperatoris, intrà caſtrorum ambitum: *Excubiarum* autem *majorum*, foris, pro caſtrorum urbiúmq; portîs; quæ *Stationes*, ab ipſa perpetuò *ſtandi* neceſſitate, dicebantur: ac *dierum* erant, magnâq; cura ſervatæ: nec absq; capitis, ſiquis rupiſſet

eas,

eas, certiſſimô ſupremôq; diſcrimine. *Vigiliarum* deniq; miniſterium,*nocturnum* erat, in *portis* maximè caſtrorum, ac foris; quouſq; res, locus,ac tempus, ferrēt, aut expoſcerēt: *quaternas* in *partes*, ac partium ſingularum *ternas horas*,exactum. Ad *partium* verò quarumvis *initia*,ſomni fugam indicebat, hinc *buccinæ* ſonorus clangor; indè clara monitoris hominis vox, VIGILA, MILES! VIGILA! Sollicitudinem interim vigilādi, *fraxationes* etiam acuebant: quæ, *circuitiones* erant *equitum*; interdúmq; *tribunorum*, ac *legatorum*, aut ipſius etiam militum *imperatoris*. Deprehendi porrò, *ſopito* non fuit *impune*: vigiliarum autem inexcuſabili neglectori,*capitale*.

Quæ mihi, taliúmq; ſimilia complura, *Romanorum* in caſtris & armis, *laborum* exempla conſideranti; nec minùs, tot annorum aſperitatem expendenti,quot annos,bellô conterendos, lex militaris præſcribebat: admiratio ſæpe ſuboritur, haud vulgaris, eorum hominum tam conſtantis ac diuturnæ *Patientiæ*; tot rigidiſſimorum munerū, functionum, & caſuum, exantlatione: cujuſmodi (ni fallor) auſteritatem, nec apud *Hebraicas* olim *Sectas* ulla, nec apud *Chriſtianorum* hodie *Religioſos Ordines* facilè

cilè quiſquam, ſeu tironibus, ſeu veteranis, injungit. *Cælum illi mereri debuerant, vitæ ſuæ duritie; ſi cœlo militâſſent, Deiq; legionarium arma ſola, ſinè bonâ mente vel cauſſâ, poſſent efficere*. Dictu propemodum incredibilis, ſed fidei receptiſſimæ, res eſt: potuiſſe vulgò, tot millium multitudinem capitum, ac cervicum, durare ſub ſtipendiis, tam oneroſis; quódque grandius eſt, tot annîs, ac tanto ſtipendiorum numerô. Nam, ordinariâ lege, nemini valenti contingebat, citra *quinquageſimũ*, aut certè *quadrageſimum ſextũ annum*, vacatio, miſſióve: niſi, *ſi pedes* eſſet, ſtipendia viginti; ſin *eques*, decem ſaltem, implêſſet: adeóq; *ſeptimum decimum* ingreſſus annũ, ad annum, ſi pro pedite mereretur, *trigeſimum ſeptimum* uſque, (ſi vel maximè finire militiam feſtinaret) ſtare, bellaréq;, nullâ reſpiratione, cogebatur; niſi mallet ipſe ſuâmet ſponte tardiùs diſcingi: *quinquagenariúsq;*, vel, haud multò maturiùs, abire caſtris. Quòd ſiquem interim, (ut non rarò fiebat), intercipiens in medio bellandi curſu, valetudo corporis, annô quadrageſimô ſextô conficere viginti ſtipendia prohibuiſſet; ſolutus ille tamen militiâ non erat: niſi, *quinquaginta* nactus eſſet ætatis *annos*, jam exactos. ídq; ſolum tempus

eum

eum in poſterum (ſeu quis implêſſet ſtipendia,ſeu quo caſu rerum implere prohibitus eſſet,) omnî ſolvebat armorum jugô. Quæ proinde, cum in hunc ſe modum haberent, circa *militem Romanum:* quid mirũ erat,talibus viris, nullam fuiſſe vim hoſtilem tam impenetrabilem; quin,(quod octavo capite primus *Machabæorum* liber in Romanis celebrat) *locum omnem Conſilio ſuô, Patientiâque, ſubigerent?* Et *Patientiâ* quidem, ut hucuſque vidimus, *Militarî: Conſiliô* verò, tam in Curia *Domì*, quàm *forìs* in Prætoriis caſtrenſibus, expensô. Cujus *prudentiæ*, perquam exquiſitæ,partus, ac ſpecimen,erat, *Ordo* quoq; *ſummus*;& partitio *Generum*, in iis, qui militabant: partitio *copiarum & agminum*:ſeries appellationis-diverſę *ductorum*; & eorum inter ſe gradus, alius alio conſpectior, ornatiórque: *Diſciplinæ* denique,Iuſtitięque militaris,*rigor*. quæ nos hîc ſingula tranſcurſu ſolo delibamus. Aciei verò,cæterarúmque Militiæ Romanæ partium, pulcherrimum, (ſiquis unquam ullas apud gentes alias fuit,) Ordinem, formámq; compoſitiſſimam, exactiùs fuſiúsq; deſcriptam à Tito Livio (*mmmm*), Polybiô, cæteríſq; nonnullis; ipsíſmet ſuis fontibus,auctoribúsq; primis,relinquimus.

Ac

Ac *Genera* quidem, apud Romanos militan tium, erant univerſaliora, tria: *Civium, Sociorun* (ac præſertim Latini nominis) & *Auxiliorun* Inter quæ Tria genera, *Cives* quidem con ditionibus iis, quas ſuprà diximus, milita bant; *Socii* nominis Italici (priuſquam poſter tempeſtate deficerent) *gratuito*; ſi tamen fru mentum exciperes. *Auxilia* verò, vel *mercede* plerumque, vel interdum & *Tributi* locô Quibus addo: *Civem* fuiſſe Legionarium; *Socios* autem, ac militem *Auxiliarem*, Alas & Cornua. *Particulariùs* verò, *Pedites* erant, & *Equites*. Peditum in numero, milites erant ii, qui dicebantur *Leves*: quorum nomine cenſebantur, quos *Rorarios*, *Accenſos*, &, peculiari vilitate, *Velites*, appellabant. quod ipſum tamen *Velitum* nomen, paullatim in univerſam *Levis ordinis, & armaturæ, militiam* extēdi cœpit Præter *Velites* autem, alii quoq;, ſed conſpectioris gradûs, *pedites* erant: *Haſtati*, *Principes*, *Triarii*. Qui porrò *velitarem* inirent *pugnam*; ætate, cenſu, viribus, ut plurimùm, erant infimi, feréq; ſemiermes; &, pro fronte totius aciei, præliis propemodum in omnibus, hoſti, *tanquam in laniena principium*, expoſiti: ſic, ut nec ſigna propriè, nec manipulos, haberent, ſibi peculiares;

ſed per omnes eſſent generum aliorum manipulos diſperſi. Quiſquiliis *velitum* (quod militum genus tandem abolitum eſt, & ad ſolius jam nominis reliquias redactum) firmiores erant *Haſtati*; ſic dicti, quòd antiquitus *haſtis* pugnam conſererent. Ii ferè *Iuvenes* erant; tironum annos, & imbecillitatem, ſupergreſſi. *Principes*, haſtatîs robuſtiores; & *virum*, vel jam *orſi*, vel paullò pòſt orſuri. *Triarii* denique, qui *Tertiarii* quoq; dicti ſunt; quòd in acie, velitibus inſuper habitîs, *locô* ſignorum *tertio*, pugnarent. Iidem autem & *Subſeſſores* dicebantur: quòd, alterô genu preſsô, ſiniſtrôq; levatô modicè porrectôque crure, ſcuti levandi cauſsâ (ſub quo contra vulnera deliteſcebant), ad ſuum uſq; tempus, & uſum, locô ſuô velut in inſidiis *ſubſidebant*; donec, ad exſternandum graviùs hoſtem, repentè tandem conſurgerent: & in dimicationem proſilirent. His iiſdem (*Triariis*, inquam) *Pilanis* quoque nomen erat. quia, *Varronis* teſtimoniô, *pilis* antiquitus, poſtea tamen, *haſtîs* etiam, ad ora fodienda, præliabantur. Nec diverſi, niſi vocabulo ſolô, fuerunt ab *Armitibus*: tanquam *armatîs*, in ordinem poſtremum, maximéq; neceſſarium, ſepoſitîs ac reſervatîs. Hujus porrò generis (*Triario-*

ariorum, putà) *ſexcenti* ſemper, in omni legione, ſub ſignis ſic erant: ut, quamvis cæteri generis milites, cum augmento numeri legionum, augeſcerent, aut cum earundem decremento decreſcerent; ipſi tamen eundem intrà numeri terminum, perpetuâ lege, ſubſiſterent.

Singulis autem ferè generum iſtorum, diſtincta peculiariſq; ſpecies erat *armorum*: ac ſcilicet, ſua cujuſque functioni conveniens. Cùm autem *pedes* Romanus *Legionarius* ſemper eſſet,(ſicut *Macedonicus*,& reliquæ *Græcia*, componebatur *in phalangẽ*): Romani peditatûs, & agminũ, certis ſub Signis, capitibus, ac Ducibus, agentium, hæ *Partes* erant. *Contubernia* primùm (nam, à *minimis* etiã rem hanc exponi, diſplicere nõ debet) ſub Decanis. *Centuriæ*, ſub ſui nominis capite: quas priſci Centurias, etiam *Ordines* dicebant; & eos, qui præerant, Ordinum-ductores. *Manipuli*, ſub binis ſinguli Centurionibus. Suprà Manipulos, *Cohortes* erant, ſub Ducibus; ævô maximè Principum: inprimiſq; *Prima* cujuſq; legionis *cohors*, & maximè *Prætoriana*, ſub Duce ſelectiſſimo. Sed & ſub Centurionibus *Cohortes*, ac præcipuè ſub *primorum Ordinum Centurionibus*, agebant. *Le-*

giones autem, ſub Tribunis. *Exercitus* demum *univerſus*, ſub *imperatore*; qui videlicet imperium, adminiſtrandi ſuîs auſpiciîs belli, cepiſſet à populo. quem militiæ magiſtratum Veteres (ut in Novellis Juſtinianus adnotavit) *Prætorem* appellabant. Juxta tamen Imperatorem, & *Legati* curabant, plures, aut pauciores, utì res poſceret: ſinguli ferè, ſingulis in legionibus, aut bini quoq;; verùm imperatoris, (ſi ſic uſus ferret), ſubinde *vices*, ſemper autem *nutum* & *imperium*, obeuntes: ideóq; poteſtate, *Tribunîs* quidem altiore, ſed imperatori tamen *ſubſtitutâ*; belliq; legibus ei devinctâ. Cæterùm, in *Equitatu* quoq; *Romano*, tam *Generum* erat, quàm *Partium*, Ordo; non omnino prętereundus nobis. *Generum* quidē *primò*: quòd alii *Cives* eſſent, generis uniùs omnes; & hi, *legionis unius Trecenti*, Turmis decē comprehenſi, ſub *Alæ* titulo: ſicut & *Sociales* alii, numerô geminato, *ſexcenti*: quorū, qui dicebantur *Extraordinarii*, ducentîs conſtabant; *Alares* verò, quadringentîs *equitibus*, & ipsîs, decem in turmas, ſed numeroſiores, diſtributîs. *Deinde*, quòd, etſi *Levem Equitatum*, more Numidicô, non haberent è corpore Romano: *Cincluli* tamen erant alii, pleriſq; Romanorum in bellis; iiq; numero potio-

potiores: alii verò, *Cataphracti*. quorum *hi quidem*, (*Clibanarii* quoq; Sarmatis nominari ſoliti) loricâ ferreâ, vel æneâ, pectus, tergum, femora, manus extremas, & cervicem, contegebant, ad caput uſque. Caput autem, caſſide ferreâ circumſeptum, muniebant. *Illi* contrà, (prioris, inquam, generis *Equites*, qui, præter *Cinctulorum* nomen, *Trabeati* quoq; dicebantur) veſte duntaxat adoperti, ſuper quam, ut expeditiores eſſent, *cingebantur* (& indè nomen illis): cæterà, leviter adeò tegebantur; ut, quamvis nullo pedum equeſtri fulcrô, facilè ſe celeriterq;, quoties opus eſſet, in equum jácerent: facillimè quoq;, cùm res poſceret, indidem deſilirent. Nec tamen *inermes* in hoſtem ſe concitabant: inſtructi, non modò parmîs coriaceîs, *placentarum umbilicatarum* ſimilibus, in cetræ morem ac figuram; ſed inſuper, dextrum ad latus, oblongô gladiô: manúque, *contum* longum, vel nonnunquã & *haſtam*, qua cominus hoſtem eminúsve transfigerent, vibrante. Nec deerat capiti *caſſis*; etſi rariùs antrorſum oculis ac faciei præducta: quæq; non omnem vulneri viam præſtrueret. In *pharetra* denique, (ſi fortè gladius inter pugnam, aut contus, uſum ſui perdidiſſet), ternæ quaternæ-

væ fixę ſervabantur *haſtæ-jaculatoriæ* breviores. *Ordo* verò partiū Equeſtrium, Decurię fuerunt, ac Turmæ; quæq; peditem, hinc & hinc, à lateribus acierum prevelarent, *Alæ*: tametſi *peditibus* & hæ miſtæ. Continebant autem hæ, tum ſimpliciter *Alares* dictos, *equites*; tum alios quoque, quibus *Ablectis* nomen erat, tanquam *Excerptis, ſelectis*, & *equitum flori*. Jam *Decuriæ*, Denos habebant equites; Decurionem unum. *Turmæ Civiū* ſingulæ, tricenos, aut & tricenosbinos, equites; ut Hadrianus numerat: *Sociales verò* turmæ, quadragenos. Unde fiebat, ut hæ quidem Decurias continerent quaternas: turmæ verò *Civium*, ternas, ac *decuriones* totidem: quorum primus, *Præfecti* quoq; nomine, (ſed *Equeſtris*), honeſtabatur. *Decurionum* autem ſinguli ſingulos alios aſſumebant ſibi, vicem ſuam expleturos: quos & *Optiones* dicebant, & *Vrágos*. Equitum *Ablectorum* Turmæ, quadragenos numerabant *Electos*: qui juxta Conſulem, aut imperatorem exercitûs, in agmine, caſtris, & pugnâ, ſemper, & individui, ceu *Salutis cuſtodes*, verſabantur. In *Legione* porrò quavis, *Turmæ triginta*, trecentos continebant equites.

Verùm, ad *Peditatum* revertimur: In quo, *Con-*

Contubernium priſci moris, ac nominis, (nam id poſtea, prolabi jam cœptîs Imperii rebus, immutatum eſt) *undenos* tenebat milites; ſi Contubernii cujuſque *decanum* ſimul connumerares: velut ſuperiùs dicere cœperamus. *Centuria* quælibet, (quam, & *Ordinem*, dicebamus, fuiſſe nominatam), in *veteri legione*, non *Centenos*, uti vulgus è vocabulo conjectat, ſed *ſexagenos*, pedites numerabat; ſub ſuo quæque *Centurione*. Centurio porrò, *Succenturionem* ſibi deligebat: qui vel agmen cogeret (ut ſępe); vel vicem *Centurionis* impleret, quoties uſus ferret, aut exigeret. Et hos quidem, utpote præ cæteris optatos adoptatósve, dicebant *Optiones*; ut agminis verò coactores, *Vrágos*: olim autem, cùm eos adhuc *Tribuni* centurionibus darent, etiam *Accenſos*. Jam verò, ſupra Centurias *Manipulus*, Centuriîs *binîs*, totidémque Centurionibus, ac Centurionum Optionibus; *peditibus* verò *centenîs vicenîs*, conſtabat. *Cohors* autem (quæ *Spira* quoque, ſubindéq; *Numerus* etiam, dicebatur,) *manipulos* continebat *ternos*: & *pedites* (quoties juſta cohors eſſet Legionaria) *quadringenos vicenos*, adeóque manipulos auctos. etſi, cùm & hi pleniores eſſent, & auctiores Legiones; *quingenariæ* quoque *Sexcena-*

riaq; cohortes, in priſcis bellorum Actis, reperirentur. Ut proinde gratìs hîc ferè, pro variorũ ſenſu Scriptorum, tricetur, numerúmque militum in *Cohortibus* variet, Hadrianus Junius, qui rectè tamen idem, & *Cohortem* agnoſcit eam, quam *Millenariam* appellabant: quámq;, *mille centum quinque peditibus*, ac *centum triginta duobus equitibus loricatìs*, conſtantem, non, niſi ſolam unam, *Legiones ſingulæ*, ſub *Aquilæ* ſigno, continebant. & hoc, è *Vegetii*, quem *Hadrianus* adducit, fide. *Legionis* unius denique, *Contubernia* trecena ſexagena; *centuriæ* ſexagenæ; *manipuli* triceni; *cohortes* denæ: *Centuriones* ſexageni, cum *Succenturionibus* totidem: *Tribuni*, ſingulas in legiones, ſeni, qui legionis regimen per vices, & in diem, alternabant; bini, binos in menſes. Quod proinde dignitatis genus, ut obtingere poſſet minùs paucis; *Semeſtre*, proceſſu temporum, factum erat: & unus, in diem unum, in alterum alter, permutatîs cum collega vicibus, in Legione curabant. Sed *Legionis* interim *numerus - militum*, haud ſemper idem; nec, utì *Triariorum*, invariabilis. Quæ namq; Legio, primîs, & adhuc ſatis anguſtîs, Romanæ rei temporibus, *trium* fuit *millium*, paullatímq; deinde *millium quatuor*,

tuor, &, bellîs Annibalicîs, *quinque millium*: ejus, ſub *Scipione Majore*, copias in *Africam* tranſportaturô, *ſenûm millium*, in legiones ſingulas,multitudo fuit: adjectîs,ad earum quaſdã, *ducenis* prętereà peditibus, equitibúsq; *trecenis*. Quin, nec ipſarũmet earum *Legionum* univerſim, ſeu *plenarum*, ſeu *diminutarum*, certus erat, ac lege fixus, numerus: ſed, ad hoſtilem plerumq; multitudinem, virtutíſque famam, metum,aut præjudicium,accomodatus. *Legiones* autẽ illę *binæ* junctę (ſicut ferè,*Romã* paullatim invaleſcente, fieri ſolebat) totidem *Sociorum* additô numerô, cum octingenis ſupra millenos Equitibus, adeóq; *millia militum univerſim octodecim*, in omnes ibant hoſtiles acies; & cum victoria plerumq; ,ſpoliisq; memorandis,redibant. Deinceps tamen,aliquouſq; ſaltem, Romani *quaternîs* haud ampliùs *Legionibus* implebant caſtra ſua: *Conſulum annuorum* utroq; *geminas* pro ſe ſingillatim conſcribente *Legiones*. Sed ulteriùs, in hoc, *recentior* urbis Romanæ proceſſit *ætas*: paullatímque, per numerorum gradus, aſcendit. Ità *Julius Cæſar*, in *Germanos* & Arioviſtum *legionibus ſex* pugnavit. Sic idem,in Græciam moturus,adversùs Pompejum, *Legiones* Brundiſium accerſierat *duodecim*,

cim, & equitatum magnum: cùm adverſùs eum, è diverſo, Pompejus Dyrrhachium contraxiſſet, *Legiones* quidem civium Romanorum (ut quidam tradunt) *novem*; ſed *auxiliares* prętereа *copias*, è gentibus, & à Regibus tranſmarinis, immenſas; equitatum permagnum; claſſem in Ionio mari validiſſimam. *Juſtus* autē *Lipſius*, primô *de Militia Romana* librô, ſubnotâſſe ſe jam alio loco, memorat; in illud ipſum Civile bellũ, ſparſas varia per loca *legiones*, pluſquam *quadraginta*, ſub ſignis, vel altrinſecus, vel utrimq; ſaltem, fuiſſe. nec id nullô penitùs, antecedentium Romæ temporum, exemplô: cùm & *Cornelius Cinna*, Cæſaris ſocer, cohortium multitudinem tantam, in factionem adverſam, è novo ſolo civium delectu, confeciſſet; ut *triginta* legionum copias unius ſolius imperatoris exercitus æquaret. Quanquam autem hunc *Duces* illi legionum numerum in bella tunc traherent; ac non paullò majorem quidam, poſt eos, ſeu *Triumviri*, ſeu *Romanorum Principes*, aut, qui Principum auſpiciis bella foris adminiſtrabant: vulgò tamen Exercitum *juſtum*, ac ſuffectũrũ, (qualem *Craſſus*, cognomentô *Dives*, à *divite* cenſebat alî poſſe debere poſſeſſionum è fructibus) judicabant

cabant viri,rerum bellicarum intelligentes;honeſtè *ſenis legionibus*, non nimis imminutîs,cum adjunctis peditum equitúmq; validîs *auxiliîs*, confici,præliorúmq; diſcrimini committi. Nec enim ſemper, & in quemvis hoſtem, tantam armatorum requiri colluviem; quantam, in Macedonem Alexandrum,ut plurimùm,ducere ſe, gloriabatur Darius, Perſarum rex: neque copiam tam ingentem; quantam, (auctore Liviô,) *Cælius*, Annalium Romanorum ſcriptor, exiſtimavit, ab *Africano Majore* fuiſſe navibus impoſitam, adversùs *Carthaginem* è *Sicilia* trajecturô. quorum ſanè numerus militum, omnis generis, tam immenſus fuit; ut, eorum clamore perterritæ, quæ ſupra Lilybæum, ac littus, volitabant, *aves*, in terram ex alto deluerent: & Italia Siciliáq; ſuîs incolîs eſſe destitutæ viderentur.

Porrò verò, ſuis quæq; ſub *Signis* potiora genera, *Partésq;*, tum in acie, tum & extra pugnas,& in expeditionibus agminéque, *componebantur*. Suum igitur, (quod ad *Legiones*, adeóque *Peditatum*, attinet,) *manipulo* cuiq; *Signum* erat. Quæ quidem, *Signa* propriè; non autem perinde genuinô ſemper vocabulô, *Vexilla*, dicebantur. *Legionis* autem *cujuſque* Signum erat,

rat, *Aquila*: nec unius, plures unâ: ſub quam, non *Cives* ſoli, ſed, quidquid *Sociorum* etiam, & *Auxiliorum*, ad unamquamq; legionem ſpectabat, ſubjungebantur. *Cohortium*, apud Romam antiquiorem, peculiaria *Signa* fuêre nulla: poſterius autem apud ævum, *Vexillorum*, uſus fuit. Et indè factum eſſe, rear; ut nomen *Signiferorum* (qui *bini* cuiq; manipulo dabantur, viribus animi corporiſque præminentes) cum *Vexilliferorum* nomine cõfundi promiſcuè cœptum ſit. Singillatim autem, *Vexillorum* uſus, (ut & *Vexillariorum*, qui geſtabant; ac *Vexillationum*, hoc eſt, Equeſtrium agminum, & Alarum,) propriè quondam penès *Equites* erat. Eáq; *Vexilla*, *purpurea* ferè, nudéq; purpurea; nonnunquam autem, *aurô* quoq; mixta: *vela* fuerunt modica, formæ quadrangularis, & ad haſtam expanſa. quæ tamen, quoniam in pyramidem fortaſſe bifidam earum figura quondam, (ut hodie ſæpe) deſinebat; *Flammulas* ſua dixit ætas. *Equitum* ergò *propriè* (quod dixi) *Vexilla*, Vexilliferíque; ſicut *Manipulorum Signa*, Signiferíque: *Legionum* autem, *Aquilæ* fuerunt, & *Aquiliferi*. *Signa* porrò *Manipulorum* antiquiſſima, non aliud erant, quàm, fœni ſtraminiſve faſcis, prælongis perticis alligatus. mutata tamen,

men, procedentibus Reipublicæ ſæculîs, in *Haſtile* fuerunt; cujus capiti tigillum eſſet tranſverſum impoſitum, *Crucis* figurâ, cum *manûs effigie* ſuperimpoſitâ: quæ res inſpicientibus *operam conjunctionémq; manuum*, in pugnis præſtandam, ingereret, & commendaret. *Aquila* verò, præcipui terrarum *Imperii* notiſſimum *Inſigne*, ſuper ſuam & ipſa perticam, interdum quidem baſi culminis illius inſiſtebat; extenſîs pinnîs, quaſi volatui parata: fulménque, comprehenſum unguibus, tenens, jactum minitabatur; quantumvis corpore, non pro minis magnô. nonnunquam verò, pro fronte perticæ, ſubtus arundinis faſtigium affixa, faciémq; cum corpore cætero, ſpectantibus antrorſum ingerens; rapere quodammodo, diriperéque, jubebat, ac lacerare, legiones adverſarias: ſicut aquila viva prædam ſuam vivam concerperet.

Non raro tamen, haud *Aquilarum* duntaxat ſimulacra Romani milites, ſed *Carnivororum animalium* etiam *quadrupedum*, effigies præferebant; putà, ferocis Equi, Minotauri, luporum, aprorum, & porci villatici. *Signorum* quoque *manipularium* non eadem ſemper, & apud omnes, erat forma: quibuſdam, *Martem*, aliîs *Her-*

Herculem, aut *Romulum*, ſimilésq; Semideos aut Deos, ſibi præferri, gaudentibus. quibus, poſt *Rempublicam collapſam*, ſi vultus etiam *Imperatorum* inſererentur (ut in *Aquilarum* Signis ferè fiebat); eorum ſigniferi, jam quodammodo celſioris ordinis, *Imaginarii* vulgò, vel *Imaginiferi*, dici conſuêrant. quod honoris, iis potiſſimùm obtingebat, qui *Signa* geſtabant ejus generis, quibus ſupernè *Principis* inſcriptum nomen eſſet: aut illis, qui, poſteris ætatibus, *grande velum* illud anteferebant, quod *Imperatorū* nomen, *puniceis* expreſſum *litteris*, oſtentabat. Idque Velum, ævô ſequente, *Lábarum* appellari cœptum eſt. *Draconarii* demum ii vocabantur: qui *Draconum* imagines, haſtarū aureis ac gemmatis capitibus innexas, & ventorum interim, intrà vaſtum oris rictum collectorum, turbine ſibilantes; non ſinè caudarum rauco ſtridore quatiebant. Id fiebat, ad hoſtium augendam, etiam *ex vano*, formidinem: quæ non rarò formidinis, *ex vero* conceptæ, pondus habet, & exſuperat.

Hucuſq; formam ſpeciémq; vidimus *Signorum militarium*: quæ, ſeu ſtatuerentur in medio cujusq; manipuli, ſeu pro fronte; præ ſe vallum habebant prędu ctum militum eorum,

quos

quos,voce, *muneri propriâ*, (quamvis alioquin & agmini primo toti communis eſſet) ſolebant *Anteſignanos* appellare. *Signa* porrò, *grave* Signiferis *pondus* erant; quoniam molis preſſæ doloſæq; : *gravior*, & iſtis, & anteſignanis, *cura*; ne venirent in hoſtium manus: utpote, quos, ad ea rapienda, non ſolum victoriæ provocaret *decus*, ſed materiæ quoq; *pretium* ſollicitaret. Omnium enim *haſtæ Signorum*, erant argentô cluſæ. *Signorum* autem imagines, apud priſcius ſæculum, è ſolido ſaltem argento; quò longinquiore locorum è ſpatio conſpicerentur, ob *nitorem*. Poſterior ætas, *aureas* eas fecit: & inprimis *Aquilam*. etſi, Criſpi Salluſtii teſtimoniô, *Catilina* quoq;, (ſed privatâ duntaxat auctoritate), motô patriæ bellô pugnans exiguîs copiis, *propter Aquilam adſtitiſſe*, memoretur; *quam habuiſſe bellô Cimbricô C. Marius in exercitu, dicebatur*. Eam tamen, quam dixi, Marianam *Aquilam*, tanti licèt imperatoris, in prima *Catilinariâ* Marcus Tullius Conſul, aliam negat, quàm *Argenteam*, fuiſſe. Sed interim, cujuſcunq; metalli pretiíve, vel *Aquilæ* fuiſſent, vel *Signa* Legionum *manipularia*; venerabilia Romanis erant: bellîſq; motîs, è templo *Saturni*, (quod pecuniam quoq; publicam ſervabat),

bat), deprompta; finitîs bellîs, eodem referebantur: ceu Populi Romani, non *Libertatis* magìs, quàm *Opum*, vigilax cuſtodia. Sępe tamen, & in *hoſtem*, ſupremíque certaminis diſcrimen, ea Signa, potiſſimùm autem *Aquilas*, ipsímet, qui tam ſollerter eas *aſſervabant* in pace, conſultò *jaciebant*; vel intrà vallum, aut aciei medium, inferebant: quò ſecum multitudinem traherent commilitonum, ad ea, ſeu *tuenda* fortiter, cum hoſtium grandi ſtrage; ſeu, cum memorabili *victoria* fœnore, *recuperanda*: pulcrâ ſanè, felicîque, *Temeritatis bellicæ*, cum *Conſilio*, mixturâ.

Cæterùm, haud in *Generibus* tantùm, ac *Partibus*, Romani militis; aut in ſuis agminum quorumque *ducibus*, atque *Signis*: ſed in ipſis quoque *ductorum*, pro diverſo gradu, diverſis *Inſignibus* & *ornamentis*, pulcher erat, &, ad obſequii promptitudinem eis conciliandam, ſapienter excogitatus, *Ordo*. Quorum in numero, ne *Decanis* quidem in *peditatu*, vel *Decurionibus* in *equitatu*, ſuam defuiſſe *notam*; qua ſubjectis ſibi contuberniis, decuriiſque, præfulgerent, ad nonnullam eis reverentiam comparandam: perſuaſum eſſe poteſt. *Signiferi* quoque, præq; cæteris ordinis ſui cunctis, ii, qui

Legio-

Legionum *Aquilas* ferebant, habitu cultúque nonnihil à gregalibus diſtinctô, plerumq; pręnitebant: in horrorem qualemcunque, generoſitatiſq; ſpeciem, ità *Leoninis* in *exuviis* munus ſuum oſtentantes; ut, eis ſeſe contegentes, capite caput, humeris- leonum humeros ſuos, dorſôq; dorſum, operirent: & poſt ſe retrò caudæ flagellum, ſuris incumbens, trahe- rent. *Centuriones*, ſeu *virtutis cauſſâ promoti fuiſſent ad eum ordinem, quem illis fortia facta conciliârant*; ſeu, ſine præviis ullis militiæ rudimentis, ab opibus eſſent, & gratiâ, protruſi: corporis & cultûs habitum, cenſu ſuo dignum, oſtentabant. omnéſque prætereà *Vitem*, ſuæ poteſtatis in ſubjectam Centuriam *Inſigne*, geſtabant. Eâ *vite*, delicta manipularia caſtigabat; & in gregariorū ſæpe ſcapulis eam frangebant: invíſum proptereà *ſeditioſis*, & ad ludibrium, odium, ac *vindictam*, (etiam ſubindè *capitalem*), expoſitū *nomen*: Id, *Principatu* deinde *Tiberii*, docuit Centurionis *Lucillii* calamitas, ejúſque, tumultuantium rabie perpetrata, cædes. quem, Taciti teſtimoniô, *militaribus ſolebant facetiis*, CEDO-ALTERAM, *nominare*: *quoniam, unâ vite, militis in tergo, diffractâ*, *Lucillius Vitem alteram, &, hâc quoque, plagarum ob frequentiam &*

O aſperi-

aſperitatem,diſſiliente, tertiam aliam, quartámve, voce clarâ, flagitare conſueſſet.

Cæteroquin autem, uſqueadeo non inhonori *Centuriones* agebant, (in caſtris præſertim, decretoriiſq; pugnîs): ut & ad *Concilium militare* nonnunquam *omnes univerſim*, aut *plerique*, Ducis ex arbitrio, vel rebus urgentioribus, accirentur; &, qui *Primus* eſſet electus *Centurio*, ſemper ad id, jure conſuetudinéq; caſtrenſi, veniret: cùm is alioquin, *dicendæ ſententiæ*, locus & honor, præ cunctis aliis, poſt imperatorem-exercitûs, Legatorum, Quæſtoris, ac Tribunorum, eſſet: ut è Salluſtiano Jugurthâ, cæteríſq; bellorum veterum conſcriptoribus, docemur. Idem quoque *Centurio*, quem dixi, *Primus*, vulgò *Primipili* quoq; vocabulô celebrabatur: &, *Aquilæ* rectorem agens, in *acie* potiſſimùm, & in *itineribus* agminéq;, ſic ab omnibus obſervabatur, etiam legionis ſuæ *Centurionibus*, (qui, præter eum, *quinquaginta novem* erant), nedum à cohortibus, ac manipulîs; ut in eum univerſi reſpicerent: & ad ejus ſolius unius nutum, nunc procurrerent, atque pergerent; aliàs verò, ſtarent, aut redirent.

De Tribunis jam quid dicam? quos quidem cognomina diverſa diſtinguebant. Quoſdam enim,

enim, *Rutilos* appellabant, aut *Rufulos*; hoc eſt, à populo delectos, ac digniores. quoſdam, *Comitiatos*; utpote Comitiîs, auctoritate Conſulum, aut imperatorum, creatos. Nonnullos ad Tribunatū militarem provehebant, *de plebe lectos*: alios, *de Quatuordecim*, hoc eſt, ex *Equitibus* Romanis: alios de *Senatoribus* quoque, non rarò, vel è *Senatorum filiis*. Et *equeſtris* quidem originis Tribunos, *Clavus Anguſtus* diſcriminabat, ab inferioris progeniei tribunis: *Senatoriæ* verò ſtirpis, aut dignitatis, *Latus Clavus* ornabat. Omnium autem, etiam è plebe delectorum, *Tribunorum, ornamenta* fuêre Communia; *Veſtitus illuſtrior*, & *Aurum* in digito: *tribunitius*, inquam, *annulus*. Par huic ornatui, quin immò, ſplendidius aliquantò, Tribunorum *munus i-pſum* erat; *In caſtris excubias, Vigiliáſque, diſpone-re: diſpoſitis ſollerter obeundis, fraxare: vigiliis ſignum, ac teſſeras nocturnas, dare: curare muni-tiones: imperare, quod in uſum belli milites occupa-ret; inprimisq́, jus dicere diſceptantibus: indicere convictis mulctam; &, quoad exſolveretur mulcta, pignus baſtariâ* (velut loquebantur) *Cenſione ca-pere: nocentes verberare, citra mortem quidem; in-terim tamen, & de capite (nonnunquam ſaltem) co-gnoſcere.* *Legatorum* verò, ſupra *Tribunos*, auctori-

ctoritas (ſi quidem *Conſulares* eſſent, & non *Prætorii* duntaxat), vitæ quoq; necisq; jus, ſed non in viros dignitate præminentes, habebat: & exteriore quoque cultu *tribunos* antecedebat.

Quid autem jam, Legionum omnium *dux ſupremus*, *imperator*: etſi *Conſul* non eſſet, ſed diverſi, vel inferioris aliquantulùm ordinis, & appellationis? Hujus erant, *Auſpicia*; ſuiq; (ſicut illis loqui mos fuit) DI: quos, ſicui vices interdum ſuas mandaret, ei comodabat. *Imperatori*, præſtò lictores erant, cum faſcibus; quos ille, ſiquando latere vellet, & ignorari, tantiſper dimittebat, (ut ille Piſo Tullianus, inglorius è Macedonia Romam reverſus): cum quibus, etiam bellô jam perfunctus, & triumphum ambiens, extra Romam agebat, aut vagabatur, adhuc in annum interdum unum *paludatus*: ſicut & ipſe *Tullius*, è provincia Cilicia, tumultûq; Parthicô, reverſus in Italiam. Cum his lictoribus *faſcigeris*, iiſque *paludatis*, ad tubarum concentum imperator ex urbe, jam ab exordio belli, movebat: &, inter comitantes ſe familiares, amicorúmq; turbam, inter immolationes, votáque, ſe proſequentium, ac deducentium, exibat; etiam ipſe, (ſed ſplendidiùs,

diùs, quàm ſui lictores), palùdatus. Nam & ipſe, ſub idem illud tempus, auſpiciis priùs captis, *paludamentum* aſſumebat, hoc eſt, *militare* quidem *ſagum*, ſeu *chlamydem*, voce generalî militibus etiam aliis, ipsísq; rorariis quoque, communem; ſed imperatori, cultu quodam auguſtiore, peculiarem, ceu *ſupremæ Poteſtatis* Inſigne: colore coccineô, ſeu punicô; niſi, quòd interdum, ſed rariùs, candidô: figurâ, quaſi pallia ferè noſtratia, quæ retrorſum ad medium ſurarum defluerent; ſed laciniis fimbriiſque pretioſè (ſiqua fides vetuſtis quibuſdam eorũ imaginibus adhiberi debet) ſegmentatîs. Paludamenti pars *dexterior*, ſupra ſuum humerũ nodô connexa cum *ſiniſteriore*, retrò, per ſcapulam ac tergum deſcendebat: pars autem *læva*, pro pectore, ſinuosâ quadam laxitate demiſſa; de cætero, ſiniſtrum humerum, ac brachium, ad carpum uſque, retrorſum verò, tergum, ac latus univerſum, liberaliſſimè protegebat: ac Ducem, pro loci munerîsq; ſui dignitate, cohoneſtabat. Accedebat, ad hęc imperatoris ornamenta, decorus etiam, ac generoſior cæterîs, *Equus*; ſtragulô, (quod nonnulli conjiciunt) *puniceô*, vicem *ephipii*, conſtratus: phalerîs item, & aurô, militaribúsq; cæte-

ris inſignibus, exornatus. Et hinc, ex eo quoque, major, apud militum vulgus, ei reverentia ſurgebat: nec apud vulgus modò, ſed & apud capita militum, ac Duces. quæ veneratio necubi vel apud cohortes intercideret, vel inter ipſóſmet duces elangueſceret; eã quotidiana fovebat Centurionum ac Tribunorum, exemplô ſuô, cura. Cum prima namq; luce, legionis cujuſque *Decuriones*- *Equitum* triceni, manipulariúmq; ſexageni *Centuriones*, ad Tribunos unô pergebant agmine; ſalutationis, & officiorum eis pręſtandorum, cauſsâ. Cum iiſdem, ſe deducentibus, ad ipſum totius exercitûs Imperatorem Tribuni properabant. Ità, ſiquando *Duodecim* eſſet *Legionum* exercitus, ab *unius imperatoris* auctoritate pendens: quantam reverentię majeſtatíſq; ſpeciem fuiſſe, credamus; à *decurionibus* univerſim trecenîs ſexagenîs, à *Centurionibus* (ut Tribunos pręteream) ſeptingenîs vicenîs, adiri reverenter, ac frequentari? Quæ res, ſicut ignaviſſimum quemque fortaſſis inflaret; ità, veram animi magnitudinem debebat officii ſui commonefacere: támq; multîs *Gloriæ ſuſcitatoribus* unum cubile circumſtantibus, deſidiæ *ſoporem* excutere.

Non minor autem *militum*, in *Caſtris* quoque

que locandis, tam erga Duces ſuos, & imperatorē, obſervantia lucebat; quàm inter ſeipſos etiam, (utì quiſque gradus aliô gradu ſuperior erat,) ſedium aſſignandarum reſpectus, & honeſtas, erat. Idque, cum *cura*, nec citra ſingulare *Prudentiæ* quoq; *Romanæ* ſpecimen, ſervatum eſt: ſive *noctis unius* aut paucarum, ſive *temporis* etiam *longioris*, caſtra forent. cujuſmodi, per æſtates, *Stativa*; multò verò magìs, *autumnô* jam *ſeneſcente*, menſium multorum *Hiberna*: vel deniq; *Stationes*, quodammodo *Perpetuæ*, complurium interdum añorum, aut decenniorum, erant: ob hoſtilem viciniam. Ejus porrò generis fuêre, *Stativa*, (vel *Hiberna*, cum caſtrîs æſtivìs coñexa), fluminum quorundam ingentium ripis, aut etiam locis, alioquin aliter ad arcendos hoſtes opportunis, impoſita: quæ poſtea celebrium aliquot oppidorum initia, quodammodóq; fundamenta, facta ſunt. quibus oppidis hodiéq; *Caſtrorum*, *Fororúmve*, ſicut ex *Principum* poſtea temporibus, *Auguſtarum*, nomen hæſit. Talia Germaniæ quoque nonnulla loca ſunt: cujuſmodi, juxtà *Rhenum*, inter præcipuos Helvetiorum locos tranſamnanos, *Tiberii-Forum*: ad *Danubii* viciniam, infrà Viániam Guntiámque, *Fabiana-Caſtra* (Γ); Caſtra

O 4 ſtra

ſtra *Flaviana*; Caſtra, vel Auguſta, *Tiberiana* (quam, ſunt, qui, *Ratisbonam* eſſe noſtratē, opinentur); *Acilia*, vel *Auguſta*, vel Caſtra: *Decimæ Quartæ Legionis Caſtra*, quæ, *Flexum* olim urbs, hodie *Poſonium* eſt; ſuperſtitis adhuc *Pannoniæ Chriſtianæ*, caput urbium, ac propugnaculum. Hæc omnia, cæteráq; ferè talium appellationum, oppida, ſuper Rheni, Danubiíq; ripas, aut ad Euphraten etiam, poſita, *Stativa* fuerunt, aut *Hiberna* - diuturni temporis; ab *Romanis* quondam *legionibus*, quoad vincendum aliquid adhuc hoſtium ſupereſſet, inſeſſa. Fuerunt autem id genus *Caſtra*, properatîs illis, & unius duntaxat alteriúsq; noctis alicuius, dieíve, ſedibus tumultuariîs, vel *ampliora* multò; vel certè membrîs partibúsq; ſuis *diſtincta magis*, & in ævum firmiora. Fuerunt enim, *intus* quidem, & armamentariîs, & diverſi generis officinîs, ac fabricîs, & valetudinariîs, cæteríque generis domiciliîs, ac tabernîs, in uſus humanos, inſtructa. *Foris* autem, adjuncta *Caſtris*, alia ſtabant ædificia; lixarum, convenarum, mercatorúmq; caſtrenſium, receptacula: quæ *Proceſtria* propterea, (præſertim, poſterius apud ævum) dicebantur; eò, quòd *pro-caſtris* ſtarent.

Sive

Sive *Caſtra* talia tamen eſſent, hoc eſt, in *diuturnitatem* conſtituta, tanquam urbium caſtellorúmve *Seminaria*; ſive *breviſſimum* tantùm in tempus deproperata: conſtat, *ordinatiſſima* fuiſſe. quorum diviſionis tamẽ ordinem, *generatim* indicare, facilius nobis, ac ꝑpiùs certitudinẽ, eſt; quàm, eum *per ſingula*, citra deceptionis metum, depingere: propter Auctorum, non tantùm *veterum* interdum, ſed magis etiã *recentiorum*, (hęc tamen ex profeſſo tradentiũ), incredibile diſſidium. Quorum in numero, meâ ferè memoriâ (quò cęteros omnes pręteream) inter *Belgas* quidem, *Juſtus Lipſius*, vir Eruditionis incomparabilis; inter *Magnæ* verò *Germaniæ* Scriptores, *Ioannes Roſinus*, *Antiquitatum* & ipſe callidiſſimus: mirum, quàm inter ſe, (ne dicam, & à ſeipſis propemodum) circa *diſpoſitionem caſtrenſem*, abeant, ac varient: Et ſuis tamen uterque *Vetuſtatis* ſcriptoribus, teſtimoniiſque, fulti; ſed aliter alitérque, ſuum in ſenſum, ab utroq; tractîs, & explicatîs. Cujus ſententiæ meæ cauſsâ, quiſquis me, temeritatis nomine, vellicat: is eorum utriuſque, tum *Tabulas* adeat *Caſtrenſes*; tum *diſquiſitiones* earundem expendat: & mecum (confido) ſentiet. Simpliciſſimè fortaſſis, & minùs implexè, labora-

boraverit in hoc; qui *Joſephi Flavii* bellum Judaicum, & in eo, libri tertii ſexto capite, Romanæ militiæ Caſtrorum deſcriptionem, & brevem, & vix in ullo ceſpitantem, conſuluerit. Equidem, controverſîs ac dubiîs prætermiſsîs; quæ cæterîs exploratiora deprehendi, paucîs, hoc locô, trado.

Dimenſio, figuráq;, *Caſtrorum* omnis, ut ſuprà quoq; dictum eſt, erat in quadrum. *Foris* vallô, foſsâque, mœnium ad inſtar, & in oppidorum ritum, cincta; non ſine diſpoſitis, ſuper ea, tormentîs, & catapultîs. *Intus*, ipſa Caſtra, *bipartita:* quorum altera Pars, *Superior*, ab *Inferiore* Parte, ſpatiô diſcernebatur amplô latôque, centenûm pedum antrorſum, à *ducibus* ad *legiones*. Id ſpatium, *Principia* dixerunt; *Archæa* Græcis appellata. Pars Caſtrorum *Inferior*, Legiones habebat; ſed has ipſas, aliquô rurſus ſpatiô, (quinquagenûm pedum), mediô ſuî ſitûs, ac ſedis, inter ſe diſſectas: quod ſpatium, viámve, *Viam Caſtrorum Regiam* (ut opinor) apud *Roſinum* veteres; at apud *Lipſium*, etiam *Quintanam*, appellabant: cùm alio contrà, longè diverſô, ſitu, *Roſino* Quintana, tum Via, tum Porta, ſit. Etſi nomen idem, etiam apud *Lipſii* breviatorem, reperies, *foro* quoque

Qua-

Quæſtorio (de quo mox) tributum: & *Quintanam* alteram, *nudè* ſic dictam; alteram, adjunctô dignitatis diſcrimine nonnullô, *Magnam*. In *Prima* porrò, ſeu, quam dixi, *Superiore*, Caſtrorum parte, *Prætorium* ſtatuebatur; cujus à tergo, *Porta* quoq; *Prætoria*: quam, ut plurimùm, hoſtibus obvertebant. *Prætorium* id, editô ſitû locô, cujus è faſtigio proſpectus eſſet in legiones, & univerſa caſtra; formâ fuit, ſuperiore ſui parte, laqueatâ; rotunditate teſtudineâ: quam idcirco *Tabernaculū*, *Templo ſimile*, Joſephus deſcripſit. Situs illius, in *medio* fuit, non *caſtrorum*, ſed *Ducum*: & in eo, militum ſupremus ductor, hoc eſt, *imperator*, agebat; quem olim (ut ſuprà retuli) *Prætorem* nominabant. Non igitur abs re locus Caſtrorum ille, tabernaculúmq;, nominatum *Prætorium* eſt; &, quòd in ejuſmodi loco sediſſent quondam, ac ſæpe poſtea, *Prætores*; &, quòd illic *jus militare*, (non minùs, ac, *prætoris* è tribunali Romæ, *jus forenſe*), reddi ſoleret. *Prætorii* porrò ſedes, areáque, laxa; continere debebat, non *imperatorem* modò, *lictorúmq;* paludatam turbam, ſed ſervitia quoque, *comitúmque* ſplendidorum agmen: quin & *Senatorum* plerumque, cæteræq́; (præſertim *patritiæ*,) nobilitatis, liberos; qui ſub ocu-

oculis, & ad latus, ſupremi Ducis, militiæ rudimenta ponere diſcebant. quod totum Prætoris aſſeclarum genus, *Contubernales-imperatoris* appellabātur: propterea, quòd in ejus *Contubernio* (gregariîs illîs, de quibus diximus, contuberniîs longiſſimè numeroſiore) degebant. In eodem verò *Prætorio*, quaſi penetrale quoddam templum, exſtructum ſtabat; quod & *Augurale* dicebatur: &, militaribus deſtinata ſacris, *Ara*. Juxta *Prætorii* ſedem, ad lævam (ſi prorſum, ad *Principia*, Legionésque, te verteres) tabernaculum *Quæſtoris* erat: eò, quòd & is in caſtra, (ſicut in *Numidica* quondam *Marii* caſtra *Sylla*), mitteretur. cui proinde ſedi, nomen erat *Quæſtorio*. Tam *Prætorii* verò, quàm *Quæſtorii*, lateribus, introrſum ſpectantibus, *Forum* clarè *Roſinus* adjungit. *generatim* Lipſius, *Forum Geminum* agnoſcit; litibus & cauſſis quibusvis aliis, extra *Prætorium* dijudicandis, accommodatum: & ordinandis, explicandis, eductioníq; præparandis, legionibus perquam appoſitum. Nominatim autem, in *Foro Quæſtorio* (quod Anaſtaſius quoque, *Lipſii* breviator, *Quintanam* etiam dici, notat) utenſilia, resq; cæteras, militi neceſſarias, vænum exponi ſolitas eſſe; legationes item, ac nuntios, expe-

expediri ſueſſe, tradit. Ut adeò neceſſe fuerit, utriuſque *Fororum caſtrenſium* præcapacem fuiſſe locum, & aream. Idem, quem dixi, *Lipſius*, alteri *Prætorii* lateri *Legatorum* adnectit *ſedem*. Utrimq; verò laterum, & ante Prętorii faciem, versùs Legiones & Principia, *Tribunos* locat. Ad tribunorum inde latera, ſed longiuſculè, Sociorum-Præfectos. Juxtà *Prætorium* autem, multò majore jure, cuſtodiæ tutelæq; cauſsâ, conſtituit veteranos *Equites-Evocatos*, cum *Peditibus-Evocatis*, propiùs Valli ſpatium: & hoc, utrimque laterum. at ſuper eos, *Ablectos Equites*: ac, ſtatim his adnexos, ejuſdem cognominis *pedites*, utrimq; collocat. Poſt Prętorium denique, portam prætoriam versùs, *Extraordinarios*, vult, tam Equites, quàm pedites, imperatoris muniſſe tergum. quem tamen, & in contubernio ſuo, militum, amicorum, & comitum cæteri generis, aliquot centuriæ, contra tumultus repentinos, ſtipabant, ac tuebantur. Hæc ferè *Supera* Caſtrorum *partis* erat diſpoſitio: quâ dein *Principia* ſequebantur, & ab *Infera* (ſicut dixi) *parte* ſecernebant. *Principiis* autem veneratio quædam, & cultus, aderat; tum, ob *Signa* manipulorum, illis antefixa; tum ob *aras*, etiam illic exſtructas. *Infera* porrò Caſtrorum

rum *Pars*, Equites habebat Romanos: dein, Legionum Triarios, Principes, Haſtatos: Sociorum præterea (ſed, ad extrema laterum) equites ac pedites; qui Romanos, in medium receptos, ſatellitii quodammodo ritu, ſtipabant. In loco deniq; caſtrorum noviſſimo, maximè verò vallum versùs, Sociorum-Velites; nec multùm digniore conditione, Velites-Civium, agebant. Univerſi præterea Centuriones, à Tribunis locô multùm divulſi; vel vallum, vel illud, quod Legiones, Inferámq; caſtrorum partem, medium interſecabat, ſpatium, (*Quintanam*, inquam), ſpectabant. In ſumma: tam Equitum decuriones, quàm Ordinum pedeſtrium ductores, hoc eſt, Centuriones, Polybii *teſtimoniô*, locabantur ad vias, in utroque capite cujuſque manipuli: juxtáq; Signiferi; quos, (ut non ſemel dico), binos unuſquisq; manipulorum habebat: ut alter alterius, in laſſitudine, vicem ac locum expleret. In hunc ergo modum, à ſummo capite ducum militarium, ad imos uſque, reverentiæ decus, intrà caſtrorum quaſi viſcera, ſervatum à metatoribus fuiſſe, cernimus. Sic autem in *Otio* cultos, & intrà caſtra, *Duces*; par erat, & in *Acie* poſtea, fortitudinis ſuæ documentîs, ſuî, quemq;, reve-

ren-

rendi cauſſas augere. Cæterùm *Aciei*, talis, in ſumma, fuit ſeries, apparatus, progreſſus, exitus.

Quoties è caſtris exeundum in hoſtem, jam inſtantem, erat; & extra caſtra demum (quod ferè contingebat) *acies* inſtruenda: ſi temporis id ratio ſpatiúmq; permitteret; *Signô* miles admonebatur, ad egreſſum pariter, ac pugnam. Id porrò *Signum* ferè gemini fuit generis: *mutum* unum, alterum *vocale*. Signum dimicationis *Mutum* erat, *Tunica*; vel interdum & *vexillum*, altitudinis magnitudinisq; conſpicuæ: coloris ruſſi, cruorísq; fundendi neceſſi-tatem indicentis. Id, in ſupremo Prætorii faſtigio defixum, expandebatur in haſta perticâve longiore. quo *Signô*, licèt tantummodo conſpectô, clarè ſatis, & qui præſtò tunc eſſent *in caſtris*, & qui negotii cujuſcunq; cauſsâ *foris* gerent, admonebantur: ut, imminenti rerũ articulo ſe ſimùl, & arma ſua, parantes, convenirent. Signum verò *Vocale*, tum egreſſionis è caſtris, tũ propinquæ pugnæ, Flavio quoq; Joſepho, Romanæ militię non inexperto, notum, ac libro *belli Judaici* tertiô deſcriptum; tale fuit: quod idcirco *Signũ Profectionis* à Livio dicitur; *itinerarium* autẽ, ab Ammiano Marcellino. Cabat, idoneô locô conſtitutus, &, ex quo percipi

cipi vox inſonantis undequaq; poſſet, *Tubicen*: ad cujus ſonitum, continuò tabernacula deponebantur, & vaſa colligebantur; in ſarcinas componenda. *Primum* id erat *vocalis* generis Signorum: cui *Tubam* Joſephus unam aſſignat; cæteri ferè, plures; quandò, *Claſſicô* datum fuiſſe *profectionis ſignum*, tradunt: quod ſanè *claſſicum*, ſine multitudine cannarum vocalium, non erat. Huic autem, ut & Signis ſequentibus, adjunctus *militum* vulgò *clamor* erat: origo nimirum ſollemnis illius loquendi-formæ, qua *Clamari*, *Conclamariq;*, *Vaſa* dicebantur. Sequebatur, haud multò pòſt, *tubarum* concentus *alter*; profectionis egreſsûsve maturandi *Signum-Secundum* appellatum: ad quod, mulis ac vehiculis imponere ſarcinas, & vaſa, jam compoſita, jubebantur; quæcunque non ipſi ſecum milites erant aſportaturi. Celeriter autem hæc expediebant: paratiq; deinceps, tanquam in carceribus *equi Circenſes*, egreſsûs articulum exſpectabant. Nonnunquam autem, & *caſtra*, (præſertim ea, quæ perpetuum valere juberent, aut, quæ paullò pòſt, hoſte ſuperatô, caſtris erant melioribus permutaturi); facibus injectis vaſtabant, ac delebant: ne mox, ſi prorſus integra remanerent, nec ipſis ullo modo

modo prodeſſent; & hoſti, laboris ſedíſq; *compendium* afferrent. His verò ſic perfectîs, *Tertium* inſonabat, ac planè *decretorium* quaſi *Signum*, tubîs, buccinîs, ac lituîs, ſimùl universîs, claſſicô jam abſolutiſſimô, concrepantibus: quod, militarium poëtarum quidam, *Omnia pariter Æra concinere*, dixerunt. Erant enim ea bellici carminis inſtrumenta, præſertim à mediis Reipublicæ Romanæ temporibus, ex *ære* ſaltem: & jam non, uti rudibus quondam ſæculis, è *bubulo cornu*, compactîsq; lentiorum arborum corticibus. Unde nomen traxerunt *Æneatores*: qui, *manipulo* cuiq; turmæq́; peculiares, *Legionibus* verò communes; hîc quidem, ad Aquilam, illic autem, ad ſua ſinguli Signa Vexilláque, conſiſtentes, certamen & aciem ncendebant: alii quidem *Tubîs*, hoc eſt, arundinis *directæ* canalibus *æneîs*, ſine vel exitu diductiore: *Cornibus* alii, ſeu *buccinîs*, quæ *flexum* ęs, & prorſus incurvum, habebant: alii deniq; *Lituîs*, quorũ *extremitas tantùm* adunca, canalis verò, neque grandis, neque latus & diductus; vóxq; propterea compreſſior erat, ac ſtridula. Quamvis igitur, Primô Secundóve profectionis aut pugnæ ſignô, tubæ fortaſſe ſolæ ſubinde, lituíve ſoli, ceciniſſent: in *Tertium* tamen,

ac *Pugnæ* præſertim conferendæ, *Signum*, quidquid in caſtris, aut locô certaminis, tubarum, cornuum, ac lituorum, eſſet; id unanimî concētu coibat, & conſpirabat. ídq; *Claßicum* erat *conſummatißimum*; ardore mirô militares animos, etſi priùs quandoq; ſubtrepidos, ad incurſum hoſtilem inflammans.

Quod autem dicere cœperam, ad id revertor. *Tertiô*, videlicet, hôc *Signô*, progreſſum, & è caſtris exitum, urgente; tota movebatur expeditio: nemóque non geſtiebat in egreſſum. Quos ut acriùs, ſeu *Præco*, ſeu *dexter* imperatoris *Accenſus*, incitaret: ter, vocibus Latinîs, exercitum alteruter interrogabat; *Ecquid Egreſſui, prælióq;, paratos ſe profiterentur?* (*promptitudinis* enim, *ac procinctûs ad pugnā* exacti, ſignatè *Flavius Joſephus* meminit): Perinde, tanquam ex eorum ore, de militum animis, ferendum eſſet judicium. Conclamantibus autem in hæc altùm univerſîs, &, elatîs in ſublime manuum palmís, alacritatem abitûs in præliū ſignificantibus: procedebant, qui proximi portæ ſtabant; eóſque tota ſequebantur Caſtra. Procedebant verò caſtrorum omnia membra, ſuis cum Armîs, gradui cuique reſpondentibus. *Velites* enim, gladium Hiſpanienſem, punctim,

ac

ac profundè, ferientem: haſtulam, longitudin
tripedalî, craſſitie virilis digiti; ferrô, digitorum
duodecim, ſed molli; quódque primô ſtatim
conjectu tortum inflexúmque, retorqueri non
poſſet ab hoſte tactô, vel ſauciatô. Parmam
præterea ligneam, rotundæq; figuræ, coriô ſuperinductô
veſtitam, &c, â ſui mediô, pari quaquaverſum
dimenſione, tres ad pedes extenſam. Galeâtum illîs deniq;, pelle, lanâve denſâ,
caput erat. *Haſtatorum* autem, ac *Principum*, & *Triariorum*, ad lævam erat *Scutum*, ſeſquiduorum
pedum latitudinis; quatuor autem, & ſubinde palmi præterea, longitudine.
quod proinde differebat â *Clypeo*; cujus undiq;
rotundus erat ambitus: ac figura, juſtum ad
orbem exacta. *Scutorum* autem, alia quidem
aliis, erant in uſu: quippe, plana nonnullis;
niſi, quòd in *umbonem*, mediô ſuî, conſurgerent;
aliis *imbricáta*, quæ ſcilicet introrſum, &
utrimq; laterum tenus, in modum ſemicanalis,
devergerent: ad haſtas, ac tela conjecta, detorquenda.
Gladius autem & illis erat *Hiſpanienſis*, firmi mucronis; & ictûs, utrimque validè
penetrantis. *Ærea* quoque *galea* caput
tegebat; non diverſè tantummodo, ſed & multipliciter
quibuſdam, *criſtata*. Quæ proinde

P 2 varie-

varietas, minùs jam admiranda faciebat Pyrrhi regis *hircina cornua*, tot novîs aliîs criſtarũ formîs inventîs: qualia fuerunt, (præter pavonum aliarúmq; volucrum caudas, & conſertas plumas,) capita quoq; ferina, rictúsq; belluarum, & equorum jubæ, galeis affixæ. *Criſtæ* verò, ſæpenumero trífidæ: coloris autem, apud diverſæ ſortis aut fortunæ milites, etiam ipſę diverſi; putà, punicei, candidíve, (qui ferè *digniorum*,) & nigri, qui *viliorum* erat. Pectus, & tergum, *loricà* muniebantur; vel è lamina *ferreâ*; ſeu quis mallet, *æreâ*, ſuprà pectus, digitorum undequaq; duodecim. ſæpe quoq; (quod opulentiorum erat), è catenulis æreîs, aut ſquammîs plumîsq;, non minùs *aheneîs*, ſed *aurô* nonnunquam interlitîs: quas loricas, Latinus loquendi mos *Hamatas*, ob *hamorum* in catenulis ſimilitudinem, appellat. Duplicis autem generis erant eædem. militum enim quoſdam *lorica ſimplex* tantùm, & ſupra *pectus* ſcilicet, obarmabat. aliorum verò, *tergum* etiam muniebant: propterea, quòd pars loricæ poſterior, ad utrumq; latus, anteriori parti fibulîs conſerta necteretur. *Crura* quoque, (pedis, inquam, non *ſiniſtri* tantùm, ut aliarum olim gentium quarundam, ſed *utriusq*), ferreæ, chalybi-

lybinæve, vel *ærea* laminæ, tegumētô, tanquam *ocreâ*, ſaltem antrorſum, operiebantur; adverſùm ictus, ac tela. Congreſſuris autem cum hoſte; præter *Hiſpanienſem*, quem dixi, *gladium*, ad manum erant diverſa diverſis arma. *Triariis* quidē, ab ævo Reipublicæ jam validô, ſingillatim *haſta* dabatur. *Principibus* verò, ſicut & *Haſtatis*, & olim *Triariis* quoq; *Pila* (quæ *Peila* vetus Latinitas pronuntiat) *bina* fuerunt: *majus* unum, & id, ſeu rotundum, ſeu quatuor angulorum: alterum autem *minus*, ad haſtæ venatoriæ ſimilitudinem effectum. *Pilorum* porrò pars altera, ſuperiórq; *ferrea*; pars altera, *linea*, ſed fibulis innexa conſertáq; ferro: *longitudinem* habebat utrimq; *tricubitalem*, ſic, ut uniuſcujuſque *pili* (majoris generis) proceritas *ſex* eſſet *cubitorum*; ſi ferrum ligno ſuperimponeres tantùm, nec immitteres arundini, vel infigeres. Telum hoc, geſtatu, ponderéq;, grave; ferri roborísq; lenti; mucronis, in ſeſquicubitum prominentis; & adunci latíque; quò difficiliùs, hoſtili corpori ſemel infixum, velleretur. erátq; tantus emiſſæ contortæq; cuſpidis impetus: ut & peditem, æreô ſcutô protectum, & loricâ præmunitum equitem, tranſverberaret.

Hæc ferè,quæ retuli,*peditis* erant *arma*. Romanum autem *equitē*,qualis hic in armis eſſet, è caſtris in aciem progrediens; majorem partem ſuperiùs jam, ex occaſione natâ,deſcripſi. *Summa* fuit *armaturæ:* Caſſis ærea;Scutum umbilicatum; lorica, gladius, haſta, jacula contra-ctioris longitudinis: quæ pharetris erant, in omnes rerum præliíq; caſus, infixa.

Poſteaquam autem,extra caſtrorum limites, in locum ventum eſſet,inſtruendæ (ſi jam hoſtis inſtaret) aciei commodum, & opportunum; niſi fortè, (quod interdum fieri, res cogebat) jam antea fuiſſent in caſtris agmina præinſtructa: tum in loco futuri certaminis, duces,ac tribuni,pręcipuè verò,caput ducum, *imperator*, exercitum ordinabat in propinquam pugnam. Cujus ordinationis exactam, ac per omnia plenam,deſcriptionem exſequi; nec inſtituti noſtri res eſt, nec temporis: ut, qui jam dudum ad alia *Romanæ Reipublicæ*, vel *décora*, vel *dedecora*, properemus.

Et fuit quidem nonnunquam; cùm, aut hoſtis, detrectatione pugnæ, cunctationéque, rei ſupremam aleam differret; aut iniquitas ipſa loci, paludum, rivorum,collium,aut montium, interjectu, vel tempeſtatis intemperie, præ-

prælii concurſum remoraretur. Quo tempore, ſeu, caſtra fieri nova, res exigeret: ſeu, caſtrorum hanc ipſam metationem hoſtibus, incurſu ſuo, turbantibus, pars militum munitione, pars altera, propulſandîs hoſtibus, eſſet occupanda; ſimul autem, (nec infrequenter), etiam acies inſtruenda: nihiloſecius tamen, eo quoq; caſu, quoad ejus fieri poſſet, *ordinis* normæque militaris ratio, cuſtodiáq; diligens, habebatur. Tunc enim, *Aciei* formarum aliarum, quæ cauſſis extraordinariis potiùs, quàm incurſui repentino, dubióve tempori, convenirent (quaes erant, Obliqua, Gibbera, Serrata) generibus prætermiſsis; aut *Duplicem* faciebant *Aciem*: aut, ſi tanta militum redundaret copia, *Triplicem*. Ac *Duplicem* quidem, cùm Acies omnis in *Duo Cornua* diſpeſceretur; in Legiones nempe totidem, cum ſuis utrimque Sociorum Auxiliorúmque nervîs. Unde, Cornu geminum ſurgebat: *dextrum* alterum, alterum *ſiniſtrum*. *Triplicem* verò formabant Aciem: quoties, inter utrumque Cornuum, *legiones*, ſeu binæ, ſeu plures, interjicerentur; *Sociis*, *Auxiliisq;*, latera tenentibus. Nonnunquam autem, *dimidiatus* exercitus, (ſive ſolîs ille *legionibus*, ſive ſolîs è *Sociis* & *Alis*, conſtaret), in totius Aciei fronte

collocabatur. alterum autem exercitûs *dimidium*, poſt prioris illius tergum, inſtar *Subſidiorum*, adſtabat.

Modus autem *Acierum* omnium *ſimpliciſſimus* erat; quoties diſponebantur eam in formam, ut *Cornibus*, & hîs quidem æquatîs, concurrerent. quæ *Cornua*, ſiquando (quod plerumq;) *legiones* in ſui medium, quaſi Corpus exercitûs, accepiſſent; ipſa, *Sociîs Auxiliîsve* conſtantia, *Latera* fuerunt *Acierum*. Ea *latera*, claudebant, ac prævelabant, hinc & hinc, *Equites*, noviſſimo plerumque locô conſtituti: niſi, ſi quando (quod interdum uſus expoſcebat) à *tergo* Legionum collocarentur; laxatîs interim, inter manipulos, viarum ſpatiîs, ad liberum & effuſum in hoſtes incurſum, & impetum, capiendum.

Sic porrò, ſeu quavis aliâ formâ, diſpoſitîs agminibus; ſuum quemque locum *Duces*, & capita legionum, occupabant: CUM MOMENTI NON INFERIORIS IN BELLO SIT, LOCORUM ORDO, QUAM HOMINUM. Circa medium ergo, nonnihilô tamen propiùs finem, agebat *exercitûs-imperator*. Imperatoris ad latera, ferè *Legati*: niſi partem exercitûs aliam, alio locô, curarent.

Juxta

Juxtà quoque, *Tribuni:* qui, Principum dein ævô, retrò *Cæſares* ſtare docti ſunt. *Centurionum* locus erat, in capite ſuæ cujuſque centuriæ: quam præibant. A Centurionum tergo, *Succenturiones* ſequebantur. *Gregarium* militem, ſuæ cujuſque Centuriæ *matricula*, (ſeu quis libellum illũ, *Coordinationum-Album* appellare malit,) locô cuiq; congruô, dignôque, conſtituebat; è deſignatione Centurionis, unicuiq; militum notiſſimâ: neq;, niſi vel morte, vel certiſſimô mortis periculô propoſitô, relinquendâ. Nam, vel *quatuor pedes*, aut *paſſum unum*, extra lineam ſummam Signi vexillíve ſui progredientem, ſupplicium & interitus exſpectabat.

Imperator autem (ut ad eum revertar) etſi nonnunquam, ad fugæ ſpem cæteris exemplô ſuô præcidendam, (in ardore præſertim pugnæ), removeret *equum*: interequitabat tamen, ut plurimùm; &, ad prælium fortiter ineundum, ordines exhortabatur. cùmque tempus admoneret, tum ea fieri jubebat; quæ nos ſuperiùs, ab *æneatoribus* fieri ſolita fuiſſe, cùm è caſtris abiretur in hoſtem, dicebamus. Extollebatur, ſi res ac locus permitteret, *ruſſea* tunica. Canebat dein, *una* primùm ſolitariáque

tuba; non procùl imperatoris à conſpectu:mox aliæ plures, ad *aquilas* atq; *Signa*; donec ad extremum,manipulorum,cohortium,turmarum, ac legionum omnium, concinentibus æneatoribus, *Claßicum* prælii, quaſi fatale jam, & irrevocabile, miſceretur. Præter hæc porrò, ſeu *tunicæ cruentæ*, (quoties ejus uſus eſſet), ſeu *claßicorum*, ſigna, *Signum* inſuper imperator aliud, unius, aut perpaucorum admodum verborum, militibus incurſuris edebat: quod & *Pugnæ-Teſſeram* appellabant. Hæc eâ mente dabatur ab Romanis Ducibus; ut ſe mutuò *milites amici* nôſſent; *hoſtem* contrà, teſſeræ talis ignarum, ab *amico* diſcernerent, & obtruncarent. *Ducum* autem quidam, & inprimis *Idololatrarum*, in vocibus ejus generis, aliquid *Ominis*, per ſuperſtitionem, venabantur; ut,in *Apollinis-Delphici* teſſerâ, Lucius Sylla; Pompejus, in *Herculis-Invicti*; Cæſar, in *Veneris-Genitricis*; in *Libertatis* verbo, Marcus Brutus. Meliores autem, & pii, licèt Romanorum & ipſi Socii,fœderéq; connexi; Pietatem, in Teſſeris, ac Deum,ſpectabant: uti Judas Machabæus, in vocibus, *Auxilium-Domini! Victoria-Dei!* taliúmq; ſimilibus. Quæ, cùm ità ſe, circa *Signorum bellicorum* morem, ac diſcrimina, velut dictum

dictum eſt, haberent: ut aliud nempe *mutum*, ac duntaxat Oculis expoſitum, eſſet in Tunicis, ac Vexillis Imperatoriis; alia *vocibus* conſtarent, ſeu *Claſſicorum*, ſeu *Teſſerarum*, & *oris*: liquet profectò, non nugatoriô, nec ſuperfluô, dicendi genere, *C Jul. Cæſarem* uſum eſſe; quando, de prælio loquens *Nerviorum*, in ſecundo belli Gallici commentariô, memorat: *Omnia ſibi fuiſſe, ſub unum temporis articulum, agenda. Vexillum proponendum; quod eſſet inſigne, cùm oporteret ad arma concurri: Signum* tubâ *dandum: ab opere revocandos milites: inſtruendam aciem: milites cohortandos: Signum dandum.* His quippe, non multîs ſanè, ſed rem noſtram admodum illuſtrantibus, verbîs, Cæſar, & *Mutum* illud, quod aliquoties attigi, *Signum*, in aperto ponit: & *Signa* paullò pòſt, *Sonora* quoque *tubarum*, ac *teſſeræ-Martialis*, ante dimicationem. Ac tametſi *bis* dicat, *Signum dandum*; alterum tamen ab altero, *Tubæ* vocabulum adnectendo, ſecernere, non prætermiſit.

Cæterùm, Claſſicô Teſſerâq; jam perceptîs; ingenti cum impetu, tótq; millium conſonô clamore, (quem confuſi vocum ululatus, ac fremitus, aſperabant), concurrebatur: ídque veterrimô Romanorum, etiam Regum, inſtitutô.

tô. *Primi* pugnam ordiri, committeréque, *Velites* cogebantur, *Haſtatis* juncti; primi, *Principibus*; primi, quibuſcunq; præterea militum ordinibus, aut partibus, inſperſi. Sed, quoniam in *Velitibus* minimum erat virium, ideóq; minus in iiſdem, ad victoriam, ſpei: ſub eos, ſtatim exercitûs *Genera firmiora*, velut in eorum tergis hærentia, procurrebant. Primi quidem omnium, *Haſtati*, qui, ſi minùs in hoſte pellendo proficerent; locum incurrendi proximum iis dabant, qui *Principes* dicebantur: ipſi tantiſper, in manipulorum, & ordinum, intervalla, viásq; patulas, ſe retrorſum recipientes. Sin, ne *Principes* quidem profligâſſent adverſariorum vim: conſurgentes è loco ſuo *Triarii*, retrogreſſos eos excipiebant; *extremum* nimirum peditatûs Romani, firmiſſimúmque vulgò, *ſubſidium*.

Varia porrò præliorum *fortuna*, nonnunquã, & *Aciei* variare *formam* figurámque, compellebat. Fuit igitur, cùm *obliquè* præliandum ſic eſſet; ut antè cornu promoveretur cornu: proindéque, non æquatîs, ut aliàs, cornibus, ac fronte rectâ. Fuit quoque, cùm *acie Sinuatâ*, mediîs agminibus ab hoſte longiùs amotîs, aut inhibitîs; cornibus autem ſolîs in eum immiſsîs,

miſsis, concurrendum eſſet. fuit, cùm *cuneatim*; primìs ordinibus in acumen denſum, & ſcutìs undiq; connexìs munitum, coëuntibus: quæ tamen, paullatim à tergo creſcente latitudine, ſeſe diſtenderent; donec in quandam quaſi pyramidis baſin, aut pedem, deſinerent. Fuit item, cùm, *globatim* iniri certamen, oporteret. quod illis accidebat, qui, prævalentibus hoſtium viribus, ab aciei ſuæ corpore divulſi, ſeſe colligebant in orbem; locìſque, quà viſum, opportunìs, hoſtem vagìs incurſibus agitabant. Fuit denique, cùm *ſerratim* dimicandum eſſet: acie, continuos inter motus, nullâque firmi gradûs aut ſitûs conſtantiâ, nunc hoſtem aſſiliente; mox eundem regreſſibus, in morem cedentium, eludente: tanquam planè quodam irrequietô reciprocóque *ſerræ* tractu, retractúque, laboraretur.

Romani tamen *milites*, inter has, aliáſque, difficultates omnes, in memoriâ plerumque ſuam, majorúmq; ſuorum, *virtutem* habebant. In oculis agebant centurionum, tribunorum, prætorum, conſulum, dictatorum (quoties nimirum hi quoq;, quod ſæpe fiebat, præliis intereſſent), & cujusvis alterius dignitatis imperatorum: quos nec egregia cujuſquam, nec igna-

ignava facta, latére poſſent. Reſpiciebant præterea *Jurisjurandi* religionem; qua ſe, tam *Cives* obſtrinxerant, quàm *Italici Socii*: quando, jam olim, à *Dilectu*, tribunîs eos adigentibus, *Sacramentum militare* nuncupârant, conceptîs in id verbîs; *Se neque Signa deſerturos: nec adversùs Populum quidquam, aut Rempublicam Romanam, Conſulésq́ꝫ, facturos. conventuros quoque, Juſſu poteſtatis altioris; Injuſſúq́ꝫ, nuſquā abituros.* Ad *præmia* deniq́;, *pœnáſque*, quæ generosè, vel ſequius, agentes manerent, curam milites convertebant: quippe, quorum, in futurum, neutra, pro ſuis cujuſq; meritîs, eorum eſſent exſpectationem fruſtratura. Nam, Romanîs in Caſtris, haud major Patientiæ, Providentiæ, Fortitudinis, Ordinísq; compoſiti, quàm *Juſtitiæ*, laus ac ſpecies effulgebat.

Qui namq; *fortiter* feciſſent; plerumque, non citra ſollemne ſuî ſpectaculum, *donabantur* ab *imperatore*. Qui, locô multùm eminente ſtans, aut in tribunali ſedens; adſtantibus, circumfusísq;, juxtà retróq; tribunîs, ac ducibus, in conſpectu multitudinis immenſę, *donandum* primò verbîs efferebat. mox, pro facinoris eximii majore minoréve meritô, vel *munificētiùs* eum remunerabatur, vel *tenuiùs*. Nam, quiſquis, extra

quo-

quotidianæ vulgaríſq; virtutis ordinem, ſingularíve certamine, quod ducis auctoritas approbâſſet, conſpicuum quid egiſſet: is *Haſtâ*, quam *Puram* vocabant, (hoc eſt, ferrô carentem) ornabatur; ſi læſiſſet hoſtem. aliquantô verò pretioſiùs ornabatur; ſi læſum, inſuper & dejeciſſet, ac ſpoliâſſet: *pedeſter* quidem miles *phialâ*, vel *armillâ*; *phaleris* autem, *eques*. Nonnulli verò *Vexilla* quoque, ſeu coloris *albi*, ſeu *bicoloria*, reportabant. Majorum autem inſigniorúmq; virtutis ſpeciminum, inſigniora fuiſſe præmia; Polybius, cæteríq; veterum, tradūt. Iis porrò cum *donis*, etiam è bello reverſi, domi privatim, ac foris publicè, ſeipſos, citra jactantiæ ſpeciē, aut invidiam, efferebant. ſpolia, tum alia, tum etiā roſtra nautica, ferrô vel ære facta, poſtibus valvíſq; domeſticis affigebant; quæ, domiciliorum parte conſpectiſſimâ ſuſpenſa, nefas erat, vel prætereuntium, vel aliorum quorumcunq;, manibus refigi detrahíve. Cum *Coronis* autem, *in capite*, ludos ſpectabant: multóq; magìs, habitu talî, *triumphos* ducebant.

Nihil autem, inter præmia fortitudinis eminentioris uſitatius vulgò, frequentiúſque, *Coronis* erat. *Civicam* enim referebat; qui, ſub unum

unum idémque tempus, & *Civem* ſervâſſet, & *hoſtem* interemiſſet. *Obſidionalem*, qui circumſeſſos ab hoſte liberâſſet. *Muralem*, pinnarum muralium ſimilitudine diſtinctam; qui, mœnibus hoſtium ſuperatîs, in oppidum primus, v virtutéque, penetrâſſet. *Caſtrenſem*, *Vallarémve* vallîs interſtinctam; qui primus, hoſtilium caſtrorum ſuperatô vallô, caſtra pugnans irruiſſet. *Navalem*; qui prior omnium in navem hoſticam armatus inſilîſſet. *Roſtratam*, Navali nobiliorem, ac *Roſtris* interfixam; qui Duce memorabile quid prœliô navalî geſſiſſent. *Coronam* denique cujuſquémodi, *Virtutis*-*Cauſſâ*, manibus imperatoris ei tributam; qui rem decúſque publicum in armis inſigniter auxiſſet. *Coronarum* autem ejuſmodi *pleraq;* fuerunt *Aureæ*: ſi *Civicam* excipias, (quippe *Quernam*, aut *Ilignam*); & *Obſidionalem*: quæ *Graminea*, multitudinis liberatæ manibus evulſa ſolô, liberatori porrigebatur. quibus ipſis tamen *Coronarum* poſtremis generibus *duobus*, (ceu, præſtantiſſimâ ob cauſam tribui ſolitis), grandius aurô quovis argentôq; pretium, *æſtimatio vera Virtutis* impoſuit. Super *Coronarum* autem præmia, pluribus paullatim vulgata; reperimus, clarorum, ſeu terrâ, ſeu mari, *Ducum* ac *Victo-*

rum

rum honoribus, extraordinarias ſubinde fuiſſe conceſſas immunitates: &, inſolitas cæteris, *agendi*, vel *in publicum procedendi*, rationes. Qualis erat illa, Cn. Pompejo conceſſa; ludis Circenſibus, cum laurea Corona, cunctóq; cultu triumphantium, aſſidére: *ſpectantémq; ſpectari.* Qualis item immunitas fuit illa (tametſi, dirutâ jam Republicâ) *Lucii Cornificii*: qui, poſt rem publicam in Sicilia bene ſtrenuéque geſtam, quoties domi non cœnaret, *elephantô* domum noctu revehebatur. Cujuſmodi demum illa quoque, Reipublicæ validô quidem ſtatu, ſed ridiculi pæne generis, pompa, tributa permiſsáve C. *Duillio*: qui primus de *Punicis* hoſtibus, navalî prẹliô ſuperatîs, triumphavit. Huic enim conceſſum erat; ut, quo die *foris* cœnâſſet, *funalem* ad *cereum*, præcinentibus *tibicine* ſimùl, ac *fidicine*, domum, profundâ jam nocte, tanquam per theatralem laſciviã, ſeſe reciperet: nullâ publicæ quietis interturbandæ, ſive fugâ, ſive verecundiâ. Quæ quidem *magnis* fortibúsque *Viris*, poſt res claras, indulgentiæ, privilegiorúmq;, conceſſa ſpecies; tametſi prẹter conſuetum, ſupráq; moderationis leges fieri, videri poſſet: incitamento tamen junioribus erat; ut, ſiquid aliquando ſuprà cætero-

ros licere ſibi *domi* vellent, egregium quiddam & ipſi præ cæteris præſtare *foris*, & in armis, auderent: cùm præſertim iis, quibus nec phalerarum armillarúmque dona, neque Coronæ, vel immunitatum ea genera, de quibus dictum eſt, obtingere ſolerent; *promotiones* tamen, ad gradus & Ordines altiores, *Virtutis cauſſâ*, reſtarent. Cujuſmodi gradus erant, Centurionatus, Tribunatus, aut ipſe denique (velut *C.Mario* contigiſſe, ſcimus) Conſulatus: ut adeò, qui *decimæ* priùs, hoc eſt, omnium infimæ, *cohortis*, in una quapiam legione, *Centurionem* egiſſet; ad *Cohortis* denique *primæ* primum-pilum, ſeu gradu factô, ſeu ſubinde ſaltu quoque, propter inſignius aliquod fortitudinis opus, poſſet evadere. Siquando verò, *ſeu militibus*, ſeu militū *ductoribus*, nec talium quidem *Virtutis præmiorum* quidquā, aut certè tardiùs, obveniret: poterat nihiloſecius ſua cuiq; ſors, & conditio, ſatis placere: cùm (ne dicam, de *Ter-fortiter faciente*, qui propterea, ſub Principibus quoque, *militiâ vacabat*) etiam *gregarium* quemvis, præter *ſtipendium* ſuum, prædæ quoq; pars, poſt victoriam ditaret: ductoribus autem, proportione graduum ſervatâ, largiora quoque ſpolia, necnon & copioſiora ſtipendia,

pro-

procedere non ceſſarent. Centurionibus enim, Centurionum-Optionibus, ac Signiferis, militiæ menſtrua merces *dupla* ſolvebatur: equiti, *tripla*; quadrupla, (quin &, ſæpe liberalior), Tribuno. Quæ ſanè, taliúmque commodorum plura, *ſtata* Virtutis bellicæ *præmia* fuerunt: neminémq; tunc (utì nunc fieri ſæpenumero *militarium quæſtorum*, aut *ducum*, improbitate, diſcere cogimur) exſpectatione ſuâ dejiciebant, ac fruſtrabantur: ſed, exactô menſe, certum ad diem repræſentari ſolebant. Ut proinde dici meritò deberent *Iuſtitiæ Remuneratricis*, in Romana Militia, fructus, & argumenta.

Non autem, vel minora, vel obſcuriora, *Iuſtitiæ*, ſcelera delictáq; militaria *plectentis*, documenta reperiemus: & ea quidem, antiquiſſimîs plerumque *Caſtrorum Legibus* conſtituta. Placuit verò Romanis, errores, etiam *Militum*, diſtingui ſic; ut, à *majoribus* admiſſis, *minora* caſtigatione ſecernerentur: ne tandem, ad *Caſtrorum* etiam *Diſciplinam* ſanciendam, (quam utique, *Civili togatâque*, decebat, eſſe rigidiorem) Atticæ *Draconis* leges irreperent: quæ *Sanguine, Capitéque, peccata quævis, ex æquo* pariter & *iniquo*, perſequebantur.

Inferioris igitur notæ culpas, *fuſte* (citrà vitę tamen periculum), *Centuriones* puniebant, eôq; bifurcatô, vel incurvô: quem, ſicut erat è *Vite*, ſic & *Vitem* appellabant; &, ut inſigne poteſtatis ſuæ, *Centuriones* (velut ſuprà dixi) geſtabant. Hæc *Vitis*, ut *honeſtior*, & *felicioris* trunci *fuſtis* prę fuſtibus alterius cujuſcunq; ſtirpis, *honeſtiorum*, ac nempe *Civium*, tergo ſervabatur. Fuſtis autem vulgaris, & interdum *Virgæ* quoque, ſenſûs ac doloris acrioris, cęteros reos exercebant. *Leviorum* præterea pœnarum in numero cenſebatur, *Ignominia*: quoties, aut *ſtantes* cibum, (etiam veſpertinum) capere cogebantur: aut ab *altiore* militiæ gradu deſcendebant ad *inferiorem*. Item, ſiquando ſtipendium, vel ſtipendii pars, ei, qui, per abſentiam à ſignis, infrequentiámq;, deliquiſſet, non procedebat: aut, cùm pro *tritico* dabatur *hordeum*: aut, cùm *diſcingeretur* reus; habitu veſtium, parùm virilî, commilitonum omnium oculis expoſitus: aut quoties, intrà caſtrorum ambitum, impedimentis captivíſq; ſervandis miſceretur: aut, etiam ipsîs caſtrîs extruſus, & objectus hoſti, ſæpéq; nullo, contra ſæviens cœlum, tentoriô protectus; relegato proſcriptóve ſimilis, oberraret. Id, quod nonnunquam, haud

haud viritim modò, ſingillatímque, milites, ſed totæ quoque centuriæ, manipuli, cohortes, ac legiones, ſuſtinere cogebantur: extra caſtra nimirum, vel ipſam etiam Italiam, tendere militaréque juſſæ. quod *Ignominiæ* genus, Cannēſis cladis fugacibus illis reliquiis, decretô Senatûs, inflictum fuiſſe, ſcimus. Nondum denique graviſſimum puniendi genus erat, *armorum* privari *parte*; quā pecuniâ deinde redimerent: aut, à Tribuno *mulctam* indíci delinquentibus; ac, ſi ſolvere neglexiſſent, ab iis *capi pignus*: aut, ad ſolutionem, delictíve piaculum, *verberibus* adigi. Nam, ut & ad *atrociora* puniendi genera tranſeamus: noxa *capitalis* erat & hæc; *Ter, ob delictum,* (præſertim iteratum, aut ſæpius quoque repetitum) *mulctatum eſſe, nec tamen emendatum*: ex quo talis quiſpiam correctionis eſſe deſperatæ cenſeretur. *Capitalis* autem *Supplicii* nomen, dum adhuc Reſpublica libertáſq; vigeret, obtinebant, tam *Fuſtis, ad mortem*, quàm *Securis*, in deligatos ad palum, virgîſq; priùs cæſos, diſtricta. *Criminum* autem *Capitalium*, præter iteratam bis mulctam, claſſis fuit, utcunque numeroſa. Qualia: *Furtô* commilitium compilâſſe; (cui generi delinquendi quondam, manûs quoque

præciſione, legimus, occurſum fuiſſe): teſtimonii dictionem *perjuriô* vitiâſſe: ſtrenuum aliquod, ac præmiô militarî proſequendum, factum, tanquam *Suum*, jactâſſe; velutíque *Proprium*, vel apud *tribunos*, vel apud *imperatorem*, per honoris ambitionem, *falsò* retuliſſe. *Stationem*, aut *præſidium*, per metum *deſeruiſſe*. *Vigilias*, aut *Circuitiones*, neglexiſſe. Vigiliis itē *indormientē*, à Tribuno, vel quocunq; Circitore, repertum eſſe: qui culpæ deprehenſæ *teſtes*, in eum, comites ſuos, amicôsq;, dabat. Præterea, *per metū*, in acie, *gladium*, aut *ſcutum*, aut *armorū aliud* quiddam, aut *Vexillum*, *Signum*, *Aquilam*, *abjeciſſe*, vel *amiſiſſe*, vel *alienâſſe*. *Locum* item, in pugnæ diſcrimine (niſi fortè, per vim irruētis hoſtilis impetûs, extractus quis, aut extruſus, eſſet) *reliquiſſe*. Longiùs item, quàm, unde percipi *tuba* poſſet, citrà ducis auctoritatem, *abiiſſe*. Seditionis auctorem ſe, participémve, prębuiſſe. cujus generis militū, aut aliter quoque magnæ cladis ac tumultûs auctorum, ſi totæ quandoq; multitudines peccâſſent; ex *decimatione* ſcelus luebant, aut *viceſimi* ſaltem cujuſque *capitis* decuſſione. Pertinebat inſuper, ad eandem Supplicii ſeveritatem inexorabilem: Contra vetitum, (ac præſertim in

terris

terris *ſociorum*) prædas egiſſe. Quod quidē delicti genus tanti fiebat;ut,etiā *Principum* adhuc ævô, *ſurripuiſſe* vel *Pavonem*, cervicis inciſione lueretur: &, ſtante Reipublicæ majeſtate, *Marcôque Scaurô* legiones ducente, *pomus*, maturîs jam fœtibus onuſta, (quam, in pede caſtrorū, metatio ſimul incluſerat), ab exercitu, poſtridie diſcedente, relicta ſit, fructuum prorſus intacta; ſoliq; deinceps poſſeſſori ſuo reſervata. *Capitalibus* denique *belli flagitiis*, in capite propemodum cæterorum pravè factorum, *Polybius* Græcus adnumerat *Pudicitiæ* (quis crediſſet?) *labem*. Cui connectunt *Romanarum rerum Annales*, utriuſque linguæ, quàm plurimi; *Siquis, injuſſu ſupremi ducis, in hoſtem, etiam laceſſentem, nedum provocatum, ſingulari certamine, quantumvis etiam proſperè, cúmq; victoria, pugnâſſet.* Et hac tantâ legum ſeveritate (quod quidem ad *pudicitiam* attinet) factum eſt; ut, (ne, per farraginem licentiámq; militarem, locus *adulteriis* eſſet, aut eorum ſuſpicioni,) Romanum exercitum, multîs ſanè ſeculîs, ne *ſuæ* quidem *uxores* affectarentur: *ſcorta* verò deterioris ſexûs, tametſi *per cauſſam ancillarium miniſteriorum* (ut nunc ſæpe fit) ingerere ſeſe tentarent, inferre tamen pedem in caſtra prohiberen-

berentur; lixîs interim vicem eorum, in uſûs quotidiani neceſſariîs ſubſidiîs adminiſtrandis, ſupplentibus. Quòd ſi verò, *ducum* aliquando, ſeu *pravâ* permiſſione, ſeu diſſimulante conniventiâ, ſexûs utriuſcunque *fæx* illa penetrâſſet & in caſtra: melioribus *ſucceſſorum* imperiîs, ejiciebantur; uti ſanè, *Scipionis Africani Minoris*, ad Numantiam, bellô, Scortorum *duo millia*, ſub unum unius proſcriptionis turbinem, diſſlata, profligatáque, ſunt. Quam continentiæ militaris diſciplinam, ac ſtudium, *Germani* quoque, poſteris ſæculîs, *Imperatores*, non *imitati* modò, ſed & *antegreſſi*, ſunt: quorum, (& inprimis Friderici Primi) *lex Caſtrenſis*, Lipſii Guntheriq; teſtimoniô, fuit: *ut, quiſquis in caſtris fœminam haberet, ſpoliatus ipſe, nudatúsq; turpiter, & è militum conviĉtu numeróque proſcriptus; in poſterum inteſtabilis viveret. muliercula verò, contuberniô pariter, &* nasô (*per abſciſſionem*), *amiſſô; profligati pudoris notam & opprobrium ſempiternum circumferrent: fiiréntque viris omnibus, ob deformitatem ſuam, exſecrabiles, & odioſæ.*

Sed nos ad *Romanam* Caſtrorum *continentiam*, ac rigorem, revertimur: cujus antiquiſſimô decretô ſanciebatur; *ut, quiſquis impudicitiâ*

fœdâſſe

fœdâſſe corporis ſui vernantes annos (quod Polybii Græca verba ſibi volunt) *deprehenſus eſſet; is Fuſtibus, ad necem uſque, verberaretur*. Quod tamen idem *Supplicii* genus, (*Fuſtuarium*, inquã) alia quoq; nec pauca, militiæ flagitia plectebat: erátq; *nomine*, primâq; ſuî fronte, quàm *experimento*, finéque, mitius. *Tribunus* enim, illius verberationis & *incboator*, & mox, alienas per manus, *exactor*; principiô quidem, arreptô *fuſte*, condemnatum, ictu *levi*, leníque, tangebat. Hâc autem ille quaſi teſſerâ jactâ plenioris ſupplicii; de cætero militum circumſtanti coronæ reum objiciebat. Hi porrò, *fuſtium* ictibus ſeriîs, densîs, & internecinîs, eum, ex omni parte contuſum; ad extremum ſaxîs etiam, undequaq; conjectis, exanimabant. En! *Juſtitiæ*, ſcelerum-Vindicis, documentum atrox! En, *rigorem*, pæne *Crudelitati* (ſicut vitia quædam, & Virtutes, in confinibus agunt) vicinam! Quid autem & eam, de qua dicere paullò ſuprà, cœperam, *Pœnam* reſumam, militum eorum, qui *Rem & gloriam Romanam*, periculô ſuô, laboréq; certaminis, amplificârant; EXTRA præſcriptum ORDINEM DIMICANDO? Qui VICTORIAM AB HOSTE, PLAUSUM AB EXERCITU, FER-

RUM A LICTORE, RETULERUNT. Severitas quidem certè, cuſtodiáq; diſciplinæ militaris, tanta fuit; ut & *filium* ſuum, juvenem generoſiſſimum,& acrî duellô victorem *Tit. Manlius Torquatus, Conſul*, feriendum ſecuri curaverit:quòd is in hoſtem,tametſi provocantem, extra præſcriptum, & injuſſu ſuô, pugnâſſet. Ejuſdem quoq; noxæ, poſt hæc, in pari culpâ, tametſi *ſupplicium* effugerit, non effugit tamen *metum*, ſupremúmq; periculum, *Q. Fabius Maximus Rutilianus*, Magiſter equitum; à Dictatore ſuo, *L. Papyrio Curſore*, raptus ad cauſſam dicendam, & ad virgas ac ſecures, in conſpectu poſitas: tanquam ab eo, rigore legum,promeritas. (*nnnn*) Quod,ne,ſæpius fuiſſe factū, etiam in alios, ambigere poſſemus; in Catilina ſuo *Salluſtius* teſtis eſt: IN BELLO FREQUENTIUS VINDICATUM IN EOS ESSE, QUI VEL, CONTRA, QUAM IMPERATUM ESSET, PUGNASSENT IN HOSTEM; VEL, REVOCATI, PRÆLIO TARDIUS EXCESSISSENT: QUAM IN ILLOS, QUI SIGNA RELINQUERE, PULSIVE LOCO, CEDERE FUISSENT AUSI. Sic *vis* ſua, ſucceſsúsq;, *Fortitudini* conſtabant: cùm pugnas metæ continerent imperii, IX.

IX. Fuerunt igitur hæc, aliáq; talia, *Romanis* in *hominibus* urbis adhuc incorruptæ, *commendatione* ſuâ digna. verumtamen,& *aliquouſque* duntaxat; & *vitiis*, antè poſteáq;, *multò pluribus* enormioribúſq;, (tanquam immundi cineris ac fimi cumulis, *unius ſcintillulæ moriens ignis*) oppreſſa. De quibus *Romanæ* civitatis *vitiis*, breviſſimè ſimùl, veriſſiméq;, *Criſpus*, in *Conjuratione Catilinaria*, velut *Prologum* ordiens, conqueſtus eſt: cùm diceret; CONTAGIONEM EORUM, QUASI PESTILENTIAM QUANDAM, INVASISSE ROMAM. HINC IMPERIUM, EX OPTIMO (velut ille credidit) JUSTISSIMOQUE, CRUDELE FUISSE FACTUM, ET INTOLERANDUM. Reliquam autem, *in mores urbis*, *declamationem*, exordiô tam *minacî* longè *molliorem*, peregit. Attulit enim *nævos* ille quidem, prolabentis in deteriora *Reipublicæ*; ſed, quos tu, præ *ſordibus* iis, quas nos enumerare poſſemus (niſi verecundiâ prohiberemur) *dēcora* putâſſes, & *ornamenta*.

Quid eſt igitur? aut in quónam accuſationem, aliquantò ſeveriorem, *Roma* merebatur? Equidem, per ſumma duntaxat rerum criminúmq; capita ſtylum deducens; cætera, quæ *ſingil-*

ſingillatim, ac nullô querelarum repertô fine proferri *contra veterem Romam* poſſent, prætermittam: iiſque potiùs, qui *plurima legerunt*, ea reminiſcenda committens; in illorum *cogitatione* tacitâ rem compendioſiùs, quàm in oculis, ac *lectione*, defigam.

Ac primùm quidem, prætéritîs iîs, quæ *Romæ-priſcæ* cum urbibus ac populis aliis, *Veri Dei* notitiam averſatîs, *communia* fuerunt: quęnam, (obſecro) quænam alia fuit, in orbe terrarum, aut *urbs*, aut *gens*; quæ tantâ vaniſſimorum utriuſq; ſexûs *numinum multitudine*, *varietatéque*, redundaret: ut ea nec *veteris* quidem *Ægypti* ſtultitiæ quidquam concederet; præterquam *antiquitatem*? Seriùs enim aliquantò delirare *Roma* cœpit; quippe, ſeriùs *Memphi* condita. Didicit tamen ab *Ægypto* ſubinde, non *Iſidis* tantùm *Sacra*, ſed alia complura: *breviq;*, DEMENTIÆ PROFECTU, DISCIPULA MAGISTRAM VICIT. Orbem quoque reliquum, non *ſpoliorum* magis congerie, quàm *ſuperſtitionum* exuviîs, exhauſtum, *triumphavit*: *à Simulacris, dæmoniisq; gentium, in triumphum priùs ipſa ducta, quàm ducęret. Ibi Dæmonum* (inquit Magnus Leo) cultus: ibi Sacrilegiorum omnium impietas: *ubi diligen-*

entiſſimâ vanitate collectum habebatur; quidquid uſpiam pernicioſis fuerat erroribus inſtitutum. Hæc enim Civitas (pergit ulteriùs idem divinus Orator), *ſuæ provectionis auctorem ignorans; cùm omnibus pæne gentibus dominaretur, omnium gentium ſerviebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* (oooo) Ibi, præter notiſſima, pueris quoque, Romanorum Numina, quæ mortalibus illis minùs adhuc, præ turpiſſimîs aliîs, erubeſcenda videbantur; *Deorum* erant in cenſu, Jupiter etiam *Prædator*; Pluto *Summanus*, nocturnorum fulminum auctor, ac præſes; Pilumnus, *Piſtorum* tutor. Inter *Deas*, Juno *Juga*; matrimoniis jungendis præfecta: *Viripláca*, connubiis diſcordibus recomponendis: *Fornax*, frigentium calefactrix: *Angeróna*, ſilentii cuſtos; & interim animi ſedandis fluctibus intenta: *Murcia*, genitrix deſidiæ; *Vibilia*, viarum errores extricans; *Laverna*, furibus facilis, ac favens: mendaciorúmq; promotrix; *Venus-Lubentina*, puellarũ Pubertatis antiſtes: cui proinde, puberes factæ, pupas ſuas conſecrabant. *Venus Calva*; cujus ædem pariter, & cultũ, excitârunt Viri Romani: cùm, in *Capitolio* quondam obſeſſis, in catapultarum uſum, nervorum copiâ defi-

cien-

ciente, ſuos *fœminæ* capillos, maritis abſcandos, prębuiſſent; ad hoſtem repellendum. *Mánia* quoq;, quæ Græcis *furor*, & Stultitia; Romanis *mater-Larium*, & periculorum, familiis impendentium, expiatrix, erat. Quid, quòd iidem & *Sirium*, æſtivi cœli præcalidum ſidus, Deorum honoribus intruſerunt? cùm *rutilos* ei *canes*, anniverſariîs Sollemnibus, im̃olarent; eô ſolô nomine, quòd reliquas inter conſtellationes cœli partem aliquam, etiam *Caniculæ* (quamvis vocabulô potiùs, quàm re, figurâq;) poſſideret. Quid item, quòd *Signa Caſtrorum*, Aquilas, lupos, equos, dracones, porcos, Numina fecêre Legionum, ac Deos? in ſacellis ea, per brumam, adſervantes; in Principiis autem, cùm haberentur ſtativa, collocantes: eadem & ornantes, ungentes, adorantes. quibus etiam, fallente ſubinde fortunâ Martis, aut quacunq; culpâ Signiferorum, amiſsîs; *Deos* amiſiſſe ſe, cum periculo propendentis in ruinam Imperii, credebant.

Stupidiores autem multò rebus iîs ipsîs, quibus Romani divinos honores impertiebant; inter innumera, quæ frivolè venerabantur, etiam *Lapidem* colebant, extra portam olim Capenam, juxta Martis Ædem, poſitum: propterea,

ea, quòd, eô, poſt diuturnam ſiccitatem, in urbem, ſeu fortè, ſeu conſultò, pertractô, *manare* cœlum *imbribus* cœpiſſet. Unde *Saxo* poſthac, & *Manâlis* nomen; & illius, in aridîs tempeſtatibus, invocãdi, ridicula conſuetudo profluxit. Multitudinẽ præterea *Deorum Dearúmq;* reliquam, copia demonſtrat *innumerabilium*, ac plerumq; nominibus, cognominibúsq;, diſtinctorum, non dicam, *Simulacrorum* duntaxat, & *ſtatuarum, Deorúmq; Penatium*, ac *Larium*, & *ararum, focorúmq;*, per *omnes* omnino *Domos*; ſed planè, *Templorum, Ædium, Ædicularum*, & *Lucorum:* per *Veteris* Romæ *quatuordecim Regiones*, in quas adhuc ante *Chriſti regis* ortum deſcripta ſtabat, (*pppp*) diſperſorum. Quarum *urbis Regionum* (ut, exempli duntaxat gratiâ, referamus unam, & alteram) ea, quæ dicebatur *Octava*, Forum, inquam, Romanum, *Templa* numerabat, *unum* ac *viginti*, cum *delubris tribus*, templo Capitolini Jovis inclusîs: *Ædes* præterea decem; *Ædiculas* duodecim: *Signa* ſtatuáſque *Deorum*, diversîs in fori locîs, quatuordecim. *Nonæ Regionis* (in quâ *Circus* erat *Flaminius*) prę-ter *octo* templa Deorum, & *quinque* lucos, *Ædes* majores erant viginti, diverſorum Numinum; *Ædes*, paullò *minores*, triginta. Jejunum autem,

tem, nimíſq; ſiccum, fuerit;unius alicujus, alteriúsve, Romanæ *Regionis*, delubra ſtatuáſq; numerare:cùm tot aliæ ſuperſint,prętermiſſæ. ſicut, è diverſo, negotii foret, finem propemodum nõ inventuri; per ſingulas, velut oſtiatim, ambulare: fanorúmq; cenſum, & *Idololatriæ* totius ædilitatem, obire. *Templorum* enim, (ut vel nudam ſummam concipiamus), Romæ ſteterunt, ad obitum uſq; Reipublicæ, *quadringenta viginti quatuor*; ſuperbè pleraq;, magnificéq;, conſtructa. *Statuæ* verò, pæne tot, quot intrà Romam homines: quorum tamen, ſub annum urbis Conditæ plus minùs ſexcenteſſimum, capitum reperta censáq; ſunt *quadringenta quinquaginta millia*; qui cives eſſent. Earum autem, quas dixi, *ſtatuarum* materies, non *lapis* tantùm, ac *marmor*, ſed æs, ebur, argentum, aurum, erat: & in agris etiam ſuburbanis, villîs, viîs, ac ſub dio, proſtabant. De *Templorum* verò, *DIs inanibus inanimiſque* ſacratorum, *ſplendore*, quid dicam? Et ædis quidem *Pudicitiæ*, ſive *Patritiæ*, quam vocabant, in Foro Boario, ſive *Plebejæ*, (quarum alterutram, nefas erat, matronarum ullã, plures uno viros expertã, ſubire) minorem ſenſim, minorémque, progreſſu ſæculorum, haberi cœptam eſſe rationem;

nem; meritò reor, & auguror, ex earum creſcente quotidie multitudine, quæ, (Juvenalis poſtea teſtimoniô), *Pudicitiæ*, tam *aris*, quàm *legibus*, maledicerent, & inſultarent. At, hujus vicem, à fœminis etiam honeſtioribus, *Ædes* frequentabantur, tum aliorum Deorum Dearúmq; complures; tum etiam, in locis theatricis, *Ædes-Veneris*; in Circis, *Neptuni*; ſicut hujus ejuſdem Numinis, & in *amphitheatris*, ad arenam, & ad *gladiatoria* macella: tum & *Dianæ Tauricæ*, quippe, victimîs humanîs (quas, alternîs inter ſe cædibus, *gladiatores* faciebant) gaudentis; & *Jovis*, ſeu *Latiaris*, ſeu *Stygii*. Sed inter hæc omnia *Templorum* Fanorúmque, ſicut *nomina*, ſic & *Opera*, palmam ferebat, *Capitolini Jovis*, non illud *Vetus*, quod urbis Regione Sextâ Numa Pompilius, ſed *Recentius* alterum, quod, *Tarpeji montis* areâ ſummâ complanatâ, Tarquinius Priſcus, ac nepos ejus, Tarquinius Superbus, reges, exſtruxerunt; Horatius Pulvillus, Conſul, conſummavit; exuſtum, Civili bellô, Sylla Dictator refecit; Luctatius verò Catulus dedicavit, arſurum iterum bellô poſtea Vitellianô; Domitianíq; ſumptibus reſtaurandum. Et *Tarquinianum* quidem illud, in excelſa Tarpeji montis crepidine conſtitutum,

longitudine pedum quindecim ꝓductiore,ex
terà quadratum propemodum,erat; ac pedun
octingentorũ ambitum,ducentorúmq; pedun
altitudinem,ſucceſſu temporum accepit:colu
mnarum item,à tribus foris lateribus,ordinen
duplicem; à fronte verò, quà mare Tyrrhe
num,& Africam,ſpectabat,ſeriem trigeminam;
ænea limina; *cellas* tres,communî quidem uni
us templi murô clauſas, ſed intus, interjectî
parietibus, à ſe mutuò diſcretas : quippe, ſub
eodem laqueari, *Jove* ſedem unam, alterã ter-
tiámq; *Junone Minervâq;* Deabus, utrimſecu
obtinentibus. Et *Tarquiniani* quidem *Capitoli*
culmen, *Jovis* effigiẽ,totam auream,cum qua-
drigis aureis, oſtentabat. *Catulianum* autem,
faſtigiatis in ſummo tectis, aurô puriſſimô re-
ſplendens, illapſum deſuper, & ex oppoſitô,
triplicis plagæ Solem, radiis mutuîs æmulíſq;
provocabat. intus verò,laquear univerſum, ad
cœli lucentis ſimilitudinem, aurô fulgere cœ-
pit; ꝙ ſenſim incruſtatione,per universũ lacu-
nar,continentî ſolidâq; perductum eſt: poſtea-
quam Romæ victrici Carthago victa procubu-
it. Ut adeò,de flammis ac cinere Potẽtiæ Pu-
nicæ ſepultæ, Romani *Jovis* aurũ,& opes,exîſ-
ſe,videri poſſent; *Junonémq; Zelotypam* ultor *Di-*
eſpi-

eſpiter triumphâſſe. Quibus talibus, aliiſque generis ejus, operibus, in eam denique Roma prorupit, arrogantiæ pariter, & impietatis, audaciam; ut *Templum Ipſa Sibimetipſi* poneret: quod, *Vrbis-Romæ*, dictum eſt. in quo, proritantibus eam ad id aſſentationibus Aſiaticîs, *Divinitatem* ineſſe ſibi nihil dubitans, *ſeipſam* (per immenſam ſuperbiam) colebat: ſibi victimas, ſibi ſacra, ſibi vota, faciebat: ſibi thura ponebat, & genua; Supplicatione, ſuppliciîs universîs digniſſimâ. Quid enim infandius, quàm, urbem eam, quæ, *raptorum* primò manibus condita, per Romulum dein, apertô Prædonibus aſylô, creverat, ſeptem *colles* ſuos in *Olympi* majeſtatem extollere? Cœlum è Scipſa ſibi ſtruere? Divinitatem cloacis, fornicibus, antrísq; luparum ſuarum, includere? *Speluncam* deniq; veterum *Latronum*, novam *Orationis* impiæ *Domum* efficere?

De *Templis* igitur, ac delubris, *Romæ-Veteris* hæc, pro multis, dicta pauca ſunto; ridendîs ſanè: ſi vel ſolum *Veneris-Calvæ* Templum; vel *Pudicitiæ plebejarum* mulierum, à *Patriciarum* pudore diſtinctæ; vel *Romæ* demum, *ſeipſam* in Deas referentis, examinaremus: niſi multîs adhuc partibus exagitatione digniores reperi-

R 2 ren-

rentur, tot templorum tunc, & ædium, fanorum, ararúmque, poſſeſſores & incolæ, *DI, Deæq;* : *deunculi*, *deunculæq;*, (liceat, ità nominare!) *tricies mille*, delirantis Antiquitatis. quorum plurimos invenímus, haud *rebus* modò, ſed vel *vocabulis nudis*, erubeſcendos. Eorum quidem certè, tum Diverſitatem, *abſurdámq;* nominandi rationem, tum nonnunquam *Obſcænitatem* quoque, non *Divus* tantùm *Auguſtinus*, jam à veſtibulo ferè librorum *de civitate Dei*, (quartô maximè, ſextôque), vel *Arnobius*, aut *Lactantius*, aliíque *Patrum* Veterum, irrident: ſed neq; nos hodie, quoties eorum in *Indicem*, aut *Faſtos*, incidimus, *conſpuere* ceſſamus. Tantum nimirum, ex illis, puerilitatis, dementiæ, ſpurcitiæq;, fumat, & exhalat: ut ea *Pallorem*, *Pavorem*, *Fugiam*, *Febrim* (quos illi *Deos Deáſque* fecerant), vel à ſola *lectione* deliriorum iſtorum, quotidie creare *Chriſtiano*, piè ſtomachanti, poſſint: útq;, tot inter, vel *re*, vel *nomine*, vel *utriſque* pariter, *turpia*, ſi reverentiæ conſulendum ſit *aurium*, adhuc honeſtate pronuntiationis ſuî primas ferant, *Fluonia*, *Nixia*, *Bubóna*, *Stercúlius*, & *Cloacina* (qqqq). Tantò verò turpiora, quantò quæq; vocabulô *ſpecioſiora*, Liber-Deus, Dea-Bona,

Dea-

Dea-Flora. quorum, aliorúmq; generis ejuſmodi, Numinum *Sacra*, nullâ non exſecratione proſcriptionéq; pudicitiæ conſtabant.

Simillima verò DIs ſuis etiam *vota* nuncupabantur: quæ, *Neronianarum* libidinum *Arbiter*, (talium in *Cæſare* ſuo *conſcius*, ac ſæpe quoque *ſuaſor*,) ſub *Eumolpi Polyænią* nominibus, ac perſonis, (*rrrr*) dum traducit, ac narrat; eádem operâ ſimùl *irridet*, & *confitetur*: haud utiq; tunc illi demum ſæculo nota, ſed jam antiquitus uſitata. Quantô ſanè meliùs, majeſtatiq; tam ridendorum Numinum convenientiùs, populi Romani *Conſul*, vir graviſſimus, *Luc. Papyrius Curſor*, Papyrii Dictatoris filius, bellô *Samniticô*, mediôq; prælii diſcrimine, DIs Romanis *vovit*, quod *præſtare* quotidie quivis, tametſi non periclitans, citra luculentum ullũ rei familiaris impendium, poſſet? SE, SI LEGIONES HOSTIUM FUDISSET, JOVI VICTORI POCILLUM MULSI PRIUS, QUAM TEMETUM BIBERET, ESSE FACTURUM. Idque *Votum* tam grande, potionis *è vino melléque* confectæ, continuò ſecutus *ſanguinis torrens* eſt; cæſîs, ad *Aquiloniam*, hoſtium Romani nominis inimiciſſimorum *triginta millibus*, *tre-*

centîs, *& quadraginta*: captísq; *tribus millibus*, *octingentîs*, *& ſeptuaginta*. (ssss) Longè verò crudeliſſima, quà *vota* fuerunt, quà *ſacrificia*; quoties *humanæ* fierent ab Romanis *hoſtiæ*, peregrini ſanguinis, eam ob cauſſam, ut ab eorum cervicibus *hoſtis externus* averteretur. Tale victimæ genus fuit, è fatalibus, neſcio quibus, libris erutum, annô, quo pugnatum infeliciter ad Cannas Appulas fuerat, *Gallus* & *Galla*, *Græcus* & *Græca*, ſub terram in fori Boarii meditulliô *vivi* demiſſi. Quo locô, tam tetricô ſqualidóq;, ſaxîs conſertô; miſerrimi mortales illi, fame, frigore, tenebrísq;, confecti, lentum ac deſperabundum ſpiritum exhalabant. (tttt) Immanis item & illa fuit, ac tantò deteſtabilior, quantò crebrior, *hoſtia*, quâ faciebant in Amphitheatris; quoties concurſuri, mutuas in cædes, gladiatores erant. de qua tamen certaminum feritate nondum hîc ago; poſterioribus eam *Romæ-Priſcæ* portentis reſervans. Sed id ſolum nunc dico. Quoties in arena committenda *paria*, concurſui præpararentur: *Lipſi* quoque, cæterorúmq;, res amphitheatricas exſequentium, teſtimoniô, ſollemne fuiſſe; ſtantem in propinquo *Ditis* Aram, humani ſanguinis imbui rivô: talîq; ſacrificiô,

ficiô, Scythici furoris ludos illos initiari. Quantò verò dirîs omnibus abominandius erat illud aliud Sacrorum inſtitutum, quo, ſcimus, *Vetuſtiſſimam* uſam eſſe *Romam*, annîs haud paucîs; cum ætatis tenerrimæ truculentâ pernicie? ſed per religionis cauſſam. Referens, exhorreſco. Conſultus Apollo Delphicus à Quiritibus; *Quidnam agi juberet, ut incolumes ac ſalvæ domus & familiæ Romanæ perennarent?* reſponderat; UT PRO CAPITIBUS SUPPLICARETUR. Interpretati ſunt, à *Phœbo* ſibi mandatum, UTI CAPITIBUS FIERET; & quidem, HUMANIS. Id ergo quò quàm minimô (ſicut rebantur) mortalitatis impendiô tranſigeretur; per familias, *vicatim* ſaltem, ſi non & *oſtiatim* (quod ſuſpicari quis auderet) quotannis pueros, *Mániæ* Deæ, *Laribúsq; domeſticis*, ceu *Maniæ* filiis, cæſos, immolabant: idque menſis Maji (ſicut quidam conjiciunt) exordiô, poſtridie Kalendarum: in quem diem poſtea *Compitalia* Semideorum *Larium* Feſta ſunt tranſſcripta. Duravit hæc, in *puerilia* colla capitáq;, rabioſa Pietas, adhuc ſub *Tarquinii Superbi* furioſo regno; duratura, credo, poſteras adhuc in ætates complures: niſi *Luc. Junius Brutus*, Conſul primus, & *Tarquinii*,

quinii, (talia Sacra promoventis,) ejector, aboleviſſet impiam carnificinam; edictô propoſitô: *Nequis poſt illa pater materve familiâs capite puerilî, ſed, decollatîs alliorū papaverūmq; cervicibus, rem divinam Laribus faceret. obſidem verò Domeſticæ Salutis, effigiem Mâniæ Deæ, pro ſuis quiſque foribus, ſuſpendere meminiſſet.* Id primô Saturnalium ſuorum librô *Macrobius* ſcriptum reliquit. En, quibus ex initiis Romæ-naſcentis, *Roma* poſtmodum *adultior*, ac jam *Reipublicæ Liberæ* titulô, velut inveteratô, ſibi placens, haurire ſit viſa *ſanguinis humani*, nonnunquam autem & *Infantilis*, ſitim! Quot millia, credamus, *puerilium*, ſub Regibus, *capitum* reciſorum, cruoris ſui vindictam, à Superis Verîs ac Juſtîs expetîſſe? Præ talibus igitur ſuperſtitiosè ſæviendi generibns erga *vivos*, nec æſtimari quidem debebat ſupremus ille, *mortuorum* membra laniandi, ritus: quando, peregrè præſertim vitâ functo, digitus præcidebatur: quò Sanctiora poſtea domi, tales ad reliquias, *Iuſta* mortuo fierent. *Cruenta* fuerunt iſta (quis neget?) Romanarum *Religionum* exempla: quibus tamen viam ſternebant *Superſtitiones*: nec ſemper, illæ *mitiores* duntaxat, votorum quorundam, & aliæ, talium actionum occupatæ nugîs,

nugis, à qualibus, Secundô *de Natura Deorum* librô, *Marc. Tullius* opinatur, *Superſtitionis* fluxiſſe vocabulum: ut nimirum, *qui dies totos precabantur, & immolabant, utì liberi ſui Superſtites eſſent, Superſtitioſi ſint appellati*. Quod ipſum tamen ille *nomen*, mox confitetur, *latiùs patuiſſe*. Sanè quidem Ciceronis hoc effatum, de Superſtitionum *latiſſimè* diffusô, per Urbem, Italiámq;, regnô, pluſquam verum, manifeſtúmque, fecerunt mentium *Romanarum*, circa pleraſque res, exerrantes opiniones, ac ritus; religionum, ſed falſarum, ſibi ſpeciem circumponentes. Ut enim pauca de plurimis excerpam, ac proferam: quid apud eos non *auſpicatò*, privatim, aut publicè, gerebatur? In *privatis*, quotuſquisq; vel ibat, vel navigabat, vel equitabat, vel nundinabatur, contrahebat, deſpondebat; quin *auſpicium* priùs captâſſet? &, cui non priùs *addixiſſent aves?* In *publicis* quoque, non ii ſolùm illis intenti curis erant, quorum muneris fuiſſet, *auſpicari*, vel *augurari*: ſed ipſi quoque *Conſules*, ac cæteri magiſtratus, & *ſpectionem* (ut illis loqui mos, ac ritus, erat), & *nuntiationem*, habebant; cùm *de cœlo ſervâſſent*: & ità quidem, ut maximi nonnunquam momenti res, & acta, *ſpectione ſolâ*, vel *obnuntiatio-*

ne, disjicerent, aut inhiberent: odiis ſuis, ac ſimultatibus, & invidiæ, religionum hoc velum prætendentes. His talibus igitur *formidinibus*, non, (ut villaticîs illîs, ruſticîſque), noxiæ volucres ex agris, ſed è Reipublicæ finibus inſignia frequenter emolumenta, commodáque, fugabantur. ex earum momentis victrices *Aquilæ*, vel quieſcebant, vel movebantur. ex iiſdem Paces ac fœdera, tumultus ac bella, pendebant, & regebantur. De *Pullorum*, ante prælia, ſollemniter obſervatô *ſoliſtimô ſonivióq; tripudiô*, ſubindicatum in *Machabæis* ſuperiùs eſt; quando de *Nicanoris*, in pugna cæſi, comminutô cadavere narrabam. Quare, præterimus hîc illa, cruentorum in armis diſcriminum, *Auguria*. Quædam autem, in hoc ipſo *Superſtitionum* genere, Romanorum deliria, quanquam *ridenda* magis, quàm cum publico privatôve damnô multùm *pernicioſa*, videri poſſent: interim tamen *Imperii* tanti *majeſtatem*, ſeriámque *Religionis* ſpeciem, dedecebant. Quale fuit, Sacerdotes *Lupercos* immolare *Canem*; diſcurrere per urbem, pluſquam *ſeminudos*, (quod *Marcus Antonius*, & *Conſul*, & alter tantùm-non *Cæſar*, fecit); caprarum, recèns excoriatarum, pellibus, in corrigias, ac ſcuticas, concisîs, ludere

dere per laſciviam; obſtantes obvióſque quoſvis,& inprimis *ætatis adultæ mulieres*, ultrò ſeipſas offerentes, flagellîs illis ac verberibus invadere: quoniam, id ad uteri fœcunditatem conferre, Luperci percutientes dicebant; & matronæ percuſſæ credebant.

Non multò majoris gravitatis, (etſi majoris ordinis, ac loci,) fuit actio, quâ *Dictator, clavi pangendi cauſſâ* creatus, Luc. *Manlius Imperioſus*, Luc. *Pinarium* Magiſtrum Equitum dixit: & Idibus Septembribus, non ſinè ſolitis magiſtratûs illius inſignibus, tanquam *Pyrrho, Perſeòve* cuipiam, aut *Annibali*, debellandis, ſeſe parans, & accinctus, in *Capitolium* aſcendit; ac lateri dextro *cellæ Iovis*, qua parte *Minervæ cella* fuit, grandi cærimoniâ *clavum infixit*. qui *clavus* ſimùl, & peſtilentiam ſævientem, aut impendentes fortuitò ſeditiones, compeſceret, ac fugaret; ſimùl autem, & *Annorum-Vrbis* numerus, atque nota, fieret: *rarîs* (utì Librô ſeptimô Livius ait) *per ea tempora litterarũ* monimentîs aliîs extãtibus. Quod autem *Manlius* tum fecit: id, ejus exemplô, poſtmodum, urbíſq; receptîs moribus, ad poſteros quoq; tranſivit.

Minoris, utì *pompæ*, ſic *admirationis*, (in *ſexu* præſertim *ſuperſtitioſiore*,) fuerit, referri; *Veſtales*

virgi-

virgines,aquam Sacris ſuis,niſi de *Iuturnæ fonte* nullam petiſſe: tanquam & ipſam jam, in antecesſum,ſacram,ac divinam. *Ignem* verò,quoties is collapſus,& ideò reficiēdus,eſſet,eas reparare non aliter conſueviſſe; quàm,*felicis arboris lignum* unum, in altero ſimilis materiæ lignô,terebræ more, tamdiu circūverſando; donec è lignorum alterutro, vel utroq;,proſiliret *ignis*: quem, *æneô* mox exceptum *cribrô*, Virgo Veſtæ-penetralibus inferebat. Id *Veſtales* agebant,Idololatriæ *Cæcitate*,per omnia caligantis; nec laborioſiùs in ligno *flammam* inventuræ, quàm *in Legibus*, quas *Numa* Veſtalibus præſcripſit,*Veri*,rectíq;, *Lumen*.

Sic igitur hæ *Fontem*, ſic & *Ignem*, in Sacrificia ferebant. *Fontium* autem religionem *Veſtalitiam*, uſqueadeo non adſtrinxit *Juturnæ-Scatebris* populi vulgus; ut, ad Quintum Iduum Octobris, fontes *univerſim omnes*, injectîs in eos ſertîs,floribúsq; ſerotinîs,coronaret; ceu *Divinæ* cujuſdam *Originis*, mortalium ſiti deſtinatas, *papillas*, atq; *pocula*. Quæ qualiacunque tunc eſſent; gravitatis tamē, maturitatíſq; Quiritium, ſpecimen aliquantò probabilius præſeferebant: quàm, cùm, eorundem inſtitutô,quotannis memoriam reducebant *Capitolii*, Gal-

Gallorum armîs obſeſsi, pérque clangorem anſerum, dormientibus interim canibus, ſervati. Tunc enim die ſuô, celebrîq; per urbem pompâ, circumferebant, hinc quidem, *Anſerem vivum*, in lectulo, ſtragulîs pretiosîs ornatô, recumbentem: illinc autem, *Canem*, qui, neglectu cuſtodiæ, nec ipſe deliquerat, nec fortaſſe progenitores illius, à tot retrò ſeculis, & in *Crucem* tamen miſerè ſuffixum; aſpectûq; ſuî, *Vigilias* auribus fratrum ſuorum inclamantem. Omitto jam cætera, præſertímq; *divinationum*, *ſomniorum*, *ominum*, & omnis generis vaniſſimarum obſervationum aliarum, ſexcenta *terriculamenta*: quibus animus humanus circumſeſſus, annos, menſes, dies, horas, ac momenta, trahebat in curam, ac formidinem. ut proinde dies *Atros*, & *Allienſes*, diem *Lunæ* quintam, decimam ſeptimam, ac nonam, inter *fatales*, diversè, vel *ſpe*, vel *pavore*, numerarent. (*u u u u*) In *Atris*, ab eis habebantur, ob acceptas aliquando *clades* (quaſi, cum Sole recurrente, ſemper recurſuras), dies illi, qui *Kalendas*, qui *Nonas*, quíq; *menſtruas Idus*, proximè ſequebantur. Diebus hîs, *res divina publicè ne fieret*, cautio Romanis, auctoritate decretôq; Pontificum, erat. Cujus ejuſdem notæ *dies* etiam illi fue-

fuerunt, quibus *Inominalibus* nomen erat: *anti* *Quartum* nempe *Kalendarum*, *Nonarum*, *& Iduum*. Latinis quoque feriîs (quando, *Romanos* inter & *Latinos*, induciç quondã pactę fuerant) ac *Saturnalibus*, &, PATENTE (quod dicere ſolebant) MUNDO, cùm *Plutoni Proſerpinæq;* rem divinam faciebant; nec prælium iniri, *laceſſendi* cauſsâ, nec ſcribi militem, nec iter à milite ſuſcipi, neq; navem exire portu, neq; *cauſsâ liberûm* quærendorum uxorem duci, fas ac fortunatum habebatur. (*xxxx*)

Quod autem de *Diebus* dixi, qui *Nuptiis* crederentur vel importuni, vel ſecundi, fore; dicere de *totis* quoq; *Menſibus*, ut fortunatîs infauſtîsve, poteram. Quare, non *Calendæ* jam ſolæ, cujuſcunq; menſis, & *Nonarum* dies, & *Iduum*, nec non, horum omnium poſtriduani; *Parentalium* item, & *Saliorum* Sacerdotum, feſtæ luces, inauſpicatæ novis thalamis credebantur: ſed *Menſis Majus univerſus*, à Kalendis ad calcem uſque. cùm, è diverſo, qui Majum proximè ſequebatur, menſis, poſt *Idus* ſuas, ad Quintilem uſque, totus haberetur opportunus, ac felix. Quàm vellem autem, & *Iſidis*, ac *Bonæ-Deæ*, dies ac noctes, *Baccbanalitiáq; ſacra*, totîs è *faſtis*, anniq; circuitu, *Romani* proſcripſiſ-

pſiſſent! quoniam, ſicuti diebus *Atris*, *Innominabilibus*, ac *Non-prœliaribus*, multa ſæpe bona proſperáque, quæ fieri potuiſſent, formidinibus hîs ſupervacaneîs intercipiebantur; itâ deteſtandîs illîs *Isiacîs*, *Dionyſiacîs*, ac *Fatualibus* (yyyy), myſteriîs, unâ ſimûl proſcriptione pulſîs, *adulteria* pariter, ac *ſtupra matronarum* ſinè numero, contigiſſet, excludi. De quibus *laſciui ſexûs* illius improbitatibus licèt inferiùs quoq; recurſura querela ſit; hoc ipſo tamen loco prętereundum non penitùs videtur, quod rectè veréque vir ſuperioris ſæculi doctiſſimus (zzzz), ex *Aquinatis Satyrici* mente, pronuntiat: IN BONÆ DEÆ, PESSIMIS SANE, SACRIS, A FOEMINIS ROMANIS EADEM OMNIA FERE FIERI SOLITA FVISSE; QVÆ FIERI CONSVESSENT IN SACRIS BACCHICIS: ad quæ Bacchica, viri fœminæq;, *non Sacrorum* (inquit), *ſed promiſcui concubitûs, gratiâ convolabant. ubi, matronarum & ingenuorum nullo diſcrimine, tum cum diſpare, tum cum parili*, (quod nefandius erat) *ſexu*, flagitia nefandiſſima, *præſentibus* & ſpectantibus *Helleſpontiaci Dei*, *Cybelêsq;*, *Sacerdotibus*, *inter cymbalorum*, *tympaniq;*, *tumultum*, *exercebantur*. Quod idem ipſum & *Hipponenſis*

Præ-

Præſulis, *Auguſtini*, liber *decimus octavus*, de *Civitate Dei*, tanquam *rabioſam* (ut ipſe loquitur) *turpitudinem*, *Senatuiq́ Romano*, per tot illam annorum ſpatia toleranti, *probroſam*, exſecratur.

In *Iſidis* verò, tam *Sacrificiis*, quàm *Æde*, *maximam fœminis adulteriorum & prabitam*, *& arreptam fuiſſe*, *facultatem*, *copiámque*; quid refert, Naſonem, Juvenalem, poëtarúmq; cæteros, ad teſtimonium invitari? quos, ultrò, neminéque munus id eis denuntiante, clarè canentes audimus; *Iſidem*, *ſuîs in myſteriîs*, *multas id facere*, *quod ipſa Iovi fuerit*. (*Aaaaa*). A quorum *tamen fide*, tanquam *Poëticâ*, proptereáq; figmentorum ſuſpectâ, ſiquis fortè recedendum putârit: num idem & ab *hiſtoricorum* auctoritate recedet? è quibus, ſupervacaneum fuerit, exquirere; *Quidnam ad Iſidis fieri fœdè flagitioséq́ potuerit?* cùm, *quid factum revera ſit*, ſinè dubitatione teneamus: quando, *Decius* quidam (*Mundus*, nomine, quàm moribus, & cupidine, purior juvenis, Romæ, Sacerdotibus Iſidis aurô corruptîs, in ipſo Deæ templo *Paullinam*, ſpectatæ cæteroqui pudicitiæ matronam, nocturnîs ſub tenebris *Anúbin* Deum mentitus, ad improba vota ſua, *tanquam è Numine concepturam*, perduxit. (*bbbbb*) Pau-

Pauca ſint hæc, è multis, ſuper *Idololatria* Romæ-Veteris, ac *Deorum* utriuſq; ſexûs *multitudine*, credulis *perniciosâ*. Quæ ſanè DEMENTIA, prudentiſſimæ cæteroquin gentis, EO PROCESSIT; VT NEC HVMANI CORPORIS VLLVM ESSET MEMBRVM, CVI NON SVVM ILLA DEVM, AVT DEAM, ASSIGNARET (ccccc): VT HOMO PROINDE, QVANTVMCVNQVE NEQVAM, ET ATHEVS, NON POSSET NON ESSE DIVINITATE PLENISSIMVS.

X. Quid alia porrò *Veteris-Romæ* dedécora? *parvâne* nobis, aut *pauca*, videri debent? *Malorum omnium Radix*, *opum Cupiditas*, proximum ab *Idolorum* cultu locum apud eos inſedit; *Idolorum & ipſa*, divo Paulô teſte, *ſervitus*. Irrepſit eà, blandîs primùm, & aſſentatoriîs pæne, populorum ipſorúmmet, (qui pòſt emuncti ſunt), lenociniîs, tenacitati Romanorum obtruſîs. Nec id in *uno* quopiam adulandi genere; tametſi, *de multis unum*, ſpeciminis cauſsâ, proferre juvat: cujus è ſucceſſu, facilî poſtea conjecturâ colligantur & cætera, quæ non proferuntur.

En! invaluerat armîs, ac gentium-victrice

potentiâ, *Romanus*, *cis mare* primùm: deinde paullatim & in *tranſmarinis*. Reperti ſenſim amici *Sociiq;* ſunt, hoc eſt, ipſis ex *Italicis:* qui, Victoriam imperatorum alicui gratulantes, ultrò, planéq; ſponte ſuâ, *Coronam* ex *auro* mitterent; qua, tam bene de gentis *Auſoniæ* gloriâ meritum, caput cingeretur in *Triumpho*. Probata talis, & grata primùm ab Romanis habita, liberalitas, ac civilitas; ſenſim alios quoq; populos & urbes exemplô traxit, eâdem in urbanitatem, & elegantias. Aliáq; gens aliam, non *æquare* ſolùm numerô ponderéve *coronarum*, certabat, (ne vel poſterior *officiô* videretur, vel *opibus* inferior); ſed interdũ, & *ſuperare:* quò *viciſſe* cæteras, *in* ipſa *victoriæ gratulatione*, cenſeretur. Itaque ſanè *Manlius* (inquit Anaſtaſius, in Lipſii breviario), *cùm triumpharet, Coronas aureas ducentas, ac duodecim, bilibres ſingulas, ante ſe portatas, Populo ſpectandas exhibuit. Ducentas, triginta quatuor, Publ. Scipio. duo millia Coronarum, & octingentas viginti duas, ſingulas librarum decem, aut circiter, Iulius Cæſar.* Ab his talibus largiendi gradibus, adhuc vel in uſu, vel in umbra, *Libertatis*, teri ſolitis, aſcenſum tandem, *ævô Principum*, eſt, ad *unius Coronæ* pondus, quod *auri libras ſeptingentas* contineret; ab Hiſpania-

ſpania-Citeriore *Claudio* miſſas: ad alterius item *Coronæ* magnitudinē, quæ libras auri mille penderet; quas eidem Gallia-Comata dedit. Iſtius appendix, etiam *torques* fuit, *aurea*; *Gallorum* & ipſa donum, *pondo centum.* Quam munerum molem, nō modò *Claudii* cervix, & vertex, non tuliſſent; ſed vix *Minotauri Cretici*, vel *Elephanti Gangetici*, caput, atq; collum. Ad ſolam igitur iſta *Pompam*, non ad geſtamen, erant; ſuis in divitiis, uſqueadeo ſupervacuis, avaritiâ Romanâ ſibi plaudente. Cùm autem, adhuc vigente quoque Republicâ, *Coronarum* paullatim plus ſatis congeſtum eſſe, videretur; &, idipſum ſentientes amicæ nationes, liberalitatem primam imminuere, contractiore donatione, cœpiſſent: tam *impudentes* nihiloſecius eſſe *Romani* perrexerunt, ut ultrò faterentur; *Coronarum cumulum immodicum, Triumphis ſenſim non ornatui magis eſſe, quàm oneri.* pro Capitum tamen illo decore, manupretióque, pecuniam potiùs ipſam, in ærarii congeriem, flagitabant; ac flagitatam, ſi quando tardiùs offerretur, imperabant: imperatámque, ſed dilatam, etiam invitis tandem extorquebant, *minis armatis.* Quod coacti-doni genus, cùm *turum*, ut plurimùm, eſſet, adhuc *infectum*

uno generatim vocabulô, quamvis ejus in lo-cum nonnunquam tantundem *argenti* ſubſti-tueretur, *Aurum* appellabatur *Coronarium*; ex ea, quam dixi, ſponte primò mitti ſolitarum, *Coronarum* origine. Dictum idem eſt, & *Aurum Triumphale*: quod pars tandem, ac mantiſſa, fieri cœpit, etiam *Tributorum*, ex debito penſi-tandorum. Et hoc *exactionis* jugum, non *a-micis* modò *nationibus* cæteris, ſed & ipſiſmet *Italicis* (qui tamen immunes priùs erant, & habebantur,) populis eſt impoſitum: ut & a-liud quoddam, de quo paullò pòſt inferiùs ex-poſtulabimus, extorſionis onus. Inverecun-dum profectò *rapacitatis Romanæ* monſtrum! ex *hoſtibus* primùm, ſinè modo numeroq;, præ-das agere; manubiásq; reportare: *Sub* idem au-tem, immò, *propter* hoc idem, è veſtigio, *Socios* etiam, tanquam in *hoſtium* locum ſubſtitutos, diripere: quóſque, *gaudere* quondam de victis imperii perduellibus, mos fuerat, eos ad *novum* poſtea *ploratum* adigere; quia *nova* gaudendi materies, & argumentum, obortum eſſet.

His porrò rapiendi diripiendíq; moribus, ſti-mulus eſt additus exercituum Romanorum imperatoribus: ut, idoneis cupiditati ſuæ re-gnis, ac Provinciis, ſibi debellandis oblatis, un-

dique,

dique,ſine fræno modeſtiæ, pro ſe juxtà, próq; publico, prædarentur, atq; corraderent. quos, in *præturis* deinde *provincialibus*, quemadmodum in rem ſuam improbiſſimus quiſq;,rapinîs annuîs, aut triennalibus, imitari poſſet, ac deberet; exemplô ſuô *Cajus* poſtea *Verres*, furum omnium decantatiſſimus, oſtendit. *Præibant* tamen,utì dictum eſt,exercituum *imperatores*. quorum è numero (cęteros ut omittam) *unus*, nec tamen *unicus* ultimúſque, *Luc. Sylla*, poſt *Aſiaticum* pręcipuè confectum bellum,auri pondo millia quindecim, argenti centum & quindecim millia,Romanis opibus adjecit: ſuî tamen, inter hæc, non oblitus, aut tantopere negligens; quin divitiîs & *Craſſum* ſuperaret illum,cui *Diviti* cognomentum fuit: cujus *Craſſi* tamen opum cumulus univerſim *quinq;* fuit (utì nunc loqui nobis,& numerare,ſuetū eſt) *millionum*;familiæ verò tantum erat agmen: ut in ſervorum ſuorū exercitu fabros numeraret, & architectos,quingentos. Et hic *unus* erat,ac privatæ poſtea ſortis,homo. poſt illum autem, ejuſdem quidem *conditionis*, ſed amplioris *cenſûs*,complures (quos ex Admirandis Lipſianis Anaſtaſius collegit; nos, ex utroq;:) quorum nonnulli poſſeſſionum, ac fundorum, am-

pliſſimos fines in bonis haberent. Talis *C. Antonius* Nepos, *Ciceronis* in Conſulatu *collega*, Cephaleniam, Ionii maris inſulam, poſſedit totam; in qua novum quoq; condidit oppidum: ſicut in *Piceno*, ſub idem ipſum ferè tempus, *Cingulum* urbem *Tit. Labienus*, è peculio ſuo; quod in Cęſaris expeditionibus Gallicanis collegerat. *Cn. Lentulus* autem, *Augur*, millionum auri decem poſſeſſor; nondum tamen *inimitabilem* ſe, vel *duobus libertis ſolis* præſtitit, aut aliis quibuſdam: qui poſt excidium Reipublicæ, nec tamen multò ſeriùs, Romæ vixerunt; quorum, *Pallas*, ac *Narciſſus*, à Claudio manumiſſi, *denos* in cenſu *milliones* habuêre. *Poppæus*, in poſſeſſionibus ſuis aſpexit flumina; quorum origo, curſus, & occaſus, in ejus eſſent fundis & agro: vivens tamen jam ſub *C. Caligula*, cujus mens, Principis *Neronis* illa vox erat; HOC AGAMUS, NEQUIS QUIDQUAM HABEAT! *C.* autem *Cæcilius Claudius Iſidorus*, è media licèt plebe vir, & cujus ætas anterior, *Ciceronis* poſtremos annos vidit; poſteaquam bellorum civilium tempeſtatibus magnum incurriſſet fortunarum ſuarum naufragium: moriens tamen, teſtamentô nuncupatô, reliquit, *Servorum millia quatuor, centum*, ac *ſedecim*;

decim; boum juga ter mille; pecoris, extra boves, ducenta quinquaginta millia; (quantum armenti, gregúmq;,nec Regulus Husítes, *Jobus*, aliquando recenſuit): pecuniæ demum numeratæ,ſummam ſeſtertiûm tantam, quanta *Philippeorum noſtratium decies quinquies centena millia* conficerent. Et tamen, extra ſortem adhuc iſtam,exſequias ſibi funúsq; duci juſſit, *Seſtertiûm undecim millibus*: cui, quæſo, bono? *cremando* nempe *cadaveri*,quod unâ quondam eâdémq; conflagraturum erat operâ, qua *Spiritus* hujus *Idololatræ*: qui tunc in Tartaro jam ardebat, cùm oſſa membráq;, lege funerum, in rogo crepitarent.

Sed is fructus nempe *Romanarum* fuit, per rapinas & ſcelera congeſtarum, *opum*; ut in rebus frivolis deniq; perirent: ac *Malè Parta dilaberentur malè*. Quare dici ſcribíq; pro dignitate vix poteſt, quàm indignè, cumprimis ab *Optimatibus* hujus Imperii Reipublicæque, *Divitiæ*, ſummam per jactantiam, paritérq; prodigalitatem, dilapidari ſolerent. Certè *theatri, Mimiq;*,nonnunquam unius, aut *pugilatûs*, arenæve *gladiatoriæ*, ludus, magiſtratuum quoq; *patrimonia*, per vanitatem, exſorbebat, dum hi populi favorem captant: cùm præſertim, è

Spectaculis notæ potioris, vix ullum auri million minùs, & quadrante millionis, (his enim nu merorũ vocabulîs uti nos, ævi noſtri mos co git) interdum autem, & duobus *millionibus*, a dimidiô, ſtaret. Cùm item *C. Jul. Cæſar*, nondun etiã ad fundum collapsâ Republicâ, gladiatoribus *arenæ* ſollemnem *apparatum omnem ex argento*; nec metalli diſparis *haſtas*, conficiendis in arena ferîs, faciendas curaret: Cùm in *Circo* contabulationes, & pegma, *Luc. Murenæ* ſurrigeret, centum viginti quatuor millium argenti librarum pretiô: Cùm monſtra Libycarum ferarum, *humanum in publico ſanguinem* bibitura, *caveîs auratîs* circumferrẽtur: Cùm *Lucullæo marmore* privatarũ interdum ædium parietes inducerẽtur; & ingentes trabes, altæq; columnarũ moles, ac vaſtę laqueariũ teſtudines, *auro ſolidô* veſtirentur: cùm *gemmîs*, & *ebore*, cubilia relucerent: cùm alia deniq; cõpluria fierent, præter omnẽ *legum Sumptuariarum* ordinẽ, & inſtitutum. cujus de legis neglectu quiddam, & in conſequentibus, interſpergetur; cùm ventum ad *Ingluviem* Romanorum erit. Satìs interim ex his etiam, quæ nunc produximus, ſuper eorum *Auri cupidine*, profuſionéq;, manifeſtum eſt; quantò ſui meritô cæteris ferè gentibus

tibus univerſis fuerint inviſi pariter, & notis infamibus compuncti. *Tranſmarinis* igitur in regnis (nequid terrarum *Europæ mediterraneæ* nunc attingam) *Mithridates* eos, Ponti *Rex*, haud ſanè præter meritum ipſis infenſus, tametſi, præter omnes humanitatis leges, infeſtus & crudelis; epiſtolâ, qua *Parthorum* regem *Arſacen* ad belli ſocietatem, ſecum, & cum *Tigráne*, contra Romanos ineundam, invitat, non *ex vero* minùs eos, quàm *ex arte*, depingit (*ddddd*). Ubi, cùm *hoſtes* eos *ſceleſtiſſimos*, ideóq; dignos, quos bello *Parthi* quoq;, per opportunitatem, perſequantur, præfatione litterarum ſuarum nominâſſet; ſubnectit deinceps: *Populo Romano, cum nationibus, & populis aliis, regibúsq; cunctis, unam, ac veterem, bellandi cauſſam eſſe, profundam imperii divitiarúmq; cupiditatem. Callidos eſſe Romanos; repertoréſq; perfidiæ: cùm Perſeum,* Macedoniæ regem, *in fidem acceptum, apud Samothrácas Deos, inſomniis occiderint: cùm Attalum*, Pérgami regem, *regno captivo cuſtodem potiùs, quàm dominum, impoſitum, è rege, Servorum miſerrimum effecerint: cùm Eúmenem*, itidem Pergaménum, *Antiocho regi prodiderint, ut pacis mercedem:* cùm *Nicomedis* Bithyni regnum, *eô mortuô*, totum *diripuerint; licèt eidem è Nyſa (quam*

Spectaculis notæ potioris, vix ullum auri million minùs, & quadrante millionis, (his enim numerorũ vocabulîs uti nos, ævi noſtri mos cogit) interdum autem, & duobus *millionibus*, ac dimidiô, ſtaret. Cùm item *C. Jul. Cæſar*, nondum etiã ad fundum collapsâ Republicâ, gladiatoribus *arenæ* ſollemnem *apparatum omnem ex argento*; nec metalli diſparis *haſtas*, conficiendis in arena ferîs, faciendas curaret: Cùm in *Circo* contabulationes, & pegma, *Luc. Murænæ* ſurrigeret, centum viginti quatuor millium argenti librarum pretiô: Cùm monſtra Libycarum ferarum, *humanum in publico ſanguinem bibitura*, *caveîs auratîs* circumferrẽtur: Cùm *Lucullæo marmore* privatarũ interdum ædium parietes inducerẽtur; & ingentes trabes, altæq; columnarũ moles, ac vaſtę laqueariũ teſtudines, *auro ſolidò* veſtirentur: cùm *gemmîs*, & *ebore*, cubilia relucerent; cùm alia deniq; cõpluria fierent, præter omnẽ *legum Sumptuariarum* ordinẽ, & inſtitutum. cujus de legis neglectu quiddam, & in conſequentibus, interſpergetur; cùm ventum ad *Ingluviem* Romanorum erit. Satìs interim ex his etiam, quæ nunc produximus, ſuper eorum *Auri cupidine*, profuſionéq;, manifeſtum eſt; quantò ſui meritô cæteris ferè gentibus

tibus univerſis fuerint inviſi pariter, & notis infamibus compuncti. *Tranſmarinis* igitur in regnis (nequid terrarum *Europæ mediterraneæ* nunc attingam) *Mitbridates* eos, Ponti *Rex*, haud ſanè præter meritum ipſis infenſus, tametſi, præter omnes humanitatis leges, infeſtus & crudelis; epiſtolâ, qua *Parthorum* regem *Arſacen* ad belli ſocietatem, ſecum, & cum *Tigráne*, contra Romanos ineundam, invitat, non *ex vero* minùs eos, quàm *ex arte*, depingit (*ddddd*). Ubi, cùm *hoſtes* eos *ſceleſtiſſimos*, ideóq; dignos, quos bello *Parthi* quoq;, per opportunitatem, perſequantur, præfatione litterarum ſuarum nominâſſet; ſubnectit deinceps: *Populo Romano, cum nationibus, & populis aliis, regibúsq; cunctis, unam, ac veterem, bellandi cauſſam eſſe, profundam imperii divitiarúmq; cupiditatem. Callidos eſſe Romanos; repertorésq; perfidiæ: cùm Perſeum,* Macedoniæ regem, *in fidem acceptum, apud Samothrácas Deos, inſomniîs occiderint: cùm Attalum*, Pérgami regem, *regno captivo cuſtodem potiùs, quàm dominum, impoſitum, è rege, Servorum miſerrimum effecerint: cùm Eúmenem*, itidem Pergaménum, *Antiocho regi prodiderint, ut pacis mercedem:* cùm *Nicomedis* Bithyni regnum, *eô mortuô*, totum *diripuerint; licèt eidem è Nyſa (quam*

& ipſi Romani Reginæ nominatione cohoneſtâſſent filius ſuperſtes eſſet: cùm *ſe* deniq; , *per Nicomedem*, quantumvis *invitum*, & repugnantem, a Deorum conſcientiam appellantem , *infeſtârint*. Nimirum *Romanos*, in eo tunc facto, *ſecutos eſſe, non tam hoſtem, quàm morem ſuum, omnia regna ſubvertendi: quâ proinde conſuetudine tunc & Arſaces* Parthus,non magìs ad belli ſocietatem à Mithridate Tigranéque , *quàm, ab Romanis ad prædam, expetatur. Eos, jam indè, rerum ſuarum ab exordio* , primíſq; poſitîs *urbi Romanæ* fundamentîs, *non* habuiſſe, nec habere,*quidquam, niſi raptum*; *non domos, non agrum, non imperium, ac ne conjuges quidem*, (utpote, *Sabinis* per vim ac dolum ereptas) : *quiq; convenæ quondam*, finè patria, finè certis, & cum gloria nominandîs, parentibus, fuerint; mox, humanô ſimùl ac divinô proculcatô jure, *ſocios, amicos, procùl juxtáq; ſitos*, inopes denique potentéſque, trahere cœpiſſe; porróq; tracturos in exitium eſſe. quippe, *qui cuncta, nondum ſerva, maximè verò Regna, ducant in hoſtilibus: quique mortales in omnes habeant arma; ſed in eos acerrima, quibus victis ſpolia maxima poſſint abſtrahere. Talibus Romanos artibus, audendò, fallendo, rapiendo, belláq; continenter ex bellis ſerendo,*

magnos

magnos eſſe factos. Ad eundem autem modum, in poſterum quoque majores majorésq́ ſemper evadentes; niſi, dum tempus ſinat, extinguantur, omnia celeriter extincturos eſſe, genuinos gentium latrones, orbiſque terrarum peſte conditos.

Hæc pléraq́ Pontici regis *verba*, tametſi *Salluſtii* ſint è ſtylo, *Mithridatis* tamen (quis dubitet?), immò terrarum tunc omnium, è mente ſententiâq;, profluxerunt. Cujus, de *Romanis*, exiſtimationis, & *Avaritiæ* potiſſimùm, *Ambitionis*, *Iniquitatis*, *Inſolentiæq́* criminum, maniſeſtiſſima paſſim, veterum ſcriptorum monimentis impreſſa, veſtigia tralucent.

Vix *annus*, ab urbe conditâ, *quingenteſimus octogeſimus* procedere cœperat: cùm *Romani*, qui priùs *hoſtibus* tantummodo, nec aliis, (tam densè promiſcuéque,) graves fuerant, tunc & *ſociis amicisq́*, *parcere deſierunt*; itinerum ſuorum expeditionúmque ſumptus, in pompas nonnunquam, & officia venerationis prorſus inutilis, conſumi profundíq; ſolitos, ab oppidis, etiam *Latini nominis*, exigendo: cùm, hæc talia nunquam antehac, niſi Româ, déque *publico*, præberi, mos ac lex eſſet. Primus id oneris à *Præneſtinis* exegit *Luc. Poſthumius Albinus Conſul*: à quo manavit in omnes deinde poſte-

poſterorum ſucceſſiones, impendiorum, etiam graviorum, durum imperium; exempliq; nocentiſſimi peſtifera pravitas. (*eeeee*) Secuti namque *Conſulis unius* avaritiam, alii poſtea *Conſules, Proconſules, Prætores, Proprætores, Legati, Quæſtores*, ac diverſa Proconſularium, in Provincias, *aſſeclarum* nomina; fortunîs ærariîſque ſuîs, & *pacatas* pariter, & *dubias inimicásq;*, nationes exhauſerunt. Contra quem *injuriæ torrentem*, quamvis leges, ac *judicia repetundarum*, exercerentur: ea tamen in *eorum* perquam frequenter incidêre tribunalia, *præ quorum* provincialibus antehac *rapinis*, *innocentes*, & *abſolvendi*, videri deberent, etiam *Reorum nocentiſſimi*, quíque contra vehementiſſimum *etiam actorem*, ad *patroni* deſperationem uſque, cauſſam dicebant. In *cæteris* ergo, QUIDNAM FACERENT LEGES; UBI TOTUM ERAT PECUNIÆ REGNUM? *ubi, qui ſedebat in Reum Iudex, nihil, niſi redemptum aurô, probaret: nec aliud eſſet omne Prætorium, ac Tribunal; quàm publica quædam nundinatio* Mercatorum-Juris. ubi denique (quod Neronæus Arbiter dicit) VENALIS ERAT, IN SENTENTIAS, PATRUM CURIA; VENALIS, IN SUFFRAGIA, POPULUS; *ac Favor, ad pretium*

tium, tanquam ad ſtateræ nutum, expenſus: nec aliò, quàm, unde ponderoſioris lucri ſpes, ac pactum, affulgeret, inclinaturus. Ad hujus *pecuniariæ pruriginis* arbitrium, ac *frictum*, fixæ leges, ac refixæ ſunt: indicta bella nationibus, eadémque denuò compoſita: reges appellati, reginæq;; quotiésq; viſum eſſet, denuò dejecti *regaliter*, & in ordinem redacti. Plus dicam. Ab iiſdem, *Regum* ipſorum, inter ſeſe *lites* arrogantiſſimè plerumq; diremptæ ſunt: ſicut, inter *Antiochum Epiphanem*, ac *Ptolemæos Alexandrinos* eſt actum, *ruſticâ* Popilii Lænatis *majeſtate* (fffff): cùm *ſimilis* tamen *arrogantiæ*, ne levem quidem *umbram*, oſtenſam à *Rhodiis*, pacem compoſituris, ipſi toleraſſent; indignati; *populorum aliquem, in terris, aut inſulis, tam præſidentem fuiſſe repertum: qui, quidnam Romanis conduceret, auctor ipſis & admonitor, auderet eſſe.*

Cupiditas *Romana* fecit, ut (quod & aliô loco meminimus) rex Cyrenarum, *Apion*, urbem eam ſui *regni* ſcriberet *hæredem*; *ne, non ſcripta Roma, nihiloſecius id, tanquam ſuum, invaderet, quod erat alienum.* Ad eandem terroris formam, extortum quoq; fuit, *Pergaménum* in Aſia minore, *Cottiarum item Alpium* in Europa, poſt-

poſteáq; *Judaicum* in Oriente, ſub exceſſum *Herodis Aſcalonitæ*, regna: quæ, ſicut & alia terrarum, *Romanis*, tanquam *legata*, titulôve *donationis*, obtigerunt. & hæc quidem (ut ipſi prædicabant, ſed nemo credebat,) à *Volentibus*, nec ullâ prenſantium *hæredipetarum* fraude, captâ perhibebantur, à Scriptoribus quibuſdam Romanis, gratiæ ſervientibus. Alia verò *Regna*, quæ nullo poſſent hæreditatis *colore* fucari, ſilentiô prætereuntes, *inumbrabant*. Sed *prudentes*; iſta nec latebant, neq; *fallebant*. Nam *Ptolemæum* quidem *Cyprium*, quia, cedere fortunîs regiis, ac patrimoniô majorum ſuorum, *nondum-mortuus*, abnuebat; oſtensô cominus eminúsq; terrore mortis, ad necis arbitrium ultrò præripiendum, auctoritate *Marci Catonis*, per obliquum, adegerunt.

Seipſum enim (quod in Ptolemęorum Ruina, ſuô locô, diximus) interfecit: ſed, ut Appianus tradit, auri, quod cupidiſſimè Romani petebant, copiâ maximâ priùs in mare jactâ. Fuit hæc felicitatis alienæ cupiditas, in *Romanis intoleranda*. Sed *intolerabilior* illa, (quia cum injuriâ maximâ, nec minore crudelitate, conjuncta): quòd *Regum Populorúmque complures*, quietè licèt agentes, &, in otio pacéque fore ſe,

ſeiproſeſſos, tamē *priores* ipſi, cauſsîs undequaque decerptîs, laceſſivêre; ſubindéque, ne formidine quidem *potentiæ majoris*, tanquam adversùs *Romam* aliquando vires illæ, per æmula conſilia, ſemet armare poſſent, & auderent.

Ac de *Mithridate* quidem, déque contumeliis, & in eum immiſsîs vicini regis armîs, jam ſuprà dictum eſt; quando *Romanorum eminentioris* bella numerabamus. Atqui *Celtiberici* quoque *Numantiniq;* belli, nec *brevis*, nec *levis adeò*, furor & incendium, faces accepit, à *Servilii Galbæ, Luciiq; Licinii Luculli*, crudelibus & avarîs, in gentem *Hiſpanam*, factîs. E *ergeminis* quoq; *bellis Punicis*, primum, ac poſtremum, ſuſcepta, geſtáq; ſunt, culpâ *Romanorum*. Ac primum quidem bellorum illorum; lum eripere *Meſſanam* Carthaginienſibus aulent, quam illi jam victoriæ jure tenebant; *erfidè* captô, carceríque traditô, duce Pœnoum, *Hannône*: dum, inter hæc, ſuas illi copias n oppidum & arcem introducunt; pacémq;, uam *Pœni* ſervabant, *iſti* rumpunt. *Poſtremum* utem cum Pœnis *bellum*, erupit indè; quòd *omani*, crebras & graves, à *Maſiniſſa*, Numidaum rege, *Carthaginienſibus* illatas, finium vexaones dolosè tractarent: dum inflicta *Carthagini*

gini damna, primò *diſsimulanter*, ſenſim deinde *palàm*, irreprehenſa tranſmittunt: poſtremóq; ſuis etiam armis protectô rege *Maſiniſſâ*, comprobant; id unum ſpectantes, ut, *exſcindendæ* demum *Carthagini*, vias, & aditum, aperirent. Quibus omnibus, aliiſque bellis compluribus, ab *iniquitate* Romanorum exortis, divitiæ quidem illis, & immenſa ſpolia quæſita, partáque, ſunt. Pompâ triumphos, opibus ærarium, urbem Italiámq; *Servorum*, non dicam, *Gregibus*, ſed *Exercitibus*, impleverunt; uno ſubinde Romanô, quondam Equite, facilè viginti millia mancipiorum (*ggggg*) in forum, oſtentandæ potentiæ cauſsâ, deducente: cum injuſtiſſimâ tamen interim populorum, (*frequenter inſontium*) vexatione; cum diris eorum direptionibus, & oppreſſione; cúmq; miſerarum gentium illarum, ſine numero, elementiâque, cædibus. (*hhhhh*). Perinde, (ſicut in *Catilina* rectè veréq; *Salluſtius*, quanquam & ipſe Romanus, conqueritur) *quaſi, facere victis injuriam, id demum eſſet, Imperio terrarum orbis uti.*

Sed hæc de *bellorum* duntaxat dicta ſunt *iniquis originibus*. Veruntamen, *confectorum* quoque *bellorum* gloriam, iidem, nec rarâ, nec illis igno-

ignoſcendâ facilè, perfidiâ corrupêre: cujuſmodi facinus fuit illud; quod adversùs *Bituitum*, Arvernorum in Gallia regem, Allobrogicô bellô, poſt urbem conditam annô ſexcenteſimo trigeſimo tertiò, deſignârunt: dum eum, ingentî præliô fuſum, ac, *centum & viginti millibus* ſuorum amiſsis, commiſeratione ſanè dignum, in *ſocietatem* quidem *amicitiamq;* recipiunt; ídque, Pace, non modò publicè factâ, ſed etiam Senatûs-Conſultô firmatâ. Sed hunc ipſum, *Romam* interim, *ad ſatisfaciendum* Senatui, Populóq; Romano, profectum, nec hoſtile quidquam in poſterum metuẽtem, derepente corripiunt: catenas injiciunt: in triumphum ducunt: pòſt autem, *Albam*, in cuſtodiam, amandant: carceris ei collegam, *Congentianum*, filium, & hæredem regni, jungunt: eiſque *libertatem* (pro qua tamen retinendâ, reges hi, noviſſimè Gallorum copiîs, *centum & octoginta millium*, in aciem productîs, dimicârant,) in perpetuum eripiunt. cùm inter hæc tamen, *Ignoviſſe ſe victo ſupplicíq; Bituito* Regi, *verboſa clementiæ ſimulatrix*, *Roma* perridiculè jactaret: talî *Sociis & Amicis* Arvernis *veniâ* datâ, qualem & *Pacem* dederat; quarúmque neutram, vix *latronum* quiſpiam, è ſceleſtiſſi-

mis, gratam haberet. Sed nempe, triumphabat illorum tunc *Superbia!* nullâq; vulgò re *lætiùs* ovabat; quàm *catenatîs*, & *carcerum* pædore confectîs, *captivîs*: qui *diademata* quondam, & *coronas*, geſtâſſent. Ità *Perſeus*, Macedonum; ità *Gentius*, Illyriorum; ità *Syphax*, & *Hiarbas*, Numidiæ, *reges*, interierunt. Nam, parî, vel aliquantò triſtiore, fatô, conſumptum in vinculis Romanis fuiſſe, *Jugurtham* quoque, *Numidiæ tyrannum*; in hoc duntaxat homine, tam exſecrandô, *non tam id invidiam facere Romanis debet: quàm, quòd in eum, avaritiâ ducum optimatiúmq; ſuorum, non properantiùs ac ſeveriùs animadverterunt.* NIMIS enim TARDE CLEMENTERQUE PERIT, QUISQUIS INHUMANA CRUDELITATE MISERICORDIAM HOMINUM CONSUMPSIT: *ac, ſuorum magnitudine ſcelerum, ſuppliciorum omniũ ingenia ſuperavit.* Ut jam *Oxyntam* prætereã, eodem Iugurthâ genitum, & in Triumpho cum eo ductũ, ac poſtea Venuſinis è vinculis ad *belli ſocialis* conſortium eductum; plurimáq; diu Romanis rebus incommoda ſuſcitantem: cùm, (utì Rex) *auxiliis* Romanorum *Numidicis* oſtentatus in purpura, creberrimorum iis transfugiorum cauſa fieret; cúmque centum milli-

millibus *hoſtium Italicorum*, Romanis incertam aliquantiſper Victoriam redderet: imitatione videlicet turbarum, & inquietudinis, *Jugurthæ*. Quod eô ipſo mirãdum in *Oxynta* minùs fuit. nam, & FILIUS, ET AFER, quid eſſe debebat aliùd; quàm, NEFARII PATRIS NEQUAM EFFIGIES?

XI. Sed tamen fortaſſe, quæ producta ſunt hactenùs, *Optimatium* duntaxat, ac *Senatûs*, & *Potentiorum*, fuêre flagitia: *Populus* ipſe *Romanus*, integer, ac ſcelerum aliorum, extra ſuperſtitiones, & Idololatriam, intactus.

Primùm; ſi *plebejam* illam innumerabilis multitudinis *colluviem*, etiam *abſolvere* publicæ concordiſq; nequitiæ poſſemus, ac vellemus: numquid *unius* olim *Manaſſis*, ac paucorum urbis Principum, *crudelitas*, præſidio patrocinióq; potuit eſſe JEROSOLYMÆ *reliquæ*: quò minùs, *in Oculis Dei Judicis*, & haberetur CIVITAS-SANGUINUM; *(iiiii) & cruore* juréq; talionis, ut *Sanguinum-Civitas*, inundata, gladiô *Babyloniorum* evaſtaretur? CORPUS *enim*, AD MALITIAM IMBELLE, NULLA DEBET ESSE FURENTIS IN POTENTIA CAPITIS DEFENSIO. Deinde, nequis, *Plebi* parcendum fuiſſe, malè miſericors,

contendere perſeveret: ſciat is, UNIUS ROMÆ, SICUT UNUM NOMEN, ET COMMUNES MUROS; SIC ET UNAM FERE SCELERUM FUISSE SENTINAM, ET CONJURATOS IN NEQUITIAM MORES. *A vertice capitis, ad plantam uſque pedis, non erat in ea ſanitas!* (kkkkk).

Poſt *Punica* namq; bella, demptô paullatim illis externæ potentiæ, gentísq;, ſæpe quondam victricis, *metu*; quando cum pace ſenſim illis, & cum otio, ſubrepsère vitia (tam *immensâ* præſertim *in multitudine, quæ nec ipſa ſe regebat, nec regi volebat, aut ſolebat, à veteris diſciplinæ cenſurâ*): quidquid vulgò libebat, id & fiebat. *Dominorum* in *ſervos* ſuos magna, ſæpiſſiméq; *privatis* etiam impunè cedens, *crudelitas*; ſuſpéndere dierectos; vinctos, loris ad necem uſque cædere; corporibus noxiorum flammas circumponere; feris, ac murænis, laniandos objicere: delicta, non-grandia, pœnis grandibus, & atrociſſimis, inſectari: nec multùm diſtinguere, *fuſtène canem occiderent, an, in mancipiis, hominem?* Quin & præceptum, ſeu lege, ſeu more, veterum erat; ut, interemptô per ſervorum quempiam dominô, quotquot è mancipiis, ac vernîs, eodem tempore, ſub eodem

fuiſſe

ſuiſſe tectô, convincerentur, (quorum tamen ſubinde multitudo, ſicut Caſſius apud Tacitum ait, non *manipuli* tantùm, ſed *nationes*, fuêre), cuncti perirent. Nec *primum*, vel *unicum* fuerunt, atrocitatis hujus exemplum, illi *Servi Quadringenti*: qui, *Pedaniô Secundô*, conſularî virô, præfectôq; tunc urbis, ſervi manu, propter amoris obſcœniſſimi corrivalem contentionem, jugulatô; per urbis medium, diſpoſitîs utrimque præſidiîs, ad ſupplicium raptati ſunt. Id namque, ſub *Nerone* quidem poſtea geſtum, *decretô Patrum Conſcriptorum*; *ex antiqua tamen, & jam olim frequentatâ, conſuetudine*, repetitum erat. (*lllll*) Quid autem jam dicam, aut quibúſnam, pro rei magnitudine, verbîs inceſſam; publicâ populi Romani voluptate, *noxios* pariter *& inſontes*, ac *ſervos* juxtà *liberóſq;*, quondam belluis arenariis in lanienam objectos? quid, commiſſas inter ſe *gladiatorum*, jam non *manus* tantùm, ſed propè *cohortes?* Enimverò, tam multùm in hoc ipſo, quod producere ſum exorſus, *Immanitatis munerariæ* genere, limites humanitatis omnes tranſſiliejunt *Quirites*: ut publicæ notitiæ non parùm interſit, aliquantò curatiùs eam introſpici.

Sub *Amphitheatris* igitur, (quorum in arenâ,

& *belluæ* pugnatrices emittebantur, & *gladiatores* concertaturi prodibant,) in caveis *feræ* ſervabantur, & fame ſæpe feroces, & ſuapte naturâ ſemper immaniſſimæ. Supra *feras* erant crebrò, *Contabulata*; quæ *Pégmata* Græcis, *Confixa* Latinis, nominabantur: è ligno nimirum, grandes, & cum ingenio compactæ, *machinæ*; commiſſuris quibuſdam, ac nexibus intus, laxamentiſq; clandeſtinîs, ſuâ ſponte, nunc in altum ſurgentes; aliàs autem, & inopinatò quidem, ſubſidentes, ac, veluti terræ repentinâ voragine, dehiſcentes: ignarîs, & futuri caſûs improvidîs, iîs, qui densâ ſubinde frequētiâ ſuperſtabant. Hi, *Principum* quidē inprímis ævô, ſed, crudelitatis exemplîs utiq; jam & olim à *Republica* nonnunquam proluſîs, diductâ momentô temporis ac diſſolutâ contabulatione, decidebant in caveam univerſi: dentibúſque belluarum commóliti, quaſi per jocum, ac ludicrum, peribant: ut adeò *beſtiarum priùs pabulum, quàm ipſi beſtiarii, fierent*.

Jam verò de *Gladiatorum* quoque deteſtabili laniena, conſuetîsque *ludorum* illorum inſtitutîs, ut dicam; *impellit Veritatis in hiſtoria ſtudium*: pæne verò *deterret, eorum, quæ dicenda ſunt, horror*. More truculentô, jam olim ab *Hetruſcis*

truſcis deductô, Romaníſq; poſtea cærimoniis paullatim importatô; *funeribus* clarorum virorum,& ad eorũ buſta,GLADIATORES dabãtur. unde nomen iis BUSTUARIORUM quoque natum eſt. Pugna verò, Spectaculúmq;, MUNUS vulgò dictum,per quandam appellationis excellentiam : quaſi *donum*, populo, longè præ cæteris,acceptiſſimum. Hos,per ſuperſtitioſam religionis cauſſam, omnium primi Romæ dederunt, in foro Boario, *Marcus* & *Decius*, *Bruti* fratres; annô, poſt urbem Conditam, quadringenteſimô nonageſimô, MORTVI PATRIS PIÆ (ſcilicet!) MEMORIÆ. Secuti ſenſim hos alii ſunt, in ſuorum funeribus; quibus per *homicidia* parentabant : ſed principiò, non ferè, niſi *Principum* virorum ad buſta; *funeribúsq;*, quæ ſuperiùs appellavimus, *Indictivis*. Non autem multô pòſt hic mos in *privatorum* quoq; *mores*, ac *mortes*, irrepſit; etiam *teſtamentô* plerorumque, paullò locupletiorum, firmatus : quando, ceu voluntatis ſupremæ voce, vel ſcriptô, decernebatur ; *Quot*, cujusq; ſub obitum, *paria*, certamine gladiatorio, committerentur. Id porrò fatale Promiſſum, primîs temporibus aliquouſque, *Virorum* duntaxat ab obitu; paullatim dehinc & à *Fœmina-*

minarum quarundam exceſſu, (cruentas has inferias, ut partem gloriæ ſui ſexûs, prodigali ſibi furore conducentium,) repræſentabatur: non tam, ut teſtamentum, legatúmque, quàm, ſuî, ſub tam ferali ſpectaculô, barbaricū monimentū. Hoc verò, ſiquis *è ditioribus* prętermiſſurus aut eſſet, aut eſſe videretur: populus, ecce! vellebat aurem; ac, *tanquam lege jurėque debitū*, ab hæredibus illud impudēter efflagitabat.

Cùm autem, *Munerum Editores*, non minùs ipſi ſe conſpicuos à munificętia, quàm, gladiatores ſuos ab animoſitate numerôq;, vellent: paria gladiatorū ferè *compluria* ſimùl dabant. *Julius* ſanè *Cæſar*, adhuc utcunq; ſtante Republicâ, cùm, *elementa curuliū bonorum, Ædilitatem*, iniſſet; *paria* trecenta viginti, *Gladiatores* videlicet univerſim *ſexcentos quadraginta*, dedit: plures interim, niſi *novâ* tunc ei *lege* fuiſſet interceſſum, daturus. Alius item, alibi terrarum, ſed & ipſe *Romanæ* ditionis, poſt *Julium*, unicâ commiſſione *mille quadringentos*, hoc eſt, *paria ſeptingenta*, produxit in certamen. Et hic *Agrippa* fuit *Herodes*, rex Judæus; Romani moris, & furoris, æmulus. Quo tamen adhuc dementior Cajus Caligula Princeps, ſub éadem tempora, mille paria, mutuò ſe dilaniantium, exhibuit.

hibuit, ut adeò mirari fas eſſet, undénam tot, in vitæ prodigalitatem venales, animæ contraherentur? Nimirum, immenſorum profuſione ſumptuum, *familias* (nam ità nominabantur) undique *Munerarii* comparabant. Et hæ, *captivorum*, *ſervitiorúmq*, robuſtis ex agminibus, vel coëmptæ, vel eò damnatæ, *laniſtis* in *ludum* dabantur. Eædem autem & aliunde conquiſitæ conductæque, nomina *Romanis Italiciſque* pugnatoribus, addiderunt gentium earum; è quibus, aut prodiſſent, aut cultum armorum & habitum aſſumpſiſſent: ut *Ludi* non ſolùm *Æmilii Mamertiniq*, ſed & *Gallici*, Romæ viſerentur, & *Dacici*; quibus in *ludis*, magiſteriô profeſsô, formarentur ad pugnandi ſcientiam, ac dexteritatem. Unde variæ deinde gladiatorum claſſes exibant; putà, *Retiarii*, *Threces*, *Mirmillónes*, *Samnites*, & id genus alii, ferè *Coacti*: pauciores, *Voluntarii*; qui, *liberi* cùm eſſent, pretiô ſeipſos addicebant arenæ: donec, ad extremum, & *ingenui* quidam, quin, *equites* etiam, ac *Senatores*, gladiatoriam ſunt profeſſi. Trahebat autem multos, ad vendendæ prodigendæque vitæ tam inſanam audaciam, paris animi propoſitíq; *participum - Societas*. trahebat, *familiæ*, ſub uno quopiam celebriore *Laniſtâ* doctoré-

ve, *nomen*: cui laniſtæ, tota manus aliqua *corpora ſimùl & animas addixiſſet*. Alliciebat etiam *loci*, ſcitè digeſtus, *ordo*: diſtinctáq; ſingulis, per *cellas* ſuas, habitatio. provocabat, *ventris* aſſidua, proptereáq; *gladiatoria* vulgò dici ſolita, *ſagina*; quâ pingues, nitidi, robuſti, valentéſque, die *muneris* prodirent. Attrahebat item pugnacem illam multitudinem, *Munerariorum* (quo, paullò ſuperiùs etiam uſurpatô, nomine, poſterius apud ſæculum, ii, *qui Gladiatores populo dabant*, appellabantur) auctoritas; quoties præſertim, extra *funerum* cauſſam, ipſi quoque *magiſtratus*, & *primores* urbis, *munus* ederēt. qui ferè primùm *Ædiles*, dein *Quæſtores*, *Prætores*, &, ſub Reipublicæ ſuprema fata, *Conſules* nonnunquam, ac *Sacerdotes* quoq;, fuerunt. Ut ne dicam; aliquid ad *alacritatē* gladiatorum, huic lanienæ mutuę ſeſe devovēdi, contuliſſe, *populi Quiritium*, ac *totius Italiæ*, concurſum: quâ frequentiâ *ſpectari*, *dulcedo, non omnino nulla*, *ſubrepit*, *etiam Perituris*. Quiddam deniq; contuliſſe, reor, ſollemnem illam, qua producebantur in oculos vulgi, *Pompam*. Die namq; *Muneris* illuceſcente, circumducti celebriter *gladiatores*; in locum certaminis ordinè ſeſe recipiebant. Ibi *paria* componebantur, *Editoris* arbitriô, ſoler-

tiq;

tiq; curâ: qua *fortes* ille *fortibus*, & univerſim, *æquales æqualibus*, committebat: inſpectîs inſuper, & ab eo diligēter priùs exploratîs, quibus inter ſe concurſuri mox eſſent, armîs. Nam, eâ quidem armorum Cenſurâ, non obvium quodvis ferrum, ſed acutiſſimi quiq; , lethíq; celerrimi promotores, *gladii*, præ cæteris approbabantur: eiq; gladiorum generi *Druſianis*, à Druſo quodam munerariô, nomen erat. Fiebant autem, ante pugnam *veram*, proluſiones-pugnę: nunc quidem, *baſtîs purîs*, id eſt, ut alibi dixi, non præferratîs; aliàs, *gladiîs innoxiîs*, hoc eſt, obtusîs. Illas, (ſicut & enſes, & clypeos, ac parmas,) in altum jactas, perquam peritè recipiebant: arte dexteritatéque, quam appellabant, *Ventilationis.* Poſt umbraticas autem has in aërem, (ut Divus quoq: *Paulus* loquitur,) pugnas, ac diverberationes; ad acuta, vera, quæq; *Decretoria* dicebantur, *tela* veniebatur, id eſt, *arma:* quibus etiã, (in hoc duntaxat gladiatorio certaminum argumentô,) nomen factum erat, *Ornamenta*. Tubæ verò ſignum, clarè datum, pugnam, & concurrentium ardorem, inchoabat, vulneribus alternatîs. Eam proinde *Tubam*, quòd *terminus* ac finis eſſet ludicrè præludentis, & imaginariæ, pugnæ, *Terminalem*

non-

nonnemo dixit, *Africanus ſcriptor*. Cùm autem *Gladiatorum* non unum eſſet genus, ac nomen; ut *Pegmáres*, qui, pegmatibus inſiſtentes, dimicabant; ut *Catervarii*, qui, non per *paria*, ſeu ſinguli cum ſingulis, ſed permiſti confuséque, concurrebant; ut *Ordinarii*, qui locô, temporéque ludorum, & apparatu, legibus præſcriptô, concertabant; *Extraordinarii*, *Poſtulatitiiq;*, qui, Populi flagitatione, ſæpe *Muneris* tantùm *acceſſio* fiebant, & ſpectaculi Coronis, ad arbitrium *Editoris*: ſeu tamen illi *feris* concurrerent, ſeu (quod ſæpius) *hominibus* tantùm, aut pariter, unum in diem; *Gladiatorum* à *Beſtiariis*, uti *nomen*, ita *Ludi*, diſtinguebantur, & dimicandi quoque tempora. Quocirca, tam *Matutinorum* invenias, quàm *Meridianorum*, frequentata nomina: quorum illi, poſt Solis ortum, *cum beſtiis*; iſti, poſt meridiem, *inter ſeipſos*, concertabant. Ità, quem cruorem *Centum* ſubinde *feræ Libycæ*, milléq; *Septentrionis* urſi, nondum totũ, inter plauſus multitudinis, exhauſerant; eum reſiduum gladiatoris ferocia, commiſſa gladiatori, conſumebat; effuſiſſimâ *populi*, ſic *meridiari* gaudentis, approbatione. Crudeliter autem, in media ludorum voluptate, diſcordíq; ſecum mentis ſenſu, *Romanus* ſpectabat: quippe,

pe, lætus pariter, & aſper; jucundus, & acerbus; ridens, & iracundus. ídque, *timidum* quoq; *mortalitatis ac molle genus, mulieres*, &, *mitiſſimæ profeſſionis ordo, Sacerdotes*, faciebant. *Oculorum* princeps erat, & ſæculis illis amabile, *pabulum*; aſpicere *paria* ſingula, jam in arena, finitîs præludiîs, morti feriò parata: certáq; , vel occidere, vel occidi, plenîs animîs, ac minîs, in arma ſeſe colligentia; ſtatum præliantis componentia; de gradu, ne poſt vulnus quidem, decedentia: ſimùl, ingeſtîs, geminatîs, addenſatîsq; crebriùs, ictibus, adverſarium petentia, repetentia, vitantiáq; per artem, ac repellentia. Siquis verò plagám, (præſertim luculentam), accepiſſet; tum enimverò Spectatorum univerſitas exſilire gaudiô, conclamaréq; totîs cuneîs, *Habet! Hoc habet!* Quod ſiquis ſaucius, metu mortis, arma ſubmitteret: is tum, à ſpectatore populo, vel etiã *Editoris* à nutu, ſeu vitam habebat, & incolumitatẽ ſuam; ſeu perniciem, in ancipiti. Tantus autem, hæc ſpectandi, furor erat: ut jam, *Funerum* occaſionibus, quibus ſolîs primò *Munera* dabantur, haud contenti; paullatim ſolius cauſsâ *Voluptatis*, (& frequenter quidem, extra rerum ac temporum omnem ordinem, accerſitæ) *Gladiatores* introduce-

ducerent. Quódq; vecordius fuiſſe, meritò cēſeas: quoties eos alterius generis *ludorum*, (ut Comœdiæ, Mimive,) ſatietas cepiſſet; è mediâ ſcenâ, levandi tædii gratiâ, vel oblectationis interpolandæ ſtudiô, populus *Gladiatorum* aliquot Paria flagitabat; impetratáque, donec Scenæ quoq; repetendæ lubido rediîſſet, ſpectabat. Volentes porrò, nolentéſque, depugnabant: infeſtiſſimâ, (ſiquis refugeret, aut trepidaret,) multitudine. cujus idcirco ſpectandi libidini quò ſatisfacerent omnes; etiam *liberi Voluntariique*, ſúamet adigebantur in verba; quippe, Juramentô ſollemnî depaciſci ſpondéréq; ſoliti, cùm *Auctoramentum*, id eſt, *gladiatoriæ pretium*, acciperent: *Vri*, *Vinciri*, *Verberari*, *Necari*. quorum verborum etiamnum apud C. Petronium, in Eumolpi mimo, formulæ veſtigia ſuperſunt. Eô verò ſacramentô dictô, poſthac, invicem, ipſi quoq; dicebantur, & erant, *Auctorati*: quódq;, *paſſuros ſe*, jurârant, id patiebantur. *necem* enim ſuſtinebant, ſi victi, ſi ſtrâti forent: *flammam* autem, & verbera, ſi certamen refugerent, aut meticuloſiùs concurriſſent: paratîs, ad pœnam eam infligendam, jam antè, priuſquam pugnam ordirentur, in arena *Lorariîs*, ſeu (quos Græci vocabant) *maſtigophoris*;

phoris; qui flagra, vel ignem, in promptu ſemper, & ad manum, habebant.

Crudeles igitur, & inſatiabiles, in his, tam funeſtis, aſpectu devorandîs, Romanorum Oculi! Crudeliores, duellorum talium, ac digladiationum, inflammationes; à viris æquè fœminísq; gradûs omnis, & ætatis, & ordinis, fieri ſolitæ: voce, nutibus, digitis, ac manu, corporéq; toto. Nam, ut quiſq; gladiatorum illorum ſtratus eſſet, qui ſpectantibus, in certamine, diſplicuiſſet; vel alioquin aliô quocũq; corporis animive nævô multitudini minùs acceptus eſſet: ibi confeſtim *Amphitheatra* tota, plebs, equites, ac Patres, & Urbis *uterq; ſexus*, acclamãtes, ut *Ferrum reciperet!* jubebant. Id, *mortis* erat *Imperium*. Percuſſorem verò, ſicubi cunctaretur s aut dubitaret, oculorum nutu regebant: & n cædem properam inſtigabant. Quòd ſi Victor, per compendium, oculîs in conſeſſum versîs, aut circumlatîs, velut interrogaret, *Num onfici vellent adverſarium jacentem?* tum, nonnunquam, *introrſum* tortô manûs *pollice*, parcì uidẽ miſero ſinebant; ſed eâ lege tamẽ, ut in liam plerumq; pugnã reſervaretur. *pollice* verò *forâs* conversô, mandabant cędem. Eámque ictu victor inferebat, in ipſo veſtigio.

Ne

Ne tamen,aut clementiæ dare locum ullum *percuſſor*, ictu mitiore, citráq; ſupremam vim graſſante, poſſet; aut, mortem plenam diu ſimulare, doloſâ quietis immobilitate, *percuſſus* auderet, cùm interim ei Vitæ linea ſaltem aliqua ſupereſſet: *populus ille* (ſi Superis placet) *manſuetiſſimus, ac fictionis omnis acerrimus & circumſpectus oſor*, proſtratū jam, torrentíq; ſanguinis innatans, cæſi *corpus*, jubebat, ictibus in omnia mēbra crebris repetitum, tanquā in minutal, cōcidi, diſcerpíq; ; nequas fortè *vitæ reliquias ullas*, etiā *Cadaver*, in futuri ſpem, abſtruderet. Et verò, nec hac ipsâ, quam totus cohorreſcens deſcripſi, truculētiâ contenti, ſed aſſurgentes inſuper, exſiliētes, & concurſantes, haud raró, ſæviſſimi quiq; Spectatorum, ſanguiníſq; calentis ſitientiſſimi; jacentium, ac vitę fugiētis noviſſimô ſenſu palpitantiū, corporum vulneribus manum immergebant: eámq;, cruoris impletam rivô, plagarum è ſcatebris educētes; *capiti* nonnunquam, ac *temporibus*, applicabant. Id autem ii præſertim factitabant, qui ſeu corpore, ſeu mente, malè ſibi conſtabant. Horum tantus erat recuperandæ ſanitatis ardor; ut, barbaram per inſaniam, proſilientem è fauciis membris laticem *mortualem*, in *vitæ* longioris

ſpem

ſpem ac fomentum, labrîs hiantibus, ſorberent & ebiberent.

Magnum hoc, in multis erat, *immanitatis inſatiabilis* argumentum: quo fieri quàm certiſſimi volebant; *Aliquem planè periiſſe*: quando pro comperto ſcirent, *Se totam, in emulſo proſtrati ſanguine ſurreptô, vitam exhauſiſſe.* Sed iidem tamen, adhuc argumentô cupiebant exploratiore ſuam expleri curioſitatem; nequis, vel leviſſimus, ulli moroſo ſcrupulus ad dubitationem reſtare poſſet: *Vtrúmne radicitus, quidquid animæ ſe ſub artubus interfecti recondiderat,* in eo, qui non ſtatim in fruſta diſſectus eſſet, *interiſſet?* Cùm enim, in *arenam*, jam à principio certaminum, introlatus *funeris*, ac *Libitinæ*, *feralis* apparatus, cum inſtrumentis buſtuariîs, adſtaret: non ſemper tamen, nec quoſvis, illico ſandápilis illis inferebant, ut aſportatos cremarent: ſed corpora quorundam, infixô membris uncô ferreô, per *Arenam* mediam fœdè trahebant, in locum eum, qui cæſos in *arena*, vel in mortem læſos, recipiebat: quem locum, *Spoliarium*, dicebant. In eo, conſummatiſſimâ deniq; barbarie, cęſim punctímq; corpora gladiatorum conficiebantur. En, dignam Veteris-Romæ manſuetudine Lanienam! en! digniſſi-

mam magiſtrîs ludorum illorum,diſciplinam; id eſt, *Laniſtîs*: qui, primævâ Thuſcæ vocis origine, quid erant aliud, quàm, *Carnifices?* Et hæc tamen Publicæ Feritatis infamia,ſexcentîs haud multò minùs annîs durans; hæc, in *Republica* partim,ac partim ſub *Principibus*, Romę, Ravennæ, Capuæ, Byzantiíque, nutrita, cum clade nonnunquam, unius menſis alicuius,*viginti* facilè,vel *triginta* quoq;,*millium* gladiatoriorum capitũ ſæviens: proceſſit ad uſq; tempora *Conſtantini Magni Cæſaris*, & *Honorii*. Quorum *ille* quidem primus abrogauit eam; hic autem abrogatam,ſed poſtea recrudeſcentem, decretîs peremptoriîs extinxit: magnô, non modò *ſanguinis humani* bonô (cui providenter, extra neceſſitatis articulum, parcebatur); ſed etiam *Pudoris* ac *Verecundiæ* frænô; quod jam ſenſim & fœminæ (*gens* tunc, & *frons*, impudens!) laxare rumperéq; cœperant:quippe, nudari (tametſi reclamantibus Senatûs Decretîs),& in arena gladiatrices fieri,cœptæ: *ne lingua ſolâ ſemper,ac dentibus,bellare poſſe viderentur.*

Hæc ergo, quam hucuſque retulimus, *Arenaria* Romanorum *Inſania* fuit: *Ludorum* quidem,ac *Munerum*,urbanîs placidîſque vocabu-

lis

lis *palliata*; ſed *Sævitiæ* vera crudeliſſimâq; *magiſteria*: quoniam indè, civium etiam, aliorúmque, jugulandorum audacia naſcebatur. Ac *cædes* quidem *privatorum* capitum, (ut *Attilii*, *Nonii*, *Memmii*, *Sexti Roſcii*, municipis Amerini, *Maſſivæq; Numidæ*) multę: conſulatuū autem, & præturæ tribunatûſq; competitorum, ſinè numerô trucidationes fiebant. donec *cruenta* demum *neceſſitas* acriùs legem urſit, *de Sicariis*. Ac *priùs* tamen, & *poſtea* quoque, paullatim etiam in propinquorum, & ex intima conjunctione delectorum, interitum, armatæ *ſexûs utriuſque* manus, ac furiæ, deprehenſæ ſunt: ut adeò, nec *Sempronia*, Gracchorum *ſoror*, marito parceret, *Africano Minori*; nec *Hoſtilia*, (conjux & ipſa,) *C. Calphurnio Piſoni*, Conſuli; neq; viris, cognatis, civibúſq; ſuis, *plures*, *quàm centum & ſeptuaginta matronæ*, cujuſvis ordinis ac dignitatis: quas, in explorato veneficio, cum interitu virorum, etiam conſularium, comprehenſas, rerum capitalium vindices necaverunt. (*m m m m m*)

Inimicitias autem, & *odia*, *profeſſáſq; ſimultates*, (è quibus diductiones partium ac ſtudiorum, in ſtudia partéſq; diverſas; criminationes item acerbæ, conciones virulentæ, maledicta

mutua,coitiones,turbæ, lapidationes, cædes,ac multitudinum cruentæ digladiationes, cooriebantur): hæc,inquam,talia,quis,præ rerum indignitate, non dicam, in *claris* urbis illius *civibus*,ſed vel in *ſcurris* ac *rabulis*,ęquâ mente ferret? Fuerunt tamen hæc: nec fuêre tantùm; ſed, quod gravius erat, pæne jam *virtutis nomine velata*, *tanquam generoſarum mentium domeſtica décora*, viguerunt omnia, quæ recenſui, furentis animi Vitia. Nec unus ſolus inventus Romę *Q. Luctatius Catulus* eſt,(vir alioqui graviſſimus, & Capitolii refecti *Dedicator*),aut ſolus præterea *Cajus Piſo*, tranſpadanæ-Galliæ rector: qui, dolore præreptæ ſibi dignitatis à competitore,ſuîq; vindicãdi cauſsâ, furiis concordibus eò progreſſi ſunt; ut *Cæſarem* odiſſent,eúmq;,*Catilinarios* inter *conjuratos*, *ac majeſtatis reos*,vel falsò nominari,percuperẽt:viritim *circumeundo*, *criminando*; *mentiendóque*, de facinore,tanquam compertô: ꝙ ab illis tamen revera *confictum* erat,ut *invidiam*,*odiúmq;* *publicum*,*innocenti crearent*. (nnnnn). Nec unus CICERO (tametſi SANE SIC ACERBUS, UT UNUS DICI POSSIT, INSTAR OMNIUM; INFENSUS, IRRITANTIBUS SE, COLUBER) gloriæ ſibi duxit;non ſolùm inimici-

micitias apertas, ac denuntiatas, cum pluribus exercere; ſed etiam *caninâ ſuâ* (qualem, ut alibi dixi, *Lactantius* appellat) *facundiâ*, locîs ac cœtibus omnibus, omnes allatrare. Quippe, cui ſollemne jam & quotidianum eſſet, præter *Clodium*, *Vatinium*, *Catilinam*, (deterrima *civium* monſtra,) *Piſones* inſuper, *Gabinios*, *Antonios*, invadere; viros, partim *Conſules*, partim *Conſulares*: eos, & *coràm* nonnunquam, & frequentiùs *abſentes*, nominare, Patrum conſcriptorum in auribus, *Furias, peſtes, proditores, fures, furunculos, furciferos, ſceleratos, carnifices, ejecta cadavera, putidas carnes & canes, truncos, ſtipites; aſinos, fuſte docendos; vecordes, amentes, voragines, ſcopulósque Reipublicæ; vulturios; immaniſſima fœdiſſimáque monſtra; pecudes impuriſſimas; Epicuros; ex hara productos; admiſſarios, Tenebras, ſordes, lutum, cœnum* (ooooo); *populi publicum odium, patriæque certiſſimos parricidas.* (ppppp).

Nec tamen, qui tam immodicâ cæteris malè dicendi ſcabie pruriit, *Cicero*, malè viciſſim audiendi, de ſe ſuiſque, neceſſitate caruit. Affatim enim ei petulantis oris ille vomitus, in faciē, & os proprium, refuſus ab aliis eſt. Agnoſcūt eruditi (quos inter, *Arias* hîc nominat Fab. Quintilianum) *Criſpi Salluſtii*, recriminatricem-

 Cice-

Ciceronis, *Oratiunculam*, ut legitimam illius, ac genuinam, declamationem. In ea *Salluſtius*, (Ciceronis alioquin laudum, ob *Catilinam* oppreſſum, celebrator haud malevolus, ac populi Romani Senator,) in ipſa poſtmodo *Curia*, quæ non flagitia Tullio, per ordinem, in os jacit? *A* Marco, *putà*, Piſone *defloratam turpiter ejus adoleſcentiam: ſacrilegam, delibutámq; perjuriis, uxorem: filiam* Tulliolam, *matris* Terentiæ *pellicem; Ciceroni jucundiorem, obſequentiorémque, quàm parenti par ſit. domum ei, vi rapinisq; comparatam. civium eum cuſtodem fuiſſe, dempto duntaxat carnificis nomine; cæterà, violentum, &, qui Tuſculanum, Pompejanum, domum Publii Craſſi, ſuámq; demum opulentiam omnẽ, è ſanguine viſceribúsq; civium paraverit. hominem eſſe leviſſimum, flagitioſiſſimum, ſupplicem inimicis, contumelioſum amicis: harum modò, modò partium illarum; fidum nemini; patronum mercenarium: cujus pars nulla corporis à turpitudine vacet; cujus lingua ſit vana, rapaciſſima manus, immenſa gula, fugaces pedes; &, quæ nominari cum honeſtate non poſſint, inhoneſtiſſima. ſub quo tamen, propter aſſiduam ejus, de rebus à ſe geſtis in Conſulatu, jactantiã, civibus oblivisci non liceat Servitutis ſuæ: qui, quos Optimates aliquando nominâſſet, ac cenſuiſſet, eos poſtea demẽtes, ac fu-*

ac furioſos, vocare ſoleret; aliúdque ſtans, aliud ſedens, de Republica ſentire ſuetus, maledicat aliis, oderit alios: leviſsimus partium, nunc harum, transfuga, nunc illarum. Quæ *Salluſtiana* ſunt omnia, Ciceronis in vitam, mores, ac familiam, ſeu linguæ convitia; ſeu, ſic ex animi ſenſu vero profuſa, judicia. Nec *ſolius* tamen *Salluſtii*, ſed *Fufii* quoq; *Caléni*; magni cæteroquin, tam in *Cæſaris* primùm caſtris, quàm in ejuſdē poſtea Conſulatibus, potentiâq;, viri: cujus equidem verba, poſt *Secundam* Ciceronis *Philippicam*, in Marcum Antonium declamatam, eidem, & eodem adhuc die, frequentî Senatu, refuſa; dubitarem pariter, & erubeſcerem, tantò pòſt refricare: niſi *Dio Caſsius* ea, tanquam ſic in Curia prolata, multas alias inter contumelias, librô quadrageſimô ſextô publicâſſet; ac nobis quoq;, tantò pòſt illius ævo ſucceſſuris, legenda reliquiſſet. *Mollem eſſe Ciceronem: canos ſuos, pluſquam ſexagenarios, componere pectinibus; inſpergere peregrinîs odoramentîs, ac liquoribus. ad talos uſque veſtem demittere; non amore ſtudiôque modeſtiæ, ſed, ut crurum ſuorum deformitatem obtegeret. Filium ejus Marcum, patris indulgentiâ, nec interdiu ſobrium unquā eſſe, nec noctibus. Filiam Tulliam, inceſtu pollutam. Vxorem ab eo proſtitutam:*

tam: & *, poſtquam ex ea liberos geminos ſuſceperit, præcipitante jam ætate ſuâ, domô, lectôque, pulſam, & ejectam eſſe. juvenculam ei, virginem, in matrimonio vetulo fuiſſe ſubſtitutam. Sed eundem protinus ad Cerelliam, neſcio quam, jam ſeptuagenariam,* (quæ Ciceronis, de philoſophia, libros amabat mirificè, conquirebat, deſcribebat, & lectitabat) *animum adjeciſſe: quâ, per epiſtolas alternas, indecentes,* & *per adulterium prævium, ſibi connexâ; quò ſemper ac liberè cum ea vivere deinceps poſſet, etiã adoleſcẽtulam illam ab eo dimiſſam eſſe. Per omnem deniq; vitam impurum adeò ſe præſtare ſolitũ: ut, nec à propinquiſſimis ſibi, libidines ſuas abſtineret.* Hæc in *Ciceronem* turpia *Salluſtius*; turpiora, *Fuſius Calenus*, evomentes: num apud nos ideò fidẽ invenient? Poſſunt; ſed apud eos, qui ſuſpicaces, ac feſtinè creduli, ſunt. At mihi, qui *Ciceronem* è ſcriptis ejus, ac famę ſecundioris cõſenſu, judico; *Caleni* pręſertim maledicta, fabulę videntur ſuſpicionum temerariarum: &, ex inimicorum compacto, Calumniæ. Poteſt in quẽvis dici ſcribiq; quidvis, ab adverſaria lingua, vel ſtylo. ſed *dictorum pondus ab unicâ Veritatis ſtatera pendet*; cujus arduum poſteris, ac periculoſum, examen eſt: in opinionis præſertim publicæ diſſenſu.

Sed

Sed interim hæc,aliáque talia, ſæpe contumelioſiora, quæq; profundiſſimè pectora ſauciabant adverſariorum, & ad paria, nocentioráque,reponenda,provocabant: non *unius* (utì dictum eſt) erant *oris improbi* flagitia; ſed *omnium* in *omnes*, ut quisque linguæ dicacitate petulantiâque cæteris, aut indignationis amaritie,ſeu vir,ſeu mulier,præſtaret. Ut jam de *libellorum infamantium* acerbitate ſileam. quorum abuſu,*Catullus*, inter cæteros, probroſiſſimè *Cæſarem*,ac *Mamurram*, adhuc *viventes*,ab amoris infandi conſuetudine mutuâ,traduxit. Ipſe verò *Cæſar*, & *Catonis Vticenſis* innocentiam *mortui*, duobus *Anticatonibus*, denigravit: in quibus eum *inceſtæ*, cum ſorore, *Serviliâ Minore*,familiaritatis, reddere ſuſpectum conatus eſt: eò, quòd eam, ac ſuum ex illa nepotem parvulum,belli civilis tempore, per maria circumduxiſſet. Ità,quod à *Catone*,ſororis arctiori cuſtodiæ,contra procos; id, ab ejus obtrectatore,Cæſare,*Catoni*, contra fas ac jus omne,crimini vitióque, datum fuit. Iſta porrò maledicentiæ, quam deſcripſi,rabies, non poſt *Lucii* demùm *Syllæ* ſeculum invaluit adeò; quin,jam antè multò, *Saturninorum*, *Gracchorum*, *Iciliorúmq;*, tribunitiis tempeſtatibus, publicè priva-

tímq; regnârit. Ut adeò *Terentianum illud*, hîc quoq; locum haberet: *Nihil* ferè poſt Syllam, vel *dictum eſſe*, vel actum, Romæ; *quod non dictum* factúmq; *ſit & priùs* (qqqqq). Hâc autem odiorum, ſimultatum, contentionum, contumeliarum, ac reciproci furoris, & obtrectationum, licentiâ, quantum, credimus, damnorum & vulnerum inflictum fuiſſe (*Virtutum*, legis etiam *naturalis*, facilè *Principi*, reginæque,) *Charitati*: quam, ab homine quovis, & Deus requirit? quantam illatam eſſe plagam, arbitramur, ſinceræ mentium conjunctioni: quam nos CONCORDIAM, RERUMPUBLICARUM ESSE VITAM, SPIRITUMQUE, conſtanter affirmamus. Ex animorum contrà civilium diſſuto nexu, citò pronaſcitur, CIVITATUM PESTILENS MALUM, INVIDIA: QUÆ BONIS ALIENIS CRUCIATUR; &, è diverſo, MALIS PASCITUR. Indè malevola, per ambitionem, *æmulatio*: *malis* ſe ſenſim *artibus* in poſſeſſionem honorum intrudens; *pejoribus* autem, inimicum indè dejiciens. Hinc nequam illa, *de ſubſtratô pedibus ſuis*, & *ad incitas redactô*, *dignitatis-corrivalî*, voluptas, ac triumphus, exoritur. Cujus, nefarii planè gaudii, verba ſunt, apud illum, *viperinæ*

tunc

tuæ linguæ, declamatorem, Tullium. *DI* (clamat,) *immortales! idne vel optarem ego ſaltem, ut Inimicus meus eâ, quâ nemo priorum unquam, ignominiâ notaretur? His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor; quòd te, collegámq́ tuum*, (Lucium Calphurnium *Piſonem*, & Aulum *Gabinium*, adſibilat) *hic ampliſſimus ordo, quòd equites Romani, quòd ordines cæteri, quòd cuncta civitas, odit: quòd nemo bonus, nemo civis, eſt; qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, aſpernetur animô, recordatione perhorreſcat. Hæc ego ſemper expetivi de vobis; hæc optavi, precatúsq́ ſum, uti viderem. nunc vidi!* (rrrrr)

Nimirum, fœcundus hîc multorum, graviúmque, malorum ac ſcelerum *nidus* erat; quem in *Sapientiæ* ſacris Arcanis & *Salomon* olim *Idololatris* exprobravit (sssss): *ut alius alium per Invidiam trucidaret, omniáq́ commiſta fluitarent; ſanguis, infidelitas, fictio, corruptio, turbatio, furtum, perjurium, & bonorum tumultus*. Quòd enim *Rex* iſte *ſapiens, etiam furtorum, fictionis*, ac *perjuriorum*, arguit fictilium Deorum cultores; ea, ne quidē *in Romanos Veteres* temerè falsóq; dici potuiſſe, teſtimonio ſunt, *Accuſatorum Patronorúmq́*, temporibus illis, ingens, neceſſariúsq;, numerus. Oſtendunt id, etiam nunc magnam partem

partem ſuperſtites, *actiones furti*, *repetundarum*, *injuriæ*, *falſi*, *calumniæ*, *peculatûs*: leges item, & judicia, *recuperatoria*, déq; *ſubditis* aut *corruptis teſtamentis*. (ttttt) ut adeò Romanorum complurium falſitatis arguerentur, non modò voces ac *Verba*, ſed Supremæ quoque *Voluntates*.

XII. Quid autem deniq; de *Ventris* etiam, *immundarúmq; Voluptatum*, apud *Veteres Romanos*, intemperantiſſimô ſtudiô, volutabróque, dicemus? De quibus *generatim* Criſpus *Salluſtius*, in *Catilinariæ* conjurationis enarratione; *Civitatem* (inquit) *lubido ſtupri*, *ganeæ*, *ceterique cultûs*, *inceſſerat*. *Viri*, *pati muliebria*: *mulieres in propatulo pudicitiam habere*: *veſcendi cauſſâ*, *terrâ mariq;*, quodcunque ventri blandiretur, *exquirere*. Quare, nudatas indigenis accolíſq; volucribus *Phaſidis* amnis undas, *ripáſq;*, voracitate Romanorum fuiſſe, *Petronius* conqueritur. Et *Apicii-voracis* non ſolûm vitæ nefandum exitum, auctorum priſca monumẽta deteſtantur; (quippe, qui poſt *duos auri milliones*, ac *ſemis*, aſſiduô luxu devoratos, eò, quòd poſthac, non niſi *Philippicorum ducenta quinquaginta millia* ſuperfutura ſibi cerneret, venenô vitam, metu famis, abruperit): ſed & ipſam ejus, ac *Nomentani* decoctoris, *probroſiſſimam ingluviem*,

An-

Annæus *Seneca* proſcribit; *duabus* in *gulis*, ſuæ præteritæq; tempeſtatis *Romam* Gallioni fratri deſcribens *(uuuuu)*: utpote, cujus urbis cives, & inquilini, *terrarum omnia mariſq; bona conquirentes, ſuper menſas ſuas omnium gentium animalia recognoſcerent: déque lectis ſuis popinam ſuam ſpectantes, aures vocum ſonô, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum, nares odorum varietate, permulcerent.*

Senecæ *Philoſophi* totidem ferè verba retuli. Quibus ibidē addere poterat, *quotidianas* eorū, quę per helluationes ingeſſiſſent, per eandem illam corporis ſui partem, quâ turpiter ea deglutierant, egeſtiones, longè turpiores; à *maximis* tunc, *minimiſque*, ſaturorum & ructantium lurconum, frequētatas. Aſſiduîs verò diſtentus epulîs, æſtuánsq; merô, *venter*, quónam aliò, *niſi* (quod Divus Hieronymus pronuntiat) *in libidines, ſeſe reſolveret?* Iis autem præparabant aditum, cætera quoque varii generis ingenia, compendiáq;, corporis molliter habendi: cujuſmodi, *lavacra* fuerunt, tum *privata* Nympheorum; tum quadrantariorum balneorum, ac thermarum gratuitarum, *publica*. Perluebant hìs ſeſe, (ne dicam, & innatabant) quotidie, priùs, quàm cœnarent: complures etiam intér-

interdiu ſæpius;&,quoties collibitum eſſet. Ad id porrò, vicatim domeſticatímq; (quod alibi jam delibavi) *lacuum* erat abundè; *mille* nempe,*trecenti*, *quinquaginta duo:* qui loturos,quantùm voluiſſent, *emacularent*. Nec aberant *unguenta* pretioſa; quibus,haud membra tantùm exteriora perlinerentur;ſed paullatim, (ad *Juvenalis* uſq;,*Pliniiq;*,ſtomachoſam querelam,) *pocula miſcerentur*, & *Falerni vini* liquor adulteraretur: ut odoratam *amaritiem*, ſaporis ac narium importunîs fœderibus, fauces delicatiorum, tanquam *dulcedinem*, glutire cogerentur. Indè ſanè *Lipſii* quoque, Veteris-Romæ magni cæteroqui prolixíque Panegyriſtæ, gravis aliquando, ſed verax, in *togatorum* mores, cenſura prorupit: ut, in *Admirandis Vrbis hujus*, ſcribere non dubitârit; *Inter Romanos, fuiſſe multos, virtutum contemptores: nec fraudulentos* duntaxat, *ac perfidos*, aut *rapaces & crudeles*; ſed in *epulis* ſæpe,*veſtimentorúmq; luxu*, Sumptuarię Legis contemptores: *Delicatos, fluentes*: & ejus hominum generis complures, *qui parùm lautos*, aut elegantes, *ſe crederent, niſi luxuriâ* pervertiſſent annorum leges; niſi pateris convivalibus ſupernatâſſent *Januarii* menſis *Roſæ*; quæq; cætera talium corporis blandimentorum artifi-

cia

cia vigebant: Sybari propiora, quàm Romæ. *Talium* illecebris, (ait idem), *anguſtum fuiſſe noſtrum Orbem*. id, quod & ego paullò ſuprà querebar; quando, de peregrini Solis ferculîs, immodicè frequentatîs, mentionem interſpergebam. Hæc ergo talia, ſimiliáq; talibus, oſtia deinde libidinibus aperuerunt.

Unde *Romæ-Veteri*, pro minimo jam, *ſcortationes* erant: ut, quibus ipſi quoque Reipublicæ Principes, *ceu tolerabiliori* (ſicut ajebant) *turpitudini*, loca certa temporáq; pro cœlibibus, & peregrinîs, uxorum ſuarum comitatu deſtitutîs, aſſignarent. His aperiebant ergo *Suburam*; &, in *Vrbis Vndecimâ Regione*, (quæ *Circum Maximum* habebat) *lupanaria* publica, quadraginta ſex: paſsímq; *fornices*, *antra*, *cellas*; nomine *proſtibulorum*, cujuſq; ſingillatim, inſcriptas: &, unô verbô, luparum obſcœnas foveas, quàm plurimas; eáſque pleraſque, facultatum populi communium impenſîs exſtructas. Ad has *ſpurcitiæ foricas*, mulierculæ *proſtitutæ* quotidie convolantes, ad horam diei *nonam*, (quæ nobis eſt *tertia* pomeridiana); durabant illic, ad diei ſequentis uſque *diluculum* (xxxxx). quo proinde titulô *Nonariæ* quoque cognominabantur; non minùs, ac cæteræ dici ſolebant,

Sum-

Summœnianæ, Suburanæ, Quadrantariæ: quæ ſic, à locis,& à viliſſimâ turpis patientiæ mercede, dictæ, tum ſub Circo, tum *alibi paſſim*, per urbem, ac *circa mœnia*, ſtabulabantur. *Nonariarum* igitur ingenti multitudini ſi connumerarentur illæ quoque,quę,turpis ordinis iſtius candidatæ, gymnicâ corporis nuditate, ſeſe, tironum ac pugilum in morem, ad palum própalam, gladiîs exercebant, &,hac oſtentatione ſuî,virilibus ſpectantium oculis inſidias nectebant; ſi præterea ſpurcas omnes,quę per *domos,compita,trivia,tabernas*,ac *luſtra familiaria*,diſperſæ, fœdam operam locabant:nimirum,longô poſt ſe ſpatiô *Corinthos* & *Athenas* omnes (urbes, cęteroqui monſtrorũ ejuſmodi fertiliſſimas), reliquiſſet *Roma-Vetus*. Dum itaque *poëta* priſcus *infamium puellarum* agmen *apibus* Hyblę, Methymnêsq; *racemis*, & Gargarorum *meſſibus*,ac *ſpicis*,per exaggerationem,(poëtis familiarem,) ęquavit;nimirum,*Exercitum* dicere voluit *mercenariarum mulierum*. Cui fœdarum copię,quiſquis, ab *Aquinate Satyrico*, (yyyyy) cæteríſque ſuperioris etiam ætatis ſcriptoribus, perſtrictam, *adulterarum* quoque, cæterôve quovis modô turpium, accenſére multitudinem voluerit; is fortaſſe, calculô ſuô, copiarum *Xerxis* capi-

capita, vel attinget, vel etiam *ſuperabit:* quæ *decies* tamen *ſepties centenûm millium* fuerunt; è Perſidis regionibus in Græciã effuſa. Si namque,(quod Lampridius in Cæſaribus ſcriptum reliquit,) adhuc Alexãder Severus, tantò pòſt, reliquias Impudicitiæ Romanarum everrens, MULIERUM INFAMIUM INFINITUM NUMERUM (verba ſunt hiſtorici) DEPREHENDIT, AC PUBLICAVIT: de regno talium, adhuc florẽte, quid dicamus, & credamus? Nam *in Vrbe tunc erat, quidquid in Orbe:* (zzzzz) *caſtáque* ſuſpicacibus *vix ulla facilè* cenſebatur, niſi, *quam nemo ſollicitâſſet:* cæteris, *id rectum ac licitum, quod libitum atque tectum*, erat. Ex ea petulantium evagationum audaciâ, prorupetunt è ſuis, in alienos thalamos, *Fanniæ* Tinniorum, *Clodiæ Serviliæq;* Lucullorum, *Serviliæ* Cæpionum, *Quadrantariæ* Metellorum, *Terentiæ* Marciorum, *Atiliæ* Catonum, *Semproniæ* Brutorum, & aliorum aliæ: quarum è numero, *Serviliæ Majoris* (quę, Catonis Uticẽſis, ac Serviliæ Lucullęæ Minoris, ſoror, Bruti Cæpionis uxor, Marci Bruti mater, fuit) eò progreſſus eſt impudicitiæ pruritus; ut in *Curiam* ipſam, *dum* de Catilinæ deprehenſis ſociis agitur, ad *C. Cæſarem*, adulterum ſuum, cum *Catone* tunc vel ma-

ximè contendentem in Lentuli cauſſa, tabellas mittere laſcivas amatoriáſque ſit auſa. Cujus proinde lectione (nam, è Patrum Conſcriptorum compluriurn ſententiâ coactus Cæſar erat, eam proferre) Cato pulcherrimam ſuam illam, quę nunc etiam extat apud *Criſpum Salluſtium*, orationem, *de Conjuratis ſuppliciô plectendis*, interrupit: nec ad eam, niſi ſororis ſuæ libidinibus perlectis, & amatori redditis, eſt reverſus: ut auctor Plutarchus eſt. Hanc tantam porrò ſtuprorum, adulteriorúmq;, multitudinem, quid ſequi, conſequens erat; niſi, vel *ſpuriorum* ac *nothorum* innumerabilem ubique copiam, ab iis profectam mulieribus, quæ, vel formâ miſerationéq; captæ partuum ſuorū, id, quod edidiſſent, aut educare ſuis in domibus ſuſtinerent, aut ſupponere cunis alienis? vel, quod creberrimè, pænéq; ſemper, fiebat, &, quod facinus, ab *Helvia*, matre ſuâ, nunquam admiſſum eſſe, *Luc. Seneca*, tanquam laudem quandam ſæculorum illorum inſuetam, in ejus *Conſolatione* producit; *ut conceptas intrà viſcera ſua liberorum ſpes ediderent?* hoc eſt, ut prolem, *prinſquam animaretur* ea, corrumperent, offocarent, ac deſtruerent: *animatam* autem, & jamjam editam, ſiquo nonnunquam ab

natu-

naturali, ſeu civilî quoque vitiô, diſplicuiſſet; nemine reclamante, latebroſum aliquem & abſtruſum in locum, impiè projicerent: aut ad *ſpurcos*, neſcio quos, *lacus*, à *Juvenale* memoratos in ſexta Satyrarum ſuarum (z), *exponerent*; ut illic incompertorum natalium infantuli, quorum educationem prætereuntes aſpernabantur, vel fame mox, vel à beſtiis, aut, è lacuſtri demum crepidine detruſi, ſubjectîs in undis interirent: niſi fortè, juguló ſtatim à matribus incisô, jam præmortui, mergerentur. Et hunc in *infantes* ſæviendi morem, inter *Philoſophos*, etiam ii ratum habuerunt, quorum *Placita* Roma quoque, (præſertim doctior, & adhuc ſui juris,) approbavit; *Socrates*, inquam, & *Plato*: qui, *fœminas, vicennió minores, & quadragenariis majores, concipere*, ceu grande nefas, vetuerunt. Si tamen enixæ forent; eaſdem ab educatione partuum ſuorum, tanquam ab augmento ſceleris, abſterruerunt. Quibus iiſdem, ut magiſtris ſuis, in hujus truculentiæ pleriſq; præceptîs, *Ariſtoteles* quoque conſentit, apud *Franciſcum Ariam*, in *Inexhauſti-Theſauri* diſſertatione quintâ: cujus duodecimô capite *Sapientûm* illorum, quos modò nominavimus, *Inſipientiam* proſcindit. Quippe ni verò facerent,

X 2 ac ſe-

ac feciſſent,hôc in genere delictorum,meretriculæ, pſaltriæ,fidicinæ,mœchæq; mulieres, in libidinũ ſuarum fœtibus;quod,poſt hęc,in neptis ſuæ *Juliæ* ſuſpectum partum, Suetoniô teſte,decrevit,& exſecutus eſt, *Octavianus Cæſar*: cùm,prolem illam agnoſci nutririq;,vetuit; & in eam adeò, quam dixi, ſortem *expoſitorum* infantium, abjiciendam curavit? Quàm multis igitur, ità natorum, millibus, credamus, ripas undáſque *Spurcorum lacuum* illorum fuiſſe repletas: iiſque, non *vulgarium* ſemper, ſed *generoſiorum* quoque (ſic dedecora ſua demergentium,) *uterorum*? Et hoc,in ea præſertim *nuptarum*,etiam *illuſtrium*, corrumpi ſe geſtientium, *multitudine*? Quæ tamen ipſa, ſi cuipiam, ut dixi, *multitudo* longè minor fuiſſe contractiórque videbitur; is vel è ſolo *Suetonio* (cæteris omnibus *Antiquæ Romæ deſcriptoribus* prætermiſsis) diſcat; quot,&,quàm præſignes, matronas Julius, Octavianus, Tiberius, Cajus, Nero, Domitianúſque, Cæſares, contaminârint; temporibus,quibus *Roma* priſca, *non fortaßis inquinatior*, (quippe, paullatim per *Apoſtolorum Principes*, eorúmque ſectatores, emendari cœpta,) ſed ad peccandum *apertior*, & *audacior*, *erat*; *utpote*, *ſub grandium exemplorum capitúmq;*

tégete

tegete delinquens:& hoc,*lege quidem Juliâ (a) palàm omnibus proſtante*, *ſed in tribunalibus altùm dormiente*. Diſcat ſanè,quiſquis copias *abnoctantium* Veteris - Romæ matronarum in dubium vocat;quid, *Romanorum* Stoicæ diſciplinæ *Philoſophorum* facilè graviſſimus, exprimere non horruerit,de lecti jugalis convulsâ vulgò, protritâque, reverentiâ: non tempeſtate tantûm Neronianâ,qua *Luc. Annæus Seneca*,de quo nũc loquor, in palatii ſtylíque ſupremô flore fuit; ſed omnî prorſus,quo *Romã* ipſe,Marcúsq; Seneca Rhetor,ac pater ejus,frequẽtârunt, ævô: quod quidem ævum, retrorſum, etiam ad *Ciceronis*,Reipublicæq; morituriẽtis,tempora ſeſe porrexit. Quare, per me quidem, pro meritis celebret uxoris *Cn. Pompeji Magni* pudicitiam *C.Suetonius Tranquillus*,quam ipſe non nominat (cùm plures, ex ordine, conjuges Pompejus duxerit,) ſed ſtrictim duntaxat, *librô de Grammaticis Illuſtribus*, memorat; à *Cajo Memmio*, Curtiô Niciâ quodam internuntiô, codicillos accepiſſe: quibus apertîs,cùm de ſtupro ſe mulier pudens interpellari didiciſſet, marito Memmium pariter ſollicitatorem, ac flagitii quæſiti miniſtrum, prodidiſſe. Quibus Tranquillus addit; Niciam, quanquam is antehac,

 utpo-

utpote litteratus, Pompeji ſectator extitiſſet, ejus tamen poſtmodo familiâ domôque fuiſſe prohibitum, & expulſum. Sed nimirum, rara fuit iſta temporum illorum *Penelope*: multóq; de pluribus *Clytemneſtris Helenisq;* Seneca, tertiô *de Beneficiis* librô, queritur. *Pudorem rei tollit* (inquit) *multitudo peccantium.* & infrà. *Numquid jam ullus adulterii pudor eſt, poſtquam eò ventum eſt, ut nulla virum habeat; niſi, quò* flammîs acrioribus *adulterum irritet?* ARGUMENTUM EST DEFORMITATIS, PUDICITIA. *Quam invenies* (pergit) *tam miſeram, tam ſordidam; ut illi ſatis ſit, unum Adulterorum Par? niſi ſingulis diviſit horas; & non ſufficit Dies omnibus? niſi geſtata ſit ad alium; & apud alium manſerit? Infrunitam ſcias, & antiquam, quæ neſciat;* VOCARI MATRIMONIUM, UNIUS SOLIUS ADULTERIUM. Hæc, *iſto de ſexu*, ſuorum, & aliquantò ſuperiorum, urbis Romanæ temporum, *Seneca* pronuntiavit. quibus addere potuerat Inceſtuum, in ipſis conjugiis, iisque patriciîs, ac principalibus, impudentiam: cùm Clodius unus, unus Caligula Cæſar, in *omnibus* uterq; *ſororibus* ſuis, audire malè, quin immò, deprehendi quoq; nec erubeſcere quidem dignarentur. Sed tamen idem ille Philo-

ſophus,

ſophus, etſi taceat conſanguinea thalamorum flagitia,non interim in totum diſſimulat ſcelera ſexûs ejus; ſinè quo muliebris, nequit *legis Juliæ* reus eſſe. Quid enim,ejuſdem illius voluminis capite duotriceſimo, ſubtexuit? *in dominos*, adversùm vernarum mancipiorúmque ſortem, immodicè ſupercilioſos? *Servum tu* (clamat) *quenquam vocas;libidinis ipſe,gulæq́, ſervus, & adulteræ? quin &,adulterarum commune mancipium!Servum vocas quenquam tu? Quò tandem ab illis gerulis raperis tuū iſtud cubile circumferentibus? ad oſtium ſcilicet alicujus, ad hortos* (mœchæ).Quid multîs?Hæc *Virorum*,etiam *Senecæò* ſæculô longè *vetuſtiorum*, incredibilis Intemperantia, tantò *Julium Cæſarem* fecit audaciorem; ut, paucîs, antequam in Curia confoderetur, diebus, ſuæ ſuiq; ſimilium libidini congruam,perferre legem,*Helvii Cinnæ* Tribunipl. miniſteriô, cogitaret: quâ cuique licitum eſſet, quas & quot *uxores* vellet, liberûm quærendorū cauſsâ, ducere. Turpius interim,*Juris* omnis judiciô cenſurâq;,matrūfamilias,in *Adulteriis* frequentandis,dedecus erat; & earū immenſius,ut opinor,quàm *Virorum*,in ordine clariore peccantiū, agmen. quanquam utriſq; ſanè *Ludus* eſſet (ut *Bilbilitanus* ſcriptor pronun-

tiavit) *ſacræ tædæ connubia fallere.* Cornelii namque Taciti Conſulis effatô, *Corrumpere, Corrumpique, Sæculum tunc erat:* in quo Vitia, non latebras & Velum quærebant; ſed, ex profeſſo pæne, compactóque, per alternas cubilium injurias, fiebant: ac placebant. Nec erubeſcebant Romanæ; quantumvis, in *Bonæ-Deæ* Sacris, *Coranam Virginitati*, per ſummam Simulationem, darent. Non erubuiſſe verò, tam Impudicas; quantulum adhuc erat? Gravius illud, ſinè controverſia, videri prudētibus debebat: quòd, in ſcelerum iſtorum irritamenta, *conſpici, demonſtrarique,* Romanę fœminę geſtirent: cùm in hoc ſolùm, nec aliâ ferè mente, convolarent ad *ludos*, & *ſpectacula*; quò *ſpectandas & ipſæ ſe præberent:* cùm, in hoc, corporis univerſi cultum habitúmq; componerent: cùm in id, comarum capitíſque ſuggeſtum, multiplicî capillorum & auri gradu, faſtigiarent: cùm (quod Annæo *Senecæ* nonnemo, Senecæq; ſimilibus, exprobravit) *uxores* etiam *Philoſophorum*, unionibus, ac baccîs peregrini maris, & exquiſitis gemmîs, oneratæ, *domûs locupletis cenſum auribus circumferrent* (C): cùm, vel uniones unionibus juncti, vel teretis longitudinis elenchi, marinis in conchis generati, crepitanti pondere matronales

nales aures quaterēt,ac ventilarent: cùm mulieres univerſo corpori,necnon & pedibus,aurum & gemas illigarent:cùm eaſdem ſandaliorū quoq; Phrygiis ac Babylonicis obſtragulis, & totis ſocculorum operimentis, innecterent: cùm margaritas, aurum, beryllos, calcarent: cùm una poſtea *Paullina Lollia* (Pliniô, Lipſiôque,tanti luxûs teſtibus,& exſecratoribus,) *antecedentium* ſe *temporum* ſuperbîs *exemplîs* audacior facta, de convivio ſponſalitio rediens,populi per ora confidenter incederet; cooperta ſmaragdîs, lucénſque margaritîs, capite toto, comis,cervice,collô, ſpinîs crinalibus, auriculîs præterea, brachiis, atque digitîs. in quibus illa mēbris,articuliſq; corporis,*decies centenûm milliū Philippeorum pretium* circumferebat. Ut adeò *Legem Oppiam*,etiā poſtquam antiquata jam erat, videri poſſet ducere voluiſſe tantò poſt in triumphum, hac pompâ per urbem ambulans, *Lollia:* plúſque *valoris*,mulieris unius veſtes in ſe, quàm *Sumptuariæ* rogationes omnes, continerent. Quid, quòd ne quidem, in hoc tam abundante *veſtiarii luxûs* apparatu,*ſe totas* ſemper operirent? immò verò, de totis ſeipſis ... partem aliquam, non renudatam, relinquerent? quando *matronarum* etiam,& non *pu-*

blicarum tantùm *puellarum*, innumeræ,veſtium *Coarum* pellucidâ *nebulâ potiùs,quàm telâ*,ſuum in publico ventilantes inceſſum, non tam *contegerent* naturæ corporíſq; dotes, quàm virorum occurrẽtium oculis *propinarent*; & (quod, ad *Helvidiam* ſcribens, Divus etiam *Hieronymus* exſecratus eſt) per urbem *ingrederentur, expeditæ libidinum victimæ*: tot corruptoribus præparatæ, quot eas intuentium aſpectibus placere, contigiſſet. Parva ſunt hæc. Nam ulteriùs eſt progreſſa *ſexûs iſtius* petulantia; ſtimulantibus eum præſertim, & *Comœdiis* non raris,ejus generis, quas, ab *Atellis*, oppidô Volſcorum, *Atellanas* populus dicebat, & Senatus admittebat: peſſimam obſcœnitatis univerſæ cloacam. Harum enim ſpectaculis præimbutæ, *nequid omnino latére poſſet,quod poſſet intemperantiam invitare*, pertrahere,planiſſiméq; cogere;quid,quęſo, quid nõ paullatim auſę ſunt *meritoriæ mulieres*, in ludis,ludorum omnium,illi mundo nequã, exoptatiſſimis? In *Floralibus*, inquam: in quibus, luce palàm, univerſorum oculis ſpectandum ingerebãt illud omne,*quod pudicus animus nec ad cogitationem quidem admittere ſolet, ac debet*. Et *Quirites* tamen, *in hoc theatricæ voluptatis ſterquilinium*, tubæ quoq; ſonitu (γ) convoca-

vocabantur, ad deteſtabilem fœditatem illam prurientibus luminibus hauriendam; ruente per præceps certatim, ac *legionatim*, omnis ætatis ordiniſque Româ; *neminéq domum*, ex tot millibus, ac myriadibus, *niſi flagitioſiore, revertente*. Proh dedecus, illius tunc, & *ævi* peccantis! & *populi*, ſuâ licentiâ gloriantis! & *Senatûs*, ſpectacula tam obſcœna permittentis! Poſt hæc itaque talia, tam deteſtanda, (quæ nec *Arcadii* quidem *Honoriique Cæſarum* ævô, licèt tam ſerô, penitùs obſolevisse, crebrò Divus Chryſoſtomus deplorat), quid mirandum erat: ſi turpitudinum deinceps abſurdiſſimæ naſcerentur ſpecies, ac formæ; Latinæ Sabinæq; ſimplicitatis antiquis moribus inexpertæ pariter, & inauditæ? Quid novum; ſi *Clodiorum*, *Remmiorum*, *Palæmonum*, *Tiberiorum*, *Scaurorum-Mamercorum*, etiam *abuſu* partium, cæteroquin honeſtiſſimarũ, abominabiles exarſerint, uſurpatæq; ſint, obſcœnitates: à Suetonio, locô non unô, Senecâque, librô de Beneficiis quartô, graviter exagitatæ? cùm eorum tamen, quos incuſavi, virorum, poſtremus, etiam ad Conſulatum tandem aſcenderit: *Tiberius* autem, & *imperârit*? Quid item inexſpectatum; ſi reperirentur, qui, cum eodem Cl. Tiberio Nerone,

cœnas

cœnas amarēt, quibus, niſi ſexus deterior, aliorum nemo miniſtraret, fercula carperet, ad cyathos ſtaret? & hoc ipſum, (ſicut in Floralibus) parte ſuî nullâ velatâ? Quid magnopere contra bonos eſſe mores credi viderique poterat, in cubilium parietibus, ſpectari coloribus expreſſam non jam Alexandri Magni Campaſpen aliquam, Apellis Epheſii penicillô revelatam (⊙); ſed, quidquid infandarum cupidinum Elephántidos libri propalâſſent? ac *picturam*, unam omnium impudiciſſimam, *Atalantæ Meleagriq;*, medias inter feras pluſquam ferinè delinquentium, teſtamentô relictam; & ab hærede prælatam fuiſſe decies ſeſtertiûm, hoc eſt, *viginti quinq; millium coronatorum*, legato? *prælatam* verò tantùm? Imò verò, ſtatim & *dedicatam*; & in cubiculo, tanquam nequitiæ ſacrū exemplar, ſuſpenſam. Quibus tamen talibus, operum tam exſecrandorum irritamentis, Deorum Orbis Romani, Dearúmq; præluxerunt exempla; ſicut in *Samia* quadam *tabulâ*; quam, adversùs Celſum, librô quartô, jure meritiſſimô traducit, ac lacerat, *Origenes*: in qua Jovi Juno conjux, in flagitio, dedecorum omnium facilè profligatiſſimo, morem gerens, ab incolis advenîsq; paſſim omnibus,

ſpecta-

Spectabatur palàm ; ad ſatietatem. *Spectabatur* autem ſolùm ? Quin & *adorabatur*. O, *Chriſte*! legis-latorum ſanctiſſime! quantas tibi, diſciplinæque tuæ, gratias debet *orbis hodiernus*? qui, qualiumcunque morum eſt, (in quibus hic profectò, *non legis culpâ*, *ſed ſuâ*, delinquit), harum tamen certè, ſimiliúmque complurium, corporis animíque ſordium, *publicè ſaltem*, *ignarus eſt*. Nam, ſiqua generis iſtius in *privato* fiant, & in antris; *Chriſtianorum ea non ſunt*; *ſed pecudum*, *ſed porcorum*, *ſed portentorum*, *è Mahometis*, *aut Carpócratis*, *immò verò Sathanæ*, *fornice*, magiſterióq; progreſſorum. Ad quorum cenſum, vel in primis, ſpectabant, quicunque tunc *Romæ*, tot per ſæcula, per ſummum, ac flammîs ulciſcēdum, *naturæ-nefas*, id admittebant flagitiū; quod, è *Sodomis* olim, *Orientéque* reliquo, profectum, in *Græciam* quoque celeriter, &, ab hac, in *Italiam* poſtea, Romámq; præſertim, quaſi contagione quadam, commigravit. Ubi *C. Marius*, *inter innumera mala*, *melius nihil fecit*: quàm, quòd, *nepotē ſuum C. Luſium*, tribunum licèt militum, utiliſſimúmque bellô, tamen ab Trebonio Juvene, quem is ſollicitârat, generoſô ferrô cædéq; præoccupatum eſſe, civiliſſimē tulerit; ac, Jure, quo quis opti-

optimo, cæſum pronuntiârit: interfectorem quoq; coronâ, virtutis ergô, pro concione donãs. (δ) Atqui, *ludus* hæc, & *nugæ*, Veteri-Romæ videbâtur; quæ tamen *Roma Noviſſima*, patrum adhuc noſtrorum memoriâ, theatrô, ferreis cõſtratô laminîs, & igne ſuppoſitô candentibus, deligatîs ad palum ferreũ Reîs, &, inter furioſos eorum clamores ac ſubſultus, exuſtîs plantîs, punivit, & extinxit. Nec pudicior tamen Priſcæ Romæ *virîs*, in hac ipſa *naturæ* corruptelâ, ſexus alter, etiam divinô *Paulo* teſte, fuit: quandò Romanæ mulieres, unanimî pæne, promiſcuôq;, *turpitudinum* conſenſu, paſſim inter ſeſe fecerant è Latio Mitylenen, ac *Lesbum*: ut è *Lucretiis*, execrandæ nequitiæ *Sapphônes* fierent. (ε).

Ex iſta porrò facinorum talium impunitate, facillimô morum præcipitiô, ſenſim univerſa Conjugiorum legitimorum eviluit dignitas, & æſtimatio. Nec id fortaſſe nullâ nubentiũ ipſarum culpâ: quę, *Sponſæ* dum eſſent, primum ſuũ thalami maritalis acceſſum, Deorum Dearúmque fœdiſſimarum illatis ſimulacrîs, & ſeſſione ſuper effigiem idoli, neſcio cujus (multùm tamen exſecrabilis,) ſollemniter initiabant: conſuetudine nuptiarum eâ, quã Hipponenſis

Anti-

Antiſtitis libri *de Civitate Dei* ſextus ſeptimúſque, nec non cæterorum quoque Doctorum Orationes, acriter, ac pro meritis, exagitant. Talibus autem à Cærimoniis inchoata *Conjugia*, quid aliud eſſe videriq; paullò laſcivioribus poterant; quàm, quædam Intemperantiæ, per plurium aliquando cubilium experimenta vagaturæ, tirocinia, vel proluſiones? Quapropter & *Divortiorum* paullatim *lubricum* irrepſit: quô ſubinde, quamvis nullâ prorſus violatæ conjugalis fidei ſuſpicione cauſſam præbente, vir à muliere, mulier à viro, diſcederent: & ab hoc, (quod gravius erat, ac deterius,) ad aliud uterque, prout illis libuiſſet, matrimonium. Seneca Philoſophus, de ſui quidem temporis, quod Reipublicæ-Ruinam è vicino ſubſecutũ eſt, *divortiis*, verbîs hîs, libri tertii *de Beneficiis* capite decimô ſextô, fremit; *Deſinet eſſe probri locô, commune maledictum. Numquid enim ulla jam erubeſcit repudiò; poſtquam & illuſtres quædam, ac nobiles, fœminæ, non Conſulum numerô, ſed Maritorum, annos ſuos computant? & exeunt, Matrimonii cauſſâ: nubunt, Repudii? Tamdiu timebatur illud, quamdiu rarum erat. Quia verò* paullatim *Acta* publica *nulla ſinè divortio ſunt*, (*Actis* autem *Publicis* etiam *matrimonia* conſignabantur, & eorum-

rundem *diſſolutiones*): *quod* matronæ *ſæpius audiebant*, ab aliis fieri; *facere didicerunt* & ipſæ. Non autem hæc ſæculi *Senecæi* prima fuêre matronarum Divortia; ſed alia quoque, præcedentis etiam ævi, compluria: quibus tempeſtatibus, in mutuum à maritali conſortio diſceſſum, effuſè (velut ſequentia demonſtrabunt) uterque ruebat ſexus. Nam, ut quiſque, vel quæque, *faciem*, aut *conditionem*, eſſent ſpeculati, ſibi dilectiorem; per *cauſſam*, (quæ ſæpe *color* tantùm ac *fucus* erat, non autem ratio probabilis,) conjugium ſolvebant. Antè verò, ſatis conſtat, annis, ab urbe conditâ, *quingentis ac novendecim*, unius cum una legitimum contubernium ità reverenter Romanis fuiſſe moribus obſervatum, ac retentum: ut *nexus* inter Conjuges eſſet, qualem oportebat eſſe, *perpetuus*. (ζ)

Primus rumpendæ neceſſitudinis hujus auctor, *Conſul* fuit, *malè-conſultus*, *Spurius Carvilius Maximus*, cognomentô *Ruga*: (η) *dum uxorem*, cui diu convixerat, *amicorum* de ſententia, *res ſibi ſuas habere juſſit* (ϑ): *morum cenſoribus* facti ſui cauſsâ, ſub jurejurando, redditâ; *Sibi ductam quondam uxorem fuiſſe, non voluptatis potiſſimùm, ſed liberûm quærendorum, cauſſâ. propterea*

verò

verò nunc minùs eam ſibi congruere;quòd, poſt tantum contubernii conjugalis ſpatium, adhuc mater facta non eſſet. Hęc *Carvilius.* & probavêre Cenſores cauſſam. Sed exemplô, ſanè perniciosô. Nam, ex eo deinceps tempore, patefieri via cœpit, etiam aliis, idem, ac plerumq; *leviores etiam ob cauſſas*, audendi: cùm conſtet, *C. Sulpitium Gallum*, ab uxore *divortiſſe*, non ob aliud, quàm, quòd eam, extra domeſticos parietes, nudô capite verſatam, comperiſſet: *Quintum Antiſtium Veterem*, conjugi ſuæ claves ademiſſe; quòd ea cum *libertina* quadam *vulgari* ſecreta colloquia miſcuiſſet: *Sempronium Sophum*, ſuam ædibus exegiſſe; quia, sê neſciô, ludos ſpectâſſet (i): *M. Tullium Ciceronem*, (cujus de divortio nos ſuperiùs etiam, è Caleni criminationibus, aliquid attigimus) Terentiam ſuam, è qua tamen Marcum Ciceronem, & Tulliolam, communes liberos, ſuſtulerat, ſub annum demum ætatis circiter *ſexageſimum* expuliſſe; propter familiam, ab ea, dum is in tranſmarinis abeſſet, minùs ad votum adminiſtratam. Cui cùm protinus (uti diximus) ſuperinduxiſſet *Publiliam* juvenculam, formoſam ac divitem, uti Marcus Antonius ei, nonnullíque cæterorum, Terentiáq; præſertim, exprobrabant:

ille nihiloſecius, haud multò pòſt, & hanc ipſam, eò, quòd mortem *Tulliolæ* lætè tuliſſet, & quia, cæteroquin etiam, minùs ipſi mores illius probarentur, dimiſit. (κ) Minùs autem adhuc, rerum ſanis ęſtimatoribus, probari debebat *M. Catonis Vticenſis*, cum *Martia*, divortium; quam is, aliquot jam ex ſe liberorum matrem, & tunc quoque gravidam ex ſe, *Q.* conceſſit *Hortenſio*, Ciceronis, in agendis cauſſis, æmulo; qui mulierem ei, *quærendorum* (uti præſeferebat) *liberorum ergô*, precibus amicîs extorquebat. *Futilior* autem illa, quæ *Paulum Æmilium*, ad dimittendam *uxorem Papyriam*, adegit, *ratio* fuit: quam, mirantibus amicis, ac ſciſcitantibus, reddere ſolam potuit, & unicam, *Ab ea ſe fuiſſe læſum*. Quotus autem quiſq; *maritorum* eſt, ſi ſatis id erit, ad divortium, cauſſæ, *Læſum eſſe ſe, credere*; qui non, vel *uno* menſe, *ter quatérve* divortat? immò, qui non, ſiqua *Juvenali* fides eſt, offenſionum cauſſas, etiam *quotidianas*, exſculpat; & *ſeptenîs* (ut ait) *horîs uxorem oderit?* non ob aliud utique, quàm, quòd aut *offenſus* ab eâ ſibi *verè* videatur, aut *videri* certè *velit?* (λ) Poſſint igitur, ad *Æmilianam* hanc *divortiorum* (ſi Superis placet) *facultatem*, & indulgentiam, etiam illæ *Satyrici Scriptoris* rationes aditum

tum reperire; *Si tres rugæ ſubeant; ſi flacceſcat laxa cutis; ſi ſcabri fiant obſcuriq; dentes; ſi, ſeniô faticeſcentes, oculi ſenſim ſe contrahant: ut proinde jubeatur à liberto, Colligere ſarcinulas, & exire:* quòd denique paullatim gravis fiat familiæ; quódque frequentiùs tuſſiens, ſternútans, emungens ſe, locum facere meritò videri queat alteri, quæ, ſiccô capite nasóque, ſuccedat in berilis jura thori. (μ) Si verò damnandæ ſunt illæ, quas dixi, *maritalium ſeceſſionum* cauſſæ; quia *leves*, ac *frivolæ*: quantò, quæſo, deteſtabiliores oportebat eas eſſe, quæ, cum inſigni conjunctæ *feritate*, nihil loci relinquerent, *humanitatis*, etiam vulgari, ſenſui? Qualis illius fuit, cujus geſta cruenta ſuperiùs exſequebamur, *Luc. Cornelii Syllæ, Dictatoris*, in uxorē *Cæciliam Metellam*, immanitas. In *Metellam*, inquam; nequaquam, aut *ſterilem* (nam filiîs utriuſque ſexûs *Syllam* effecerat *patrem*), aut *moribus* ullîs aliîs improbabilē: quippe, quâ vulgò *Sylla*, judiciô quoq; prudentum, indignus ſit creditus; ſed tantummodo morbô demum frangi cœptā, ac, poſt tot uteri labores; poſt tot, in adverſis mariti rebus, toleratas ærumnas, terrores, fugas; poſt illius *Dictaturæ*, cruentiſſimarúmq; *proſcriptionum*, infinitam invidiam, contractîs febribus, & conceptîs in-

trà viſcera languoribus, tabeſcentem. Ad eam autem à conjugio ſuo ſegregandam, fatendum eſt, *Syllam* ſtimuli plurimum à ſuperſtitionibus, quibus, ſi quiſquam alius uſpiam, emancipatus erat, accepiſſe. Cùm enim eum, ſeu *verô* conjugii veteris affectu, ſeu *difficta* pietatis *oſtentatione*, poſt *Dictaturam* jam depoſitam, viſere *Metellæ* decumbentis cubiculum parantem, ſuperſtitioſi *Sacerdotes, pontifices*, & *augures*, repreſſiſſent; &, injectô *Syllanæ Felicitatis* labefactandæ metu, *domui* quoque, cujus intrà parietes exſpiratura languens Uxor eſſet, omen atrum, ac funeſtam infamiam, denuntiarent: *Sylla*, ſeu *verè* credulus, ſeu, recentioris alterius cujuſpiam *nuptæ* deſideriô, credulitatem oſtentans; acceſſu moribundæ conjugis abſtinuit. Quódque truculentius erat: per internuntios eidem divortii miſsô libellô, paritérque clavibus ademptis, corpus mulieris, ægrè ſpiritum adhuc trahentis, in *alienum* interea domicilium deportandum lecticariis commiſit; quo ad animam penitùs *Metella*, ter infelix, exhalaret. Et hoc eſt nimirum illud, quod, à multis aſſiduò legi, nec ab omnibus tamen intelligi, ſolitum, *Salluſtius* in *Jugurtha* ſuo, nebuloſis involutum verbîs, ſcriptum reliquit: quando, SYL-

SYLLÆ MORES generatim, ac breviariô, complectens, EUM, dicit, ANIMO VIRUM INGENTI FUISSE; CUPIDUM VOLUPTATUM, SED GLORIÆ CUPIDIOREM; ET, QUEM AB NEGOTIIS NUNQUAM VOLUPTAS REMORATA SIT: NISI, QUOD DE tanti Dictatoris, cujus in exemplum omnes reſpicerent, UXORE, POTUERIT HONESTIUS CONSULI; quippe, quam hic non modò, *moribundam jam*, ejecerit, ſed etiam, continuò pòſt, *Hortenſii ſorore* ductâ, *Valeriâ*, ſpreviſſe ſit viſus, oblivionéq; ſempiternâ delêſſe. Fuit enim *Valeria*, non *junior* duntaxat, ac *formâ conſpicuâ*; ſed *Metellæ* jam antehac fortaſſis æmula: quippe, quæ ſe mox (ſicut in ſuperioribus dixi) *participem* quondam *Felicitatis Syllanæ* fieri, *demonſtraverit*, in votis habere; quando *Syllæ* togam, extractô floccô, vellicabat.

Nimirum, huc tandem *immanitatis*, erupit illud *Carviliani divortii* primum, & impudens, exemplum: ut, poſt hoc, omnia thalami, quondam indivulſi, jura peſſum irent; *útque divortiorum* modus nullus, neque finis, eſſet. ut denique (quod nequius adhuc erat) ii quoque, qui limitem, ac temperamentum, *ſeceſſionibus* illis

ſtatuiſſent, ſuas ipſimet aliis uxores,uti cuique libido dictâſſet, eriperent; ac ſuas invicem exterminarent. id, quod in *Livia* quoque *Scriboniâ* poſtea, *Cn.* fecit *Octavius Auguſtus*; quam, *matrimonio Tiberii Neronis abductam*,in perpetuum deinde,pro *ſua*,retinuit, non abſque legitimi cubilis erubeſcendâ deteſtabiliq; contumeliâ: proptereáq; dignâ,quæ ſub ipſam,*jam planè collapſæ, Reipublicæ Romanæ-Veteris noctem*, & *Occaſum, exoriretur.* (*v*).

XIII. Quid ſanum erat igitur, in univerſa *priſca Roma?* quando *repudiis*, ac frequentiſſimis animorum corporúmque diſſidiis, intimum, etiam *conjugii*, putrefactum *vinculum*, ad uniuſcujuſque libidinem arbitriúmque, tam temerè rumperetur,ac diſſiliret? Ad eundem verò modum, omnis quoque cætera morum proſtrata diſciplina,*Deum* provocabat *ultorem*; Interitûſque conceptu gravida, tum *Libertatis antiquæ* parturiebat *excidium*; tum *funerum*, per bella civilia, *congeriem* tantam, quantæ vix in ſepulcrum ſuffectura foret *totius Italiæ* ſuperinjecta moles. Quid enim (quæſo),quid, *vivere* mortales illos, attinebat; qui,*DEO mori*,per ſingula temporum momenta, pergentes, ad hoc duntaxat, non *humanam*

ſanè,

ſanè, ſed *porcinam* ac *lutulentam*, ex *Epicuri* grege, *vitam* trahebant, & animam: ut eam in cupiditates, ac flagitia, profunderent? Quorum univerſum erat negotium; *foris* trucidare nationes, ac diripere; *domì*, *Deos*, ac *Deas*, in templis adorare, quos eorúmmet impietas excogitâſſet: intrà ſepta verò domiciliorum, pénoris ac popinæ cuſtodes, *Semideos* Penates, &, caninâ pelle formidabiles, *Lares*, ad focum aut parietem excubantes, (ξ) venerari. de cętero verò, dies ac noctes, helluari, potare, vomere, libidinari, ſtertere, rursúsq; ſuſcitatos, *ad ſola mala vigilare*; ventris autem deſideriis emancipatos, *ingerere* duntaxat, & *egerere*, ſinè modo mēſuráque, voluptates ſuas: ídque, nullô prorſus *in publicum*, niſi *Sterculii*, *Cloacinæq;*, Deorum ſuorum, *uſu*, vel *augmentô*. Quos tu, (rogo) cuínam bono genitos, aut generantes, credas mortales fuiſſe? bipedes (utì *Paulus* eos deſcripſit), *omnî repletos iniquitate*, quâ miſeras, & injuſtè plerúmq; ſubjugatas, gentes tenebant oppreſſas: *plenos avaritiâ*, *malitiâ*, *ſcortationibus*, *adulteriis*, *immunditiâ*, *nequitiâ*, *contentione*, *fraudibus*, *& homicidiis*: Homines *ſuſurrones*, *obtrectatores*, *contumelioſos*, *ſuperbos*, *elatos*, *malorum* omnium *inventores*, *parentibus immorigeros*; *inſipientes*, *& in-*

compoſitos; abſque ſanis *affectibus, & curâ fœderum, atque miſericordiâ:* proptereáque *Divinis oculis inviſos.* (o)

Credamus igitur, & pro comperto teneamus; *Deum,* uti Ter Opt. Max. ità quoque *Juſtiſſimum,* non jam ſolis, (ut quondam apud Jeremiam) *Judæis,* ac *Jeroſolymitis,* ſed & huic *Italorum urbi priſcæ,* juréque, ſinè dubio, potiore, vocibus his, aut harum ſimilibus, indignatum eſſe; *Circuite vias* Romæ, gentium-dominatricis: *& in platéis illius quærite, ſi fortè reperire poſſitis virum, exercentem* incorruptè *judicium, & quærentem, quod rectum eſt; & ero propitius ei. Dixi; Forſitan pauperes ſunt, & amentes; ignorantes* æqui, vel iniqui, diſcrimen. *Eamus igitur ad Optimates: & videamus,* Ipſíne ſaltem legibus humanæ rationis ſint obſequentiores? *Et, ecce! magìs hi ſimùl omne confregerunt modeſtiæ virtutisq; jugum! Super quo propitius ergo tibi fieri,* Roma, *potero? Saturavi cives tuos; & mœchati ſunt: & in domibus meretricum luxuriabantur. Equi facti ſunt amatores: facti ſunt emiſſarii,* more pecudum: *& quotuſquiſque non ad occurſum alienæ conjugis hinniebat? Super his ergo non cognitionem inſtituam* criminum? *& in Gente tali non ulciſcetur anima mea?* (π)

XIV.

XIV. *Cepit* autem, uti minatus eſt, ex eis *pœnas*, armatus omnî cladium ac terrorum apparatu, caſtigator *Deus:* eáſque jam olim, per *gradus*, & *ſæculorum*, & *ſuppliciorum*, aggreſſus eſt exercere. Quare, jam tum ſub *annum*, ab urbe conditâ, *trecenteſimum ſexageſimum quartum*, inſoleſcente magìs paullatim, magíſq;, per contumaciam plebe, clades eſt *à Gallis* accepta; ponè fluminis *Alliæ* ripam, eô loco, quô Tiberim is amnis intrat. Cujus ſtragis magnitudinem, *cuivis poſterarum cladium æquatam* à vetuſto ſcriptore (ϱ), non parùm exaggeravit, ipſa mox, iiſdem à barbaris, *Brennô* duce, capta, direptionéque, cædibus, ac flammîs, in ſolitudinem pæne redacta, *Roma*. Succeſſit verò cladi, quam diximus, *Allienſi*, pugna, *poſt annũ*, ab urbe conditâ, *quingenteſimum trigeſimum quintum*, ad amnem *Trebiam*, cum Pœnis, cruenta, Romanísq; victis luctuoſa. Pugna quoque, vixdum annô vertente, multò luctuoſior, ad *lacum Thraſyménum*; Peruſiam inter, & Glanin amnem: qua *Romanorum* cæſa *quindecim millia* ſunt ab *Annibale*; capta *ſex*; profligata, *decem millia* (σ). Poſt has, omnium facilè calamitoſiſſima ſtrages, ad *Cannas*, Apulorum vicum, iiſdem victoribus *Pœnîs*; poſt *annuum* ferè *ſpatiũ*,

à quo tempore *Thraſyménum* cruore ſuo tinxerant, ab *Quiritibus* accepta: quâ, ſi *Livium* interrogemus, *quadraginta Romanorum peditũ millia, duo verò millia*, cum *ſeptingentis, equeſtris exercitûs*, in acie ceciderunt. Sin *Marco Junio* fides ſit (τ), univerſim *millia quinquaginta*: Si verò *Polybio* denique; vix minùs *ſeptuaginta millibus*, ferrô *Punicô* ſunt interfecta. Quorum in numero, *Conſul* unus; Prioris anni, *Conſules* duo; *Senatores* octoginta: peditúmq; capta *tria millia*, cum equitibus trecentis. Ibi tum, Sanguine *Romanô* purpuratus, fluxit *Aúfidus*: Gello torrēti, de cadaveribus cęſorum, *pons* impoſitus: & *annulorum ex auro*, qui detracti cadaverum eminentiorũ digitis erant, *modii duo pleni*, miſſi *Carthaginem*, jactantiâ victoris *Annibalis*; mediôque curię, Senatorũ ob oculos, effuſi ſunt. (υ) Nec hæ tamen plagæ, nec aliæ, ſinè numero plures, ſcatentem vitiîs, *Romam* emendavêre: neceſséque fuit (ſi loquendum humanô more ſit) ad Elementa quoque confugere *Deum Vindicem*; poſtquam is armis arma *mixta* propemodum conſumpſiſſe videri poſſet.

Terram igitur, in miniſteria dextræ ſuæ caſtigantis, evocans Deus: & *undas*, & *ignem*, & *aërem*, in obſequii concordiam adigens; *terra-*

rum

rum quidem horrendâ ſuccuſſione (ſeu, quæcunque vis ea fuit occultior alia) *Romani fori* planitiem mediam, immanis hiatûs voragine, diduxit; nullîs, injectarum in eam molium, aggeribus explebilem: donec in illam, equô, præſignibus ornatô phalerîs, invectus, ſeſe *Marcus Curtius*, flos juventutis, injiceret; eôque *Tartarum* ſubeunte, terræ barathrum coiret: *anno*, poſt Conditam urbem, *trecenteſimo nonageſimo primô*. Quo ſanè, quid aliud & *Romæ Veteri* denuntiatum à *Deo*, ſupremo *Juſtitiæ præſide*, fuiſſe ſuſpicemur; quàm, quod per *Iſaiæ* quondam oraculum *Judæis*, ac *Jeroſolymitis* potiſſimùm, oſtendit, cùm diceret? *Dilatavit Infernus animam ſuam; & aperuit os ſuum abſque termino: deſcenderúntq;* (Curtiô, tanquam Heroum anteſignanô, præſiliente,) *fortes ejus; & populus, cum ſublimibus, & glorioſis.* (Φ) Sub *annum* autem, ab urbe conditâ, *quingenteſimum ſexageſimum*, continuatîs partim, ac partim per temporum intervalla repetîtîs, *tremoribus*, tanta *Deæ* (qualem ipſi nominabant) *Telluris*, fuit intemperies; ut, ob *feriarum*, *inutiliúmq; ſupplicationum illarum*, aſſiduas indictiones, *Otium* tandem, ac *Juſtitium*, omnibus ingratum, graviùs jam *Romanos*, quàm ulla *priùs ſoli trepidantis inquies*, excru-

cruciaret. Qui verò proximè ſubſecutus *annus* eſt; aſſiduam ſuſtinuit *urbis Romanæ*, per dies *octo ſupra triginta*, concuſſionem: non citrà perpetuam impendentis interitûs imaginem, mentibus, malè ſibi conſciis, obverſantem. Comitata verò *metum* hunc, eodem ipſo, quem dicebam, *annô* repentinæ *flammæ* voracitas eſt; à *foro Boario* tam violenter furens: ut, diem totum noctémq; graſſando, *vicina* juxtà, *remotáq*; depaſceret; &, quidquid urbis ad *Tiberim* vergebat, unà cum tabernis opulentiſſimis, exureret. Sed & antehac jam, annô, poſt natam urbem, *quingenteſimo duodecimô*, par *ſævitiâ*, memoriâ verò clarius, enatum urbis incendium; domiciliorum ingentem multitudinem, opes immenſas, & ipſum *Veſtæ* ſacrarium, cum *Æterno* (quem vocabant) *igne*, devoravit. Cui damno conjuncta tunc *tam inſueta Tiberis fluminis* eluvies fuit; ut *urbis Romanæ*, quidquid in *plano* ſitum ædificiorum eſſet, peſſum daret; æquatúmque ſolo daret. Nondum tamen, neq; ſic quidem, malorum tam atrocium *Romæ* finis oſtendebatur; *quia ſcelerum finis nullus*. Impuræ vitæ contaminandus etiam halitus, ac reſpiramen, erat; *aurâ peſtilitatibus vitiatâ*. Lues igitur, ex lue, cooriebatur; non jam, qualis, adhuc ad flagitia

gitia rudiore *Româ*, ſub annum ab Urbe Condita *ducenteſimum octogeſimum ſecundum*, dominari cœpit: quæ, *matronarum* plerarumq; fœtos uteros infeſtans, eas, aut *abortire* coëgit, immaturis conceptibus expulsîs; aut maturis quidem partubus, ſed exanimatis, commori: Verùm, aliæ longè diriores, ac densîs utriuſq; ſexûs funeribus formidandæ, *contagiones*, urbem exhauriebant. Qualis erat, in annum, ab urbe conditâ, *ducenteſimum nonageſimum primum*; quæ non modò pecus propemodum univerſum, (vitæ mortalis adjumenta) ſed, *mancipiorum, operariaq; plebeculæ*, tantum abſumpſit numerum: ut iniri non poſſet. In annum autem, ab urbe conditâ, *trecenteſimum primum*, hoc eſt, *decenniô poſt*, tanta, quanta nullîs unquam antehac contagiosîs annîs inciderat, peſtilentia deſæviit: quippe, *ſervitiîs* propè cunctîs, *internecione*; civium autem utriuſq; ſexûs, facilè *dimidiô*, (pluſquam videlicet, ac, duobus in acie, vel tribus, *exercitibus cæsîs*,) viritim quodammodo ſublatîs. Secuta *peſtis* eſt alia, ſub *annum*, ab exordio Romæ, *quadringenteſimum octogeſimum ſeptimum*, enata; plúſq; bienniô dominata. quo tempore, propter funerum *multitudinem*, JAM NON, ut aliàs, ROMÆ QUÆSI-

SITUM EST; QUOTNAM INTERISSENT? SED, QUOT ADHUC SUPERESSENT? (χ) Quæ civitati clades quanquam immiſſa crederetur, ob *Capparoniæ* cujuſdam, Veſtalis, *incontinentiam* (quippe, quę, ſtupri ſibi conſcia, convictáq;, ſupplicium ſubterraneum effugere ſuſpendiô ſpontaneô, properârit); ego tamen, non *Veſtam* tunc ſolam, ſed *Romam univerſam*, latibulum fuiſſe *vitiorum*, exiſtimo: Capparoniámque, *dicis* quodammodo cauſsâ, cum corruptoribus ſuis, velut *hircum & capram*, ſuppoſitam fuiſſe *pro peccato*.

Contagionum demum, omnium, ante *Syllæ* ſæculum, atrociſſimam, in *annum* incidiſſe, poſt conditam urbem, *quingenteſimum ſeptuageſimum ſecundū*; apud omnes pro confeſſo ponitur, quo tempore, *tertium* in *annum* immedicabili ſævіente *lue*, tantopere, conſtat, imminutam fuiſſe *Romam*: ut *delectus*, haud plurium, quàm *octo millium peditum, equitúmque trecentorum*, in Sardiniam mittendorum, per juventutis tamen, viriliſq; roboris, defectum, nequierit expleri. Quod ergò, principiô diſſertationis, de Vitioſis *Priſcæ Romæ* moribus, dicebam; id nunc, in ſummam, repeto. NON DEFUIT URBI flagitioſæ CORRECTOR DEUS: DEFUIT URBS

URBS CORRIGENTI DEO; quippe, meliorem induere mentem,detrectans. *Curata Babylon* erat: *emendata ſanatáq; non erat* (ↆ). Quid ergo *ſanioris* - diſciplinæ - *deſperationi* ſupererat aliud;quàm,ut, *MEDICVM* exoſis,ad extremum immitteretur & CARNIFEX.

XV. Hunc autem, fuiſſe *Syllam*; abunde,quę ſuperiùs dicta ſunt,oſtenderunt: iterúmq;,locô ſuô, paucîs producẽt, *Syllanæ Felicitatis funus, & infeliciſſima Ruina*. Sed, quanquam per eum virum *inundata* cruore *Roma* fuerat;nondũ *exſaturata* Fatorum *ſitis* erat, ebibitô *proſcriptionis civilis* torrente *primô*.qui quidẽ,cum *Dictatura* tandem *vitâq; Syllæ* finitâ, deſediſſe viſus erat; & in ſiccum aliquouſque ſeſe recepiſſe. Sed *hæc* profectò, (ſi verum quærimus) *initia Dolorum erant* (ω); nondum, *exitus*. Cúmque, poſt *Auguſti* tempora, *longa, graviſq;* mole ſuâ luxúque, *Pax, exitio Romulidis* (ut *Sulpitiæ Satyricæ* verbîs utar) fuiſſe,deprehenſa ſit (*αα*): multò magis,extinctô *Syllâ*,concordia civium,nec *longa*,nec ſuô tamen *luxu carens*,Romanis nocuit; ic, malitiâ rurſus exæſtuante, perniciem ſtra;émque, prioribus omnibus *graviorem*, dedit: ùm eò jam uſque,ſeditionum cœtibus, conurationum inſidiîs, ambitionis ac laſciviæ regnò,

gnô procederetur;ut etiam integrô jugiq; ſanguinis *Tiberî*, nocenti *Romæ* ſuperfuſô, *tingeretur* quidem incolarum improbitas, nondum autem *elueretur*. Ad *Macedonicos* ergo demum, *Theſſalicóſque*, veniendum campos erat: ac poſt Africani maris *Vticenſe* littus, poſt Hiſpanicos *Mundæ*, poſt Italicos *Mútinæ*,colles & agros, *Peruſiæq;* tractus, cæde civium alternâ conſtratos; fretum etiam Siculum, & Sinus Ionii maris *Actiacus*,erant decolorandi: donec, imperiô tandem, ſinè rivali, *Cæſar Auguſtus*, occupatô, *Reipublicæ veteris libertatem* exſcinderet; ac Principatum *unius*, hoc eſt, *planè Regnum*, *etiam in terrarum orbis regna*,firmaret. Sed tamen *exſpirantis Libertatis* ea ferè, quæ ſolet eſſe *lucernæ, flammulâ jam fugitivâ trahentis animam*, lucta fuit. Per intervalla ſuccumbebat,& revaleſcebat: donec tandem, in *fumum* quodammodo ſpongioſum incumbens, diúq; fruſtrà ſubſultans,in *auram* evanuit. Confeſtim igitur,ab exceſſu Syllæ, *Marcus Æmilius Lepidus*, inquieti vir ingenii, *Quintúsq; Luctatius Catulus*,Conſules, alter,*Acta Syllæ* reſcindere contendens; alter, pacis ſtudiô, tueri: *verbosîs* primùm in *curia* contẽtionibus (66), poſtea verò,*cruentîs in acie* certaminibus, inter ſeſe concurrunt. ubi,victus

à Col-

à Collega *Lepidus*, & ejectus Italiâ, dum incaſſum in Sardinia reparat arma; ſeu tabe, ſeu, propter compertum uxoris, Romæ deſidentis, *adulterium*, mœrore contractô, perit. $(\gamma\gamma)$.

Sub éadem ipſa porrò tempora, non modò *Quintus Sertorius* in Hiſpania vehementer gentiles ſuos, Romanos, exercebat: ſed, annô mox, ab exceſſu *Syllæ*, ſextô, DEUS, ANTIQUORUM præſertim in populis SCELERUM TEMPESTIVUS ULTOR, Urbis, *gladiatorii ſanguinis* avidiſſimæ ſemper *ſpectatricis*, crudeles voluptates, *gladiatorio* quoque *bello*, quod *Spartáciū* ſuprà diximus, acerbè caſtigavit. Ejus belli caput, ac dux, is, qui nominis etiam auctor, *Spártacus*, gente *Thrax*, è Thrace miles Romanus, è milite captivus, è captivo *gladiator* Capuanus, è gladiatore demum, effractâ cuſtodiâ, cum ſeptuaginta, ſuæ ſortis, fugitivus: collegis audaciæ tantæ, ſed inferioris nominis ac poteſtatis ducibus, *Oenómaô*, *Crixóq;*: poſtquam armis ſe, ſuóſque, quæ viatoribus obviis detraxerant, inſtruxiſſet, & *vagorum* manum, ex agris paſſim affluentem, collegiſſet, haud aſpernandam; *Veſuvium* occupavit montem, quaſi latrociniorum arcem. E quo loco cum ſuis decurrens, in vicinia circumquaque prædas agebat;

cædes faciebat; copias ſuas, ac facultates, augebat. Jámq; juſti ſenſim exercitûs ſpeciem ac numerum adeptus, miſſos adversùm ſe Româ, cum milite primùm tumultuariô, prætores, *Varinium Glabrum*, & *Publ. Valerium*, continuò pellit. Ad cujus victoriæ famam, concurſu longè plurium ad eũ in dies factô, paullatim ad militum, ſigna ſua ſequentium, *Septuaginta millium* numerum pervénit: quos omnes, armorum officinîs inſtitutîs, inſtruxit, ad uſq; *Romanæ rei periculum*, & urbis conſternationem. Ex ea proinde miſſi, contra *Spártacum*, ejúsq; duces, illius anni Conſules; *Crixum* quidem ad *Gargánum* montem, ac *triginta* millia cum eo, fuderunt ità, vix ut pars exercitûs ejus tertia ſupereſſet. *Spartacum* autem ambo mox Conſules, per Apenninum & Alpes in Galliam feſtinantem, etſi plurimùm conarentur, concludere tamen, à fronte tergóque, ſicut inſtituerant, uſqueadeò nequiverunt; ut is, è contrario potiùs, utrumq; per vices eos aggreſſus, rejiceret: ac trepidè fugientiũ *trecentos* nactus captivos, ipſe Victor; *Crixi* Victi Manibus, in conſpectu pęne Romanorum, immolaret. Captivîs autem reſiduîs, ad unum omnibus, extra Sacrorum ritus ac ſollemnia, trucidatîs, ad Urbem jam ipſam,

ipſam, impetu rapiebatur, non ſolùm inflammatô, ſed &, inoffensô; quippe, nemine tunc adverſarum partium eum reprimente. pervenisſétque, quò tendebat; niſi mox ſeipſum, ſpe, non tam vagorum duntaxat, & exulum, quam ingentium alicunde populorum, ad ſe pertrahendorum, ipſe repreſſiſſet. *Thurium* igitur, *Magnæ-Græciæ* vetus & inclytum oppidum, ad *Tarentini Sinûs* oram, inter *Sybarim* & *Cráthidem* amnes ſitum, inſedit; montibus inſuper, ei vicinîs, occupatîs: indidémq; congreſſus denuò Romanis, eoſdem denuò ſuperavit, ac diripuit: inque tertium jam annum terribilem *Vrbi* ſe, *gentium-dominæ*, gladiator-fugitivus præbebat. Spiritus autem illius, è tot victoriis paullatim immodicos, primus comprimere *P. Licinius Craſſus* eſt auſus: qui *Prætor*, ſex aſſumptis legionibus, à ſe conſcriptis, alias præterea duas Conſulum illorum, quos pepulerat antea *Spártacus*, adjunxit; ſed, propter ignavam ignominioſámque pugnam, ab eis pugnatam, priùs *decimatione* multatas, & ad uſque quatuor millia capitum imminutas: quò reſiduos, exempli formidine, deterreret à fugæ languidæq; pugnæ flagitiô. Cum his *Craſſus* advertus primò Spartaci *decem millia*, ſeparatîs à

Duce ſuo caſtris agitantia; tantam eorum multitudinem interfecit: ut, tertia tantummodo pars eorum ſuperſtes, pedibus ſalutem inveniret. Protinus autem & ipſum aggreſſus *Spartacum*, glorioſè vicit: ac primùm in Siciliam *prorſum*, dein in Samnites *retrorſum*, fugere conantem, vallô, foſsâ, copiîsq; ſuorum oppoſitîs, non *incluſit* tantummodo; ſed & oppreſſit: dum unius diei matutinô tempore, ſex millia, totidem autem ejuſdem veſpertinô, trucidat; ſuorum, non niſi *tribus* amiſsìs, *ſeptémque* ſauciatìs. Evadentem verò, circumſeſsúmque, poſt hæc, *Spártacum*, ſed, eruptionibus crebrîs, opus plenæ victoriæ præpedientem, *Craſſus* fugere demum, ſed in ipſa mox fugâ, Brundiſium verſùs, conſiſtere, coëgit: &, collatìs ſignìs, acerrimè præliantem, noviſſiméq; de genibus quoq;, propter vulnerum dolores, repugnantem, occídit. Unà verò cum *Spartaco*, póſtq; cædem ejus, exercitûs illius multitudinem tam ingentem (ſuorum, non niſi mille, cæsîs) trucidavit: ut *reliquiarum* ejus iniri numerus poſſet, qui *Sex milliũ* fuit: *cæſorum*, iniri ſumã non poſſet. Cum quibus tamen, utcunq; feliciùs (*ſi modò quidquam eſſe Felicitatis in Interitu poteſt*) actum videri potuit, quàm cum reli-

reliquiis eorum, captîs: quæ, *Sex millium* (uti dixi) numerô, juſſu Victoris in crucem ſublati, totâ, quâ Capua Romam itur, viâ pependerunt: ne *Gladiatorium* Romanis *ſpectaculum*, etiam è *mortuis*, deeſſet.

Cæterùm, *annô* poſt *Syllæ* mortem *nonô* (qui fuit ab Urbe Condita *ſexcenteſimus*, *octogeſimus tertius*) Conſules facti, *Cn. Pompejus Magnus*, vetus ille *proſcriptoris Syllæ* ſatelles; & *M. Licinius Craſſus*, Spartaci victor, & oppreſſor: Tribunatum plebis, à *Sylla* vi dolôque, (fortaſſis haud inutilibus,) abolitum, reſtituũt. Quo tempore, *Marcus* etiam *Aurelius Cotta*, prætor, (ne non per omnia populares ſe præberent magiſtratus Majores) Judicia, *Senatoribus* erepta, transfert tandem (ut in Verrinis Actionibus haud ſemel, nec obſcurè, *Cicero* minatus erat) ad *Equites Romanos*. Paullò quoq; pòſt, *Cn. Lentulus*, & *Luc. Gellius*, aſperi cenſores, Senatu (ſicut & alio loco perſtrinxi) *quatuor* ac *ſexaginta* movent. Ità denuò cornua, *criſtæq́*, turbulentis ordinibus, plebíq;, novas in res prurienti, ſurgere cœpêre. Tantò pronioribus ergo ſtudiîs eſt excepta, *Publii Cornelii Lentuli Suræ*, *Caji Cethégi*, pluriúmq; cæterorum, contra Rempublicam, duce *Lucio Sergio Catilinâ*, deteſtabilis *conjuratio*.

tio. quæ, *ſeptennio*, poſt *Tribunatum plebis* inſtauratum, invaleſcens, in *Conſules* incidit, *Marc. Tullium Ciceronem*, & *Ca. Antonium*, cognomentô *Nepotem*; annô poſt urbem conditam, *ſexcenteſimo*, *nonageſimo*. Deprehenſi verò, decretóq; Senatûs in carcere fractîs cervicibus interfecti, principes conſpirationis illius: *incolumitatem* quidem urbi; *Ciceroni* verò *Conſuli* grandem, apud *Catilinæ fautores occultos*, (inter quos, & C. *Julius Cæſar* erat,) *invidiam* poſt ſe reliquerunt. Quam animorum exaſperationem, non modò non extinxit, ſed, apud partium ſtudioſos, etiam validiùs accendit, ſub anni proximè ſequentis initium, *Catilina*, dux ipſe *conjurationis*, à *Marco Petrejo* (qui, *Proconſulis Antonii* legatus, eum locîs arctîs nactus erat) oppreſſus; & cum ſuis quorum initiô non pauciores *viginti millibus* fuerunt, ſtrage *trium millium* conciſus. Cujus caput amputatum, Romámque miſſum, urbi quidem liberatæ *gaudium*; *Catilinæ* verò reliquiis *indignationem* acriorem, invexit. Dolebant enim homines peſſimi, ſublatum è medio, ſui corporis vitioſiſſimi princeps membrum eſſe: quod, vel aſpectu ſuî ſolô, terrere bonos, confirmare ſceleratos, & involvere ſollicitudinum fluctibus civitatem univerſam, audere poſséq; conſueviſſet. Erat

Erat enim *Catilina*, præter ea, quæ ſuper ipſo *Criſpus Salluſtius* poſteritati tradidit, *monſtrum* potiùs *hominis*, quàm *homo*: flagitiorúmque quorumvis compendium exſecrandum. Conſtabat; ejus adoleſcentiam, in amoribus impudicis ſui ſimilium; juventutem, in ſollicitationibus & corruptelis matronarum, in conſuetudine nefariâ Virginis nobilis, in ſacrilega *Sacerdotis Veſtalis* familiaritate, verſatum eſſe: quæ, pro compertiſſimis, is ipſe, quem modò nominavi, *Criſpus* habet. Sed in eo, (ſiqua *Dioni* fides eſt, & *Appiano*, *Plutarchóq;*, ſcriptoribus Græcis,) rariora quædam, & partim atrociora quoque, ſcelera, *Catilinæ* tempora notârunt. Utputa, *Syllanæ* ſævitiæ participem, ac miniſtrum, extitiſſe. Suæmet *filiæ*, virilis adhuc contactûs ignaræ, vitium obtuliſſe. Suúmmet, è primo conjugio, *filium*, in gratiam *Oreſtillæ*, quam nuptiis ſuis novis deſtinârat, interfeciſſe. *Puerum* inſuper, à ſe clam mactatum, & in fruſta conciſum, conjuratis, ſacramenti firmandi cauſsâ, degũſtãdum circumtuliſſe. Non minoris prẹterea *feritatis*, ſimùl autem & *audaciæ*, facinus monimenta vetera de *Catilina* produnt: Eum, *Syllanæ* Dictaturæ tempore, *fratrem* ſuum, *hæreditatis* (ut jurè credi poteſt) in ſoli-

dum ad ſe rapiendæ cauſsâ, trucidâſſe; nec jubente *Syllâ*, nec gnarô: ſed privatâ prorſus auctoritate, pérq; præcipitem fratricidii cupiditatem. Mox autem, invidiæ mitigandæ gratiâ, quâ ſe conflagraturum vulgò, ſentiebat, ad *Syllam* properâſſe: germanum, ceu neſcio cujus alienioris à Dictatore voluntatis reum, per calumniam detuliſſe: referri quoque nomen ejus inter proſcriptos ut juberet, poſtulâſſe. Cùm autem impetrâſſet, utì jugulare liceret eum, qui jugulatus jam erat; abîſſe *Catilinam*: ad *Syllæ* (tunc in foro ſedentis) pedes, *Marci* cujuſdam *Marii* caput abjeciſſe: cædis ejus miniſterium obîſſe ſe ſuæpte manu, Syllæ vindicandi cauſsâ, palàm, & ultrò, confeſſum eſſe. Quò verò ſanguis, & fraternus, & Marianus, utut poſſet, adversùm vulgi ſermones, expiaretur; & piaculum illud auctorem cædis omni metu Deorum-Vindicum abſolveret; ad proximum *Apollinis* luſtrale vas, (quod, aquâ plenum, tunc commodùm in oculis *Syllæ* multitudiniſq; proſtabat), manus, etiamnum *cruore* ſtillantes, eum abluiſſe: *Sic Syllæ, ſic Manibus fraternis, ac Marianis, ſic reclamanti populo Conſcientiæq;, ſatisfactum eſſe*, gloriantem. Hunc talem ergò peſſimus quiſque tunc, ceu conjurationis

reſo-

refodiendę continuandęq́; ſigniferum, lamentabantur, & requirebant: utpote, *quibus eſſe bene nullo modo poſſet, niſi quàm peſſimè cæteris eſſet univerſis.*

Inter eas autem, quas dixi, reliquias *Catilinarias*, in ſuſpicione tunc etiamnum & *Marcus Licinius Craſſus*, & *C. Julius Cæſar*, apud *Marc. Catonem, Q. Catulum*, & alios, haud paucos, hęrebant. nec omnino *C. Antonius*, Ciceronis, in Conſulatu, nuper Collega, cum Catilina contractæ ſocietatis opinionem, ac præjudicium, extinxiſſe viſus erat, abſentiâ; quâ, proximô pôſt annô, Proconſul, nec proſperè tamen, *Macedoniam* adminiſtrabat. Lętitiæ nihiloſecius aliquid eidem anno, quo malè rem gerebat *Antonius*, attulit *Cneji Pompeji Magni*, Romam ex Oriente reverſi, magnificentiſſimus, & è Tribus Orbis Partibus ductus, triumphus: idémq; circa tempus, nequid uſpiam Romanis auribus armorum obſtreperet, exercitus Pompejanus univerſus, præter omnem urbis & Italię ſpem, dimiſſus. Sed non multò pôſt (ne pariter *ſcelere* quoque publicô, ſicut *armis*, Roma, per exiguum illud temporis ſpatium, vacaret) *Publii Clodii*, patriciô genere ſati, nequam exarſit libido: quâ, nõ contentus ſororiis, jam ab ado-

leſcentia, ſtuprîs, & inceſtibus, ab uxoris cubiculo tranſiit, ad *Pompejæ*, conjugis alienæ, (nec invitę), cubile contaminandum: veſtéq; contectus muliebri, glabellôq; mẽtô nitidus, in *C. Julii Cæſaris*, (cujus *Pompeja* tunc uxor erat) domum venit. Ubi, dum pro populo fit, ad *Bonæ-Deæ*, quam adiri viris aſpiciq; nefas erat, cærimonias atq; *Sacra* penetravit: quæ *Sacra* tũ in ædibus *Cæſaris*, ceu Pontificis Maximi, peragebantur. E quibus, ad libitum, ſeu perluſtratîs, ſeu flagitiô quoq; (ꟈ ꟈ) conſpurcatîs, per manus ſervulæ ſervatus, & eductus, eſt: à *Cæſaris* matrimonio *Pompeja* ſegregata: judicium, quęſtióq;, de *Pollutis Sacris*, inſtituta: præjudiciô, de corruptâ *Cæſaris* uxore, propriíſque fœdatîs ſororibus, agitatus *Clodius*: de nuru contaminatâ, mater Cæſaris *Aurelia*, cum Julia filiâ, ſorore Cæſaris, interrogatæ; corámq; judicibus, ex fide cuncta, ſicuti geſta fuerant, confeſſę: quantumvis ipſe *Cæſar*, in *Clodium* poſtea pro teſte citatus, negaret quidquã ſe comperiſſe; nec ob ſtuprum, ſed ob ſtupri publicam ſuſpicionem, & infamiam, à *Pompeja* ſe divertiſſe, cauſſaretur. Sub idem verò tempus, & *Pompejus*, compertô, *Mutiam* ſuam adulteratam (è *C. Cæſaris* utique conſuetudine, quem in ea *Suetonius* infamat,

famat, quémq; *Pompejus* ipſe ſæpe gemens *Ægiſthum* appellare *ſuum*, ob *Mutiam*, ab eo, per abſentiam ſuam, inſtar *Clytemneſtræ* tractatam, conſuêrat): eam, poſt tres jam ex ea ſuſceptos liberos, thalamô depulerat: bonîs omnibus, &c, in his, *Cicerone* quoq;, ſuâ quadam ad *Atticum* epiſtolâ, mariti factum approbantibus. Ex his tamen, tum *Clodii* facinoribus, tum *Mutiæ* divulsîs nuptiîs, ingentia mox, & in *Rempublicam* quoq; redundantia, mala ſecuta ſunt. Nam, ob *Mutiam* quidem, ſororem ſuam, cui nuntium *Pompejus* remiſerat, *Metellus* Celer, Conſul, iratus ei, cum *Luc. Lucullo*; geſtis illius, & actionibus in Republica, propemodum omnibus, obtrectans, adverſabatur. cúmque per ipſos ſtaret, quò minùs ejus adversùs *Mitbridatem* regem acta confirmarētur; anſam ei præbebant, ad Craſſum ſe tandem, ac Cæſarem, applicãdi. Quæ res, pernicioſa fuit Reipublicæ. Nam ea (ꝗ clariùs infrà demonſtrabitur) Conjunctio, disjunctionis, ac *belli Civilis*, originem invexit. Quod *bellum* proinde quoniam *Ruinæ Veteris-Reipublicæ-Romanæ* ſummam omnem in ſe continet, & vix ab ullo per omnia ſinguláq; particulatim eſt traditum; à nobis in conſpectu, totum universúmq;, cum cura, conſtituetur, ad interitum uſq; *Pompeji Magni*. *Clo-*

Clodius porrò, tametſi Judicum, emptîs-aurô, ſuffragiîs, *evaſiſſet* magis, quàm *inſons declaratus* eſſet; indignabatur tamen, implacabilî prorſus odiô, *Marco Tullio Ciceroni*; quòd, in illo tum Judicio, quo *Cæſaris* iram ac teſtimonium effugiſſet, (ad quem interim, vel inprimis, pertinere cauſſâ vitiatę *Pompejæ* deberet), ipſe pęne ſolũ illum, omnium cęteroquin aliorum illius tempeſtatis *communem patronum*, inducere, nec prece valuiſſet, neq; pretiô, vel minîs, aut promiſsîs; ad *falſum* ſibi, velut innocenti, *teſtimonium* commodandum. Huic, ea propter, infenſus, ut dixi, *Clodius*, eiq; poſthac vexando, modîs, quibuſcunq; poſſet, intentus; meditari *Tribunatum plebis* cœpit: in quo magiſtratu, ſimùl & *Pompeji* cauſſam adversùs *Metellum Lucullúmq;* ſublevaret: & *Marcum Ciceronem* in exitium proturbaret. Id autem ipſi tunc, utpote gentis Appiorum Claudiæ *patritiâ* nobilitate progenito, niſi *plebejus* fieret, obtingere, more legéq; majorum, non poterat. *Ejurat* ergo deniq; *Nobilitatem*, ut *Dio* loquitur; exſpectánsq; ſimùl, & quęrens, cujûſnã auctoritate, tanquam viâ legitimâ, tranſitionem faceret ad *Plebem*; quíq; ſe, ſuîs in conatibus, invicem ſublevaret: *Cnejo* primùm *Pompejo*, cæteram apud civitatem

tem ſenſim defloreſcenti, ſeſe velut emancipat,ac totum addicit: multò verò magis,*C Julio Cæſari*.cui, quòd in *Judicio* nuper,abs ſe temeratę *Pompeja*,ſuffultus ab eo fuiſſet,gratiam referre cupiebat; operámq; mutuam commodare. Nec inopportunus Cæſari *Clodius* videbatur;quippe *Ciceronis* & ipſi,(ſed per diſſimulationem,) oſori: circumſpicientíq; ſibi,propoſiti ſui,quo jam tum ad ſupremam potentiam graſſabatur, ſocios, ac promotores, quorum ſubſidiô corriperet Imperium;ut primùm opibus ſe validioribus,fortunîsq; præterea domeſticis, & *aurô* multô,(*largitionum inſtrumento*,) confirmaviſſet. Erat enim adeò *Cæſar* ære tunc oppreſſus alienô, propter effuſas, præſertim in Pontificatûs Maximi ſumptuoſiſſimam ambitionem,facultates: ut eum,è Prætura ſortitum *Ulteriorem Hiſpaniam*,ac jamjam in itineris procinctu conſtitutum, injectâ manu creditores retinerent: haud utiq; dimiſſuri, niſi pro Cæſare *Marcus Licinius Craſſus*, octingentorum ac triginta talentorum ſponſione, ſe prædem interpoſuiſſet. Ipſéque ſanè Cæſar præ ſe palàm ferebat, (ut auctor eſt Appianus): *Eſſe ſibi bis millies, & quingenties centenîs millibus Seſtertiûm, opus;ut nihil haberet.* Igitur *Homini*, *cum egeſtate*

pari-

pariter, & ambitione ſupremæ potentiæ, luctanti, factioſiſſimus quiſque, tametſi ſimùl & deterrimus, opportunus erat. Horum utrumque, *Clodius* erat: à factionum autem ſtudio nō alieniſſimi, *Pompejus* tunc, &, jam olim, *Craſſus.* etſi poſteriores hi, nec tum quidem ſatìs à ſimultate ſe veterî recompoſuiſsēt; quâ mutuâ laborârant, ab uſque tempore *Conſulatûs* illius, quem, undecim abhinc annîs, unà, ſed nunquam unanimes, adminiſtrârant. Tunc autem, annô putà, quo profectus in *Hiſpaniam*, ac paullò pòſt reverſus, *C. Cæſar* Romæ *Conſulatum*, & Publ. Clodius *Tribunatum plebis*, ambiebant; agente callidè Cæſare, Pompejus inter ſe Craſsúsq; reconciliati, tertium adjunxerunt ſibi Cæſarem, in ſocietatem, ac fœdus. occultum autem, ſingulorum cupiditatis & machinationum, miniſtrum, *Romanorum omnium ſpurciſſimum,* de quo dictum eſt, *Clodium* aſſumpſerunt. Societatem hanc porrò rerum, & conſiliorum, *illi*, quos memoravi, *Tres-Viri* coierunt, in *ſuum* tunc quidem, utì rebantur, *commodum*; in apertiſſimum verò Reipublicæ malum, ac perniciem: immò verò tandem, & ſuúmmet in exitium. Erant autem nefariæ pactionis iſta ferè verba. *Nequid, in poſterum tempus, ageretur in Republica,*

quod

quod è tribus illis ulli minùs probatum eſſet. Id fœderis genus, à *Varrone* mox, eruditiſſimô R manorum, acrî perſtrictum volumine, quod, à tribus illis factionis Capitibus, *Tricipitinam* inſcripſit; à Plutarcho notatū vocabulô *Conjurationis*; & ab *Annæo* poſtea *Lucano* (εε), non acutè minùs, quàm verè, CONCORDIA DISCORS, appellatum: prudentum omnium communî ſenſu, cunctarum, quæ deinceps *Romam* inundavêre, calamitatum, fons eſt, & origo, judicatum. FELICIUS illâ *Copulâ*, publicè privatímque, fuiſſet DISSIDIUM.

XVI. Jam enim, primùm omnium, *C. Cæſar*, adeptus Conſulatum, *in quo Regni*, propemodum ab adoleſcente jam *quæri cœpti*, *fundamenta jecit*; ut Acta Pompeji Mithridatica confirmarentur omnia, reluctantibus quantumvis æmulis ejus, & inimicîs, effecit. Legem Agrariam, toties quieti publicæ noxiam deprehenſam, agrô Campanô, Stellatéq; campô, plebi divisô, per vim promulgavit. *Equeſtrem* etiam ordinem utì ſuas ad partes attraheret; *publicanis* (ordinis illius popularibus) citra Senatûs auctoritatem, & reclamante, cum optimis quibusq;, collegâ, Marcô Bibulô, partem tertiam vectigalium, ex pretiô locationum, remiſit:

ſit: *Bibulum*, obnuntiantem Agrariæ, quam dixi, Legi, perterrefecit; diffractis illius faſcibus, corbéq; refertâ ſtercoribus, per quendam, in caput ejus exoneratâ, quin & armîs expulſum forô, ſuámq; deinceps in domum, toto reſiduo Conſulatûs ejus tempore, rejectum, & abdere ſe coactum. *Pompejum*, & *Craſſum*, ut rogationes ſuas, non citra laudem *Cæſaris*, approbarent, earúmq; ſe propugnatores fore, pollicerentur, è pactis inter ſe mutuîs, ac notîs, adduxit. *Marcum* verò *Catonem*, pro conſueta ſibi dicendi libertate, *Nihil innovandum, videri*, clamantem & contendentem, extrahi curiâ, lictoris manu, juſſit; & in carcerem condi. quem, cum multis aliis è numero Patrum Conſcriptorum, ſecutus *Marcus Petrejus*, cùm à *Cæſare* propter hoc objurgaretur; MALLE SE, reſpondit, IN CARCERE CUM CATONE, QUAM IN CURIA CUM CÆSARE, VERSARI. Quibus verbis, hactenus pudorem Cæſari Petrejus injecit; ut, promptiſſimè cæteroquin in cuſtodiam digreſſum, *Catonem*, illico redúci juberet, ac liberari. Circa cætera, perſeveravit eſſe, quod principiô ſtatim ſui Conſulatûs: UT UNUS OMNIA SOLUS IN REPUBLICA, TANQUAM DUO

CON-

CONSULES, AD ARBITRIUM AGERET: &, quod decernere Cæſarem, ac Bibulum, conveniſſet, ipſe *C. Julius*, (ut multi jocosè notabant,) *&* *Cæſar*, decerneret. Populum autem, ut hic iſtis talibus agendi rationibus annueret, tum antè jam aliàs, largitionibus, ac Venationum, aliorúmq; generum, ſpectaculîs; tum, ſub idem ipſum quoq; Conſulatûs ſui tempus, *Legibus edictisq;* quàm maximè *popularibus*, totum fecit ſuum. *Ciceronem*, in cauſſa quadam apud Judices, (ut Suetonius tradit) temporum illorum ſtatum, ac mores, deflentem, exſternavit: dum *Publ. Clodium*, ejus inimiciſſimum, jam dudum à *Patriciis* ad *Plebem*, ſed, obſtantibus omnibus aliîs, incaſſum, tranſire geſtientem, ejus ipſius adhuc diei veſperâ, circa nonam horam, *tranſduxit*. Eundem autem *Clodium*, &, *urbis Romanæ publicum Odium*, Publ. *Vatinium*, paullò pòſt ad Tribunatum Plebis, aliâ mente non evexit; quàm, ut per eos *M. Catonem*, morum bonorum cuſtodem, & *M. Tull. Ciceronem*, à *Catone* palàm *Patriæ-Patrem* appellatum, exagitaret. In hac ipſa tamen, ad Plebem traductione, Tribunatúq; Plebis Clodianô, *Cæſar* (ut tunc in rebus aliis omnibus) adjutorem habuit, ſi *Dioni Caſſio fides* eſt, *Cn.*

Pompejum Magnum: quippe, quorum uterque ſibi, (diſſimulanter tamen) Ciceronem inprimis,operâ ſceleréq; *Clodii*, ſumpſerant opprimendum. Huc eodem pertinebat, quòd *Cæſar* Lucium quondam *Vettium*, propoſitis ei præmiîs,induxit; utì,Se ſollicitatum à *M.Catone*, *M. Tullio Cicerone*, *Lucibque Lucullo*, diceret, de nece,Cęſari Pompejóq; pariter inferēdâ: próq; Roſtris id, ac populô palàm, profiteretur; ut invidiam indè publicam utriq; conflaret. Quæ res interim,etſi fidem apud *Dionem Caſſium* reperit,in ejus duodequadrageſimo de Rebus Romanis volumine: *Suetonii* tamen teſtimoniô, ponitur inter cæteras ejus generis calumnias,criminationéſq;,*C. Cæſaris*,quibus hic in univerſos diverſæ factionis *Optimates* incurrebat. ſuóq; (ſicut oportebat) ſucceſſu fraus ea caruit; nemine prudentiorum *Vettii* narrationem ad aures & fidem admittente. Quo factū eſt, ut hic idem, clariſſimorum virorū infamator, paullò pòſt extinctus,extráq; carcerem diluculô quodam repertus,ſeu cum veneni porrecti notîs, ſeu (quod in Lucullo Plutarchus ait) cum verberum etiam, ac ſtrangulationis, veſtigiîs; auctore Cæſare ſublatus,crederetur: ne ſcilicet, diutiùs ſuperſtes, fraudem tandem, & hu-

& hujus compoſitorem primum, *Julium Conſulem*, evulgaret. Nec tamen etiam hic conquievit turbulentus *Cæſaris* animus, & illius, erga Reipublicæ conſervatores, malevolentia. quos ut pejùs indies, & acriùs, ſuarum ſucceſſu rerũ ureret; cùm priùs quidem *Lucium Piſonem*, in Conſulatu ſibi ſucceſſurum, in ejus filia *Calpurniâ*, ſocerum, *Pompejum* autem, in hujus filia *Juliâ*, generum, adlegiſſet: eorum utroque ſuffragiis eum ſuîs altiùs altiúsq; ſemper provehente, lege partim *Vatiniâ*, plebíſque ſcitô, partim demum & Patrum Conſcriptorum auctoritate, *Galliam* Citeriorem *Vlteriorémq;*, Provincias, cum *Legionibus quatuor*, in *Quinquennium*, eſt adeptus. Poſt quæ, frequenti mox curiâ, minari non dubitavit; *Ex eo ſe tempore cunctorum, ac præſertim adverſantium ſibi, capitibus inſultaturum*. Idque, quò minùs in *capite* Ciceronis, per ſe factionémq; ſuam, exerceret; haud ullam prætermiſit anſam, aut occaſionem: unà cum *Pompejo*, diſſimulanter quidem, & clam, ſed acriter, *Clodium* in *Ciceronem* incitando. Nec *Cicero* nullam eis, averſandi ſui, cauſſam exhibebat: ſi tamen *Dioni* credimus, qui paſſim *Ciceronem* perſtringit; *Aſinii Pollionis*, veteris, & acerbi, Ciceronomaſtigis, (ut è Sexta

Senecę Rhetoris Suaſoriâ manifeſtum eſt) ſcriptis præimbutus. *Erat enim*, inquit Dio, *Tullius, nominis ac famæ, quæ facundum magis, quàm bonum ſanctúmq; virum, proſequitur, ſtudioſus: & cùm ſinè fine modòque gloriaretur, neminémque ſibi parem exiſtimaret; præ ſe conſequenter aſpernabatur univerſos. cúmq; nullius omnium facilè par vitæ conſuetudinisq; ſequeretur inſtitutum; plerisq; moleſtus erat, & ingratus: nec iis quidem exceptîs, quos ſuis ille familiaribus & amicis adnumerabat.* Eodem proinde nomine, necnon aliîs è cauſſis, mirum non erat; ſi *Cæſari* quoque, *Pompejóque* viris ambitioſiſſimis, quantumvis amicitiam ejus, ſtudiúmque, præ ſe ferentibus, minimè gratus eſſet: cùm hi præſertim & *Marcum Catonem* averſarentur; licèt morum, & inſtituti vitæ *Ciceronis*, diſſimillimum. *Clodius* igitur, tantò cupidiùs ipſe quoq;, ſubvertere *Ciceronem*, ob negatum ſibi (velut dixi) caſtæ vitæ teſtimonium, libertatémq; declamationum ejus, laborabat: *Lege* latâ, dum *Tribunum* jam *plebis* agit, in eos, *qui quemcunque Civem unquam, indictâ cauſſâ, populóque ſuffragia non ferente, condemnâſſent, necâſſent, necandúmve curâſſent*. Id, quod in Lentulo Surâ, cæteríſq; Catilinæ ſociis, feciſſe *Ciceronem*, (non citra tamen *Senatûs* auctoritatem)

tem) manifeſtum erat. Poſtquam enim in carcerem prętorem *Lentulum*, & *Cethegum*, ſociósque, deduxiſſet, ínque *Tulliano* cervices eorum laqueô frangendas à carnificibus, in conſpectu ſuo, curâſſet: tum demum, ad dimittendum Senatum revertens ad Curiam, ignarô rerum, & adhuc eventum in foro præſtolante, populô, VIXERUNT! exclamavit: extinctos eſſe conjuratos, ſignificans.

Ac *Cicero* quidem, omnî primùm conatu violentiæ Clodianæ reſiſtebat: veſtitúq; *Senatorio* ſibi detractô, nō ut *Conſularis*, ſed ut ſupplex ac *ſordidatus*, circumibat, tantùm non oſtiatim, ac viritim; in id incūbens, ne, crudelitate *Clodianæ legis*, Urbe pelleretur, & Italiâ. Quo modô, dum videri *miſerandus* vult, ne *miſer* iat; Appiani cenſurâ, factus *ridiculus* eſt. Præ æteris verò, *Cæſaris*, ac *Pompeji*, qui ſe *Ciceronis* ſtudioſos, & amantes, quoties is coràm eſſet, oſtentabant, opem in hoc, operámque, prenſabat. Ab his iiſdem tamen, in ejus (uti ſuprà dictum eſt) caput principiò ſtatim *Clodium* immittentibus, ac poſtea quoque furorem illius inflammare ventilaréq; non ceſſantibus, perfidè paullatim ſubverſus eſt. Hujus verò *perfidiæ* primas, (in hac quidem *Ciceronis* calamita-

te) partes tulit *Pompejus*; dum gratificari,præſertim *Cæſari*, ſubdolo Ciceronis inimico, ſtudet: ídque, tam illâ rerum tempeſtate, quàm, ex quo tempore, jam antea, Craſſum ac Cæſarem illâ, quam retulimus, *Tricipiti* Societate ſibi colligârat; oblitus ſalubris illius, ac ſeriæ, *Lucii Syllæ* Dictatoris, frequenter auribus ipſius ingeſtæ, commonitionis: *Vtì meminiſſet*, vitare *Cæſarem: cui quiſquis, jam tum, multos ineſſe Marios uni puero, juveniq;, non cerneret; cæcum eum, ac dementem, eſſe. Perniciosâm Nobilitati fore Cæſaris familiaritatem: quippe, qui, conſiliis ac mente ſuâ non aliud, quàm ipſorùmmet illorum, pro quibus ipſi, tot per annos, arma geſſiſſent, Optimatium Ruinam, parturiret.* (ζζ) Optimatium autem Reipublicæ, *Signiferum* fuiſſe ſemper *Ciceronem*; negare, nec illius quidem inimiciſſimi ſunt unquam auſi. Sed, his inſuper habitis, *Pompejus*, in *Cæſaris*, ut dixi, gratiam, laboranti ſub diſcrimine *Clodianæ* rogationis *Ciceroni*, promiſsâ ſæpius operâ, non præſtitit: crebráſq;, nunc hinc, nunc indè, decerpens afferénsq; ſuæ cunctationis excuſationes; alias aliáſque, quò minùs illi præſidio tunc eſſe poſſet, cauſſas ementiebatur: profectiones, jam has, jam illas, per *Italiæ* diverſa loca, vel in ſuburbana ſua, ſuſcipiebat:

ad

ad *Albam* multus erat, in villa ſua ruſticando. Venientem autem eodem *Ciceronem*, aliàs quidem, *ad pedes ſibi ſtratum, ne ſublevabat quidē* (ut, ad *Atticum*, ipſe *Cicero* querulè teſtatur:) aliàs autem, redeuntem, adeundíq; copiam efflagitantem, nec admittere dignabatur; quippe, jam olim *verbîs* ſæpius, & tunc *ipsâ re*, cauſſatus, *Nihil ſe contra Cæſaris poſſe voluntatem, vel conari, vel ſuſcipere.* Miſſos verò tandem à *Cicerone* communes utriuſque, fideíq; tenaciores, amicos, ac deprecatores, excluſit congreſſu: per ſum̄um ipſe ſilentium, ſuſpenſôq; pedum gradu, furtivè, per fores averſas, *Albanū* ſuô digreſſus. Poſt quæ, deſperatîs amicitiæ priſca (ſed ſimulatæ) præſidiîs; & in abſentem *Pompejum* exoneratô, multa per convitia, ſtomachô: *Cicero* tum demum armîs ſuā tutari cauſſam, adversùs *Clodium*, parabat. Sed, per *Hortenſium Catonémq;*, metu novæ civilium armorum tempeſtatis, ab ea mente deductus; abiit in exilium: cùm priùs, in Capitolium aſcendens, illic MINERVÆ, cognomentô CUSTODIS-URBIS, ſimulacrum collocâſſet; cujus *Deæ* Signum ipſe domi quoq; ſuæ, jam olim colendum ſibi, dedicârat, ac ſuperſtitiosè frequentârat. Egreſſus eſt autem *Româ*, circa *no*

ſcelerum horum faces jactante, fiebant, ſilens magìs, quàm actionum illarum omnium applauſor,aſſenſórve,præterierat,ac diſſimulâ-rat: partim, nequid ageret ipſe, quod adversùs pacta *fœderis inteſtini*, duobus, è *Trium conjuratorum* numero, diſplicitum fuiſſet; partim etiam,ne prorſus depoſuiſſe memoriam videretur eorum, quæ *Ciceronis* (ut aut credebat, aut ultrò criminabatur,) *dolô* ſuſtinuiſſet; inter *Catilinæ* conſcios olim, ab indice, ſeu verô, ſeu ſubornatô, *L. Tarquiniô*, nominatus.

Cæterùm, ut ad *Pompejum*,ac *Cæſarem*,revertamur; quoniam hi,*Ciceronis*, & *optimi* pręterea cujuſque, ſceleratâ ſubverſione, tranquillum *Reipublicæ* ſtatum vel inprimis labefactârunt: operæ fuerit pretium exſequi; quibúſnam, & hic,& alter, artibus, primâ ſuî fronte quodammodo diſſonîs,re tamen ipsâ penitùs ad unum perdendi *Ciceronis* conſilium tendentibus,eundem hunc, priùs, quàm Clodii vis, & rogatio, cauſſam meliorem oppreſſam teneret, aggreſſi int. Oſtendebant uterque *Ciceroni*, nimis primùm credulo; Nec legem ſibi, quam ferret mpurus *Clodius*, nec eorum omnino quidquam, quæ fierent in ejus *Tribunatu*, placere, probaríque. Quòd autem is *Tullio*, propter ne-

catos injuſſu populi *Catilinæ* ſocios, diem di-ceret; ei *Cæſar* auctor erat, uti diſſimulanter urbi ſe judicióque ſubduceret. id, quod fieri quàm dexterrimè poſſet; ſi *Cæſar*, in *Provinciam* ſuam, ſub idem ipſum tempus, cum legionibus ſuis ire maturans, eum, (non ambientem id, ut Plutarchus tamen, aliîs ei magnâ vulgò concordiâ repugnantibus, ſcriptum reliquit, ſed vel invitum), ſibi legaret; unáque, quod ſanctè ſe facturum pollicebatur, abduceret. Sic enim eum, jam non, ut *Reum* ac *ſordidatum*, ſed inter paludatos, ac *dignitate* militari *præditos*, abiturum: *Clodianósq;* conatus omnes eluſurum. At ab his contrà (ſicut videri volebat) legationis conſiliîs alieniſſimus, *Pompejus*, conſciô vel maximè, præmonitôque, ſed interim ſe pro fraudis ejus ignarô gerente, *Cæſare*, Ciceroni, ſeorſim abductô, ceu clanculum, &, quaſi conſilii fidelioris auctor, *Cæſarem*, ſicuti *Ciceronis* inſidiatorem, criminabatur: ità diſſerens. *Ei legationi, vel vana promiſſa, vel perniciosum exitum, & (ad ſummam!) fugæ quandam imaginem, manifeſtúmq; dedecus, & infamiam, ineſſe. Debere Ciceronem, antiquæ ſuæ dignitatis, rerúmq; geſtarum, memorem, pro ſua, Patrúmq; Conſcriptorum, cauſſâ, quorum auctoritate*

Cati-

Catilinariam factionem extinxiſſet, armîs, & forenſibus, & bellicîs, adverſùs Clodii vim, etiam cum periculo capitis, contendere; potiùs, quàm, tantâ cum turpitudine, ſub Inimici-latentis (Cæſarem iîs verbîs ſignificabat) *malefidîs tentoriîs, ac Signîs, in caſtris ſupervivere; fugitivi, deſertoriſque-vadimonii, cognomentîs aſperſum, & in omnem deinceps vitam reliquam maculoſum. Maneret igitur ad Vrbem; ad quam & ipſe tum* (Pompejus) *ageret: cujus ſanè metu, reverentiâque, vel nihil auſurum porrò gravius exitialiúsq; Clodium, ſuum quondam affinē: vel certè, ſeipſo conatibus illius, unà cum Patribus Conſcriptis, reſiſtente, nihil eſſe profecturum. In id ei ſe ſuam operam, &, Quidquid Pompejus Magnus, aut eſſet, aut poſſet, offerre.* Dixit hæc omnia Ciceroni Pompejus. dixerat ea quoque, quæ retuli de legatione, *Cæſar*: non, ut præſtarent, quod uterq; promiſerant; ſed, *ut in fraudem eum* (ait Dio Caſſius), *& in rete* quodammodo *Clodianum*, ſecurum ſuî, torpentem, nihilq; mali gravioris ſuſpicantem, *inducerent.* Secundùm hæc *Cicero*, ſpretô, cum ejus offenſione, *Cæſaris* beneficiô, totum *Pompejo* ſe permiſit; in quo planè tunc acquieſcens, planiſſimè peſſum ivit. Quæ referri fuſiùs, conſultum mihi viſum eſt: ut manifeſtum cuivis eſſet;

ſet; PSEUDOPOLITICORUM, quos vocamus, artes, quæ tempeſtate noſtrâ *Curias*, *Réſque Publicas*, ſurſum deorsúmq; verſant, ſæculô jam illô ſerpere cœpiſſe; capútq; colubrinum, adversùs quantumvis doctos & eloquentes, ſed rerum ſuarum incautos, ac plus æquô ſibi præſidentes, (cujuſmodi ſanè *Cicero* fuit) extollere. *Viperis* his duabus, *baſiliſci*, qui viciſſim eas ulciſceretur, *oculus* deerat, & ictus. Nos tamen, ad ea nunc, quæ *Reipublicæ Romanæ* caſui ſupremo præluſerunt, curriculò recenſenda, properemus. In quo tamen ipſo, *celeritatem* eam, quantumvis æmulemur, aſſequi nullo modô poterimus, quâ rerum tunc Romanarum Infelicitas *cucurrit*.

XVII. Nam, ejectô jam *Cicerone*, *Cæſaréque* tranſalpinam in *Galliam* profectô; *Marco* verò *Catone*, nequâ, ſicut ſolebat, in re ſtatum Reipublicæ vitioſum interpellaret, in *Cyprum* ablegatô, (ſicut in Ptolemæis eſt dictum); agendi deniq;, dicēdíq;, libertate, præſtantiſſimo cuique, per abſentiæ neceſſitatem, præciſâ: regnabat in Tribunatu ſuo *Publ. Clodius*, addictúmq; ſibi populum expertus, in *Optimatium* reliquos inſurgebat; &, inter hos, in eum ipſum, à quo potiſſimùm ſtimulatus adversùs *Cice-*

Ciceronem fuerat, *Cn. Pompejum.* Hujus *Acta* quędam reſcindebat: *Tigranem* Juniorem, *Tigranis*, Armenorum Regis, filiũ, ſed Romæ captivum, vinculis exſolutum, ſuam in domum abduxerat; &, aliquouſque leniter cuſtoditum, tandem, acceptâ pecuniâ, dimiſerat: *Pompejum*, his talibus graviter irritatum, indignantémque, cum *Aulo Gabinio*, contumeliis invaſerat: utriuſq; comites aſſeclásq; verberârat, ac vulneribus affecerat: faſces conſulares confregerat: in concionibus deniq;, ſcurrarum deterrimum quemque, conductámq; ſordidæ plebis turbam, ſubornârat; ut, quoties interrogaret ipſe, *Quiſnam urbanorum, hôc, aut illô, corporis animiq; vitiô laboraret*, putà, *Quiſnam imperator impudicus? quis vir virum* (ut Plutarchus, hæc narrans, loquitur) *deperiret? quis cubitô nares emungeret? quis caput unô digitô ſcaberet?* POMPEJUM omnes, POMPEJUM! POMPEJUM! clamarent; POMPEJUM ſolum, ad ſingula, ſingillatim, ut *Reum*, cum inſano clamore, nominarent. In ſummam ergo, jam non *parem* ſe tantùm *Clodius*, hôc agendi laſciviendíque more, ſed *ſuperiorem* etiã, *Pompejo* gerebat. Quibus proinde rebus, aliîsq; talibus, haud paucis, illius factis inſolentibus, exaſperatus deniq;

Pom-

Pompejus, pœnitentiâq; multâ dementiæ ſuæ ductus; quòd in *Conſulatu* ſuo, benè proſperéque, nec minùs ſapienter, everſum à *Lucio Syllâ plebis Tribunatum*, per ſummam ipſe ſtultitiam (in ſuúmmet nunc caput relapſam), cum urbis pernicie, reſtituiſſet: omnes eò conatus ſuos ſtudiáq; cœpit convertere; quò *Ciceronem* in priſtinum decus, ac locum, ab exilio reduceret: non herculè viri charitate, vel amicitiâ, (quam aut nunquam ſincerè coluerat, aut in ejus expulſione perfidè promovendâ, dudum proculcârat); ſed ſolâ duntaxat urend *Clodii* cauſsâ: cui *Ciceronis* ſalutem eſſe quàm inviſiſſimam, inter omnes conſtabat. Quod autem contendit perficere *Pompejus*; hoc, in idē ipſum incumbente frequentiſſimô Senatu, (quippe, cui *Ciceronis* incolumitas unicè cordi ſemper fuiſſet) perfecit: adnitentibúſque, *Tito* potiſſimùm *Annio Milone*, Tribunô plebis, *Lentulô Spinthère* Conſule, cum Prætoribus aliquot; *Q.* quoque *Cicerone*, Marci fratre, plurimúmque, præ cæteris amicis omnibus, *Atticô*: reſtitutus in patriam *M. Tullius* eſt; poſteaquam menſes ferè ſedecim exulârat. Reductus autem, ab innumerabilis per *Italiam* multitudinis frequentiâ, comitatúque; cùm ad por-

portas veniſſet urbis,omnî ſe Româ,cum Marco quoq; Craſſo, Ciceronis antehac inimicô, more torrentis,in occurſum effundente: gratulantium ipſi turbis ſic aſſiduò cinctus,ac pœne circumſeſſus, eſt; ut, â diluculo propemodum cœptus, ſalutantium cœtus, vix ad diei tandem veſperam ſeſe conſumpſerit. Ità, quod ipſe *veriſſimè*, nec per calumniam, quadam ad *Pomponium Atticum* epiſtolâ libri noni, ſcriptum reliquit; id tunc evénit: *ut eum levarit iis incommodis* Pompejus, *quibus idem ipſum affecerat*: &, quod in memoriam poſtea *Ciceroni*, bellô *Civili* jam conflatô, *Marc. Antonius*, tribunus pl. ac Proprætor, redegit: *Vt, quò Beneficium Tullio Cnejus daret, priùs Injuriam ei fecerit.* Itaq; gratias ei quidem Cicero *palàm*, ut & Senatui, Populo, cæteriſq;, ſalutis ſuæ promotoribus, egit: *clam* autem, adversùs & *Pompeium*, & *Cæſarem*, ac *Marc. Craſſum*, volumen compoſuit, *De Conſiliorum ſuorum rationibus*, apologeticum; non ſinè crebra verborum ac ſententiarum in eos, alióſq; quoſdam, acerbitate. quod volumen ipſe, ſimulac ad *epilogum* perduxit, obſignatum, *Marco* filio tradidit; aſſervandum quidem, ſed clauſum, & ineditum: quoad in vivis adhuc auctor ageret. De cætero,

tero, ſimulandi diſſimulandiq; ſummus artifex, perinde ſepultas in animo veteres cum iis ſimultates eſſe, præ ſe tulit; ſicut abolitum ac defoſſum eſſet *Exilii* ſui *Decretum*. Et erat inductum ſanè *decretum* illud: reſtitutęq;, ſumptu publicô, domus, villæ, ſolum, & area; cum facultatibus, ei violentiâ *Clodianæ publicationis* ademptîs.

At inter hæc *Cæſar* (ut dictum eſt,) in Provinciam profectus ſuam, poſteaquam, è *Capitolio* tria millia librarum auri furatus, ac tantundem æris inaurati reponens, inſtructiorem ſe, ſumptibus *faciendis*, ac nominibus *factis* diſſolvendis, reddidit: *Helvetios*, ad ſedes exteras quærendas ſolum vertentes, opprimit: *Arioviſtum* Germanóſq; vincit, & Galliâ depellit: Belgarum, inprimíſq; Nerviorum, Armoricorum, aliarúmq; Gallicarum gentium terras, partim *armis* in poteſtatem; partim, *armorum oſtentatione*, ſpontaneam in deditionem, redigit. *Gallias* rapinîs, & exactionibus, evaſtat. Populorũ deniq; quoſdam, iiſdẽ in terris rebellantes, per ſe, pérq; legatos ſuos, ad officiũ reducens: ob hæc ingentî Populi Romani plauſu celebratur, frequentibúſq; dierum compluriũ ſupplicationibus; *verbô* quidem, Deorum honori, *revera* tamen

men Cæſari, gratulationis ergô decretîs. Quibus gloriæ Cæſarianæ, tam amplîs, propemodúmq; quotidianis, acceſſionibus, ac veluti fulgoribus, excæcatus *Pompeji* lividus animus; cùm vereri vehementer inciperet, ne, *Cæſare* paullò pòſt *Inferior* ipſe geſtîs, & eſſet, & haberetur: primò quidem, ad *alterum* cœpit *Conſulatum*, idoneô cum collegâ gerendum, aſpirare. contendere deinde ſimùl, apud eos, qui tum Rempublicam adminiſtrabant, Conſules; ne *Cæſaris* è Gallia *litteris*, ſuper rebus ab eo geſtis, temerè citôve fidem adhiberent: neu præproperè ſemper eas in Senatu recitarent: néve, niſi rebus undequaq; priùs exploratiſſimis, ſuper iis ad Senatum referrent. ex invidia demum, & ambitione malevolâ, dejicere conari *Cæſarem* iis ipsîs honoribus, ac fortunîs; ad quas eum aliquando provexerat: ac nominatim, ut, ante *Quinquennii* tempus exactum, in Gallias ſucceſſor ei mitteretur; quem, haud dubiè ſeipſum, ſperabat, aut in *Conſulatu* ſtatim, quem quærebat, aut, eô peractô, ſinè mora futurum. Poſtquam autem id videt, Amicorum Cæſaris obſtante potentiâ, parùm procedere; viam conſiliorum ſuorum, nonnihilô diverſam, vir talium artium callidus, cœpit inſiſte-

 re:

re: quóque, *compendioſiùs* juxtà, *tectiúsq*, Cæſarem depreſſum iret, vinculîs familiaritatis arctioribus *Marcum* ſibi *Craſſum* alligare; quippe, nondum omnî *Cæſarianæ ſimultatis* in pectore ſcintillâ vacuum, ac perplacatum. Acciderat autem, ut ſub idem tempus *Cæſar*, rerum omnium affluens copiâ, divéſque provinciarum ac populorum urbiúmq; ſpoliîs, in *Galliam* reverteretur *Ciſalpinam*; & in oppido *Lucâ*, conventuum agendorum cauſsâ, verſaretur. Eum *Cæſar* in locum, (ut in Julio Suetonius ait), *extractos Craſſum Pompejúmque, perpulit; ut, detrudendi* Lucii *Domitii cauſsâ* (Cæſaris hic inimicus, in prætura, nominis ei delationem intentârat, ac tum Conſulatum petebat) *conſulatum alterum* ipſi *peterent: &, ut eorum dein* operâ beneficiôque *ſibi* Galliarum bellicum *imperium, in Quinquennium* alterum *propagaretur*. Hæc aliquantô ſeciùs, & tamen exactiùs particulariúſque, *Dio Caſſius*, & *Appianus Alexandrinus*, memorant; omnium tamen accuratiſſimè ſimùl, ac ſimpliciſſimè, *Plutarchus* in Pompejo: *Divitiîs, & auro Gallicano, differtum Cæſarem, opes, bellîs tranſalpinîs corraſas, ingentes, primò miſiſſe Romam: ibique muneribus, & omnis generis ſumptuum ſuppeditatione, magiſtratuum*

tuum curulium, aliarúmq; poteſtatum, candidatos, quin & ipſos inſuper, in ædilitate, præturâ, Conſulatúq; jam conſtitutos, Optimates, (dum eorum etiam uxoribus dona miſſitat), ſuas ad partes pertraxiſſe. Subdit *Plutarchus*; Factum eſſe compendiô *largitionum* ejus, & alterius cujuſq; generis; uti, cùm, in Ciſalpinam (ut dixi) Galliam tranſgreſſus, *Cæſar* Lucenſibus in hibernis ageret, ingens ad ipſum, non *virorum* modò, ſed *fœminarum* quoque, numerus *Româ* certatim, ac multos per dies, excurreret: *gratulantium* ſimùl, & *gratias agentium*, ceu, non felici minùs, quàm publicè privatímq; munifico, legionum Romanarũ imperatori. Cæterùm, inter eos, (inquit) qui, ſalutandi *Cæſaris* cauſsâ, Lucam tunc undiq; confluebant, non ſolùm Sardiniæ Prætor *Appius*, & *Metellus Nepos* Hiſpaniæ Proconſul, ac Proconſulum inſuper, & Prætorum aliorum multitudo fuit, tam ingens, ut ampliùs *centum* ac *viginti* ſubinde faſces pro foribus *Cæſaris* apparerent: ſed *Senatores* etiam, haud pauciores *ducentîs*, eum frequentabant; &, eorũ in numero, *Craſſus* etiam, (ut dictũ) ac *Pompejus*. Horum omniũ, cæteros quidem Cæſar, partim nummîs, partímque nummorum largioribus promiſsîs, impletos, ad urbem remiſit. Cum

Pompejo verò,*Craſſóque*, conſilium ſeorſum iniit; in quo, non tam *Cæſar* eos *compulit*, (ut *Suetonius* prodidit), quàm potiùs, *tribus bis pariter placuit*: ut *Pompejus* & *Craſſus* Conſulatum in annum ſequentem, ſi per æmulos liceret, inirent; ſi minùs liceret, *per vim* invaderent: eâ tamen pactione; *ne, dignitatis Cæſaris inter hæc immemores, cunctarentur, quàm primùm, non in Triennium ſolùm* (quod Dio principiò procuratum à Pompejo Craſsóque, jam Conſulibus, tradidit) *ſed in Quinquennium Alterum, Imperium ei Galliæ Provinciæ prorogandum curare. Cæſar autem, magnâ militum multitudine, ductu Publii Craſſi, Marci Filii, Romam ad Comitia Conſularia miſſâ; populi ſuffragia tabellîs eorum ac ſtudiis augeret: Craſſus, & Pompejus, L. Domitio competitore ſubmotô, Conſules deſignarentur. deſignati verò, continuò repulsîs, ſi qui votorum ſuorum obicem interjicere conarentur, per eos omnes, quos ſui ſtudioſos ſentirent, provincias, legiones, ſtipendia, ſibi conficerent: ut eô nervoſiùs alteros alteri, potentiæ viriúmq; ſuarum incrementîs, confirmarẽt*. Nec aliter, ac pacta tunc mutua tulerant, evenêre belli foríq; negotia. Refecti Conſules, *Cn. Pompejus*, ac *Marcus Licinius Craſſus*: dejectus exſpectatione cõpetitor, *L. Domitius*,

tius, haud ſinè pueri, laternam ad concionem ei præferentis, cæde: repulſus à Prætura, quam è commodi publici rationibus petebat, Marcus Cato; cùm ei *Publ. Vatinius* anteferretur à populo: quem ad id Pompeji fraus induxerat; ne prava futuri Conſulatûs ejus molimina *Cato* turbaret. Cæſari ſimul IN TRIENNIUM (nam *Dio Caſſius*, SIC REVERA ſcriptum REPERIRI, dicit: *Livius* autem, quantus quidem adhuc ſuperſtes eſt, & cum *Appiano Plutarchus*, ALIUD IN QUINQUENNIUM, ajunt) prorogatum eſt Gallicanarum legionum imperium: ità tamen, ut priùs Legem *Ca. Trebonius*, Tribunus plebis, ferret; utì *Marco Craſſo* Syria cum Parthis, Africa verò *Cn. Pompejo*, cum Hiſpaniis ambabus, & quatuor legionum exercitu, decernerentur. Quam *Trebonius* legem non tulit modò, ſed & *pertulit*: rerum talium plerisq; per vim, armorúmq; tumultum, geſtîs, & ad ambitioſorum hominum votum perductîs. Quo titulô malè, præſertim à *Marco Catone Marcellinóque*, quin & ab optimo quôque, *Pompejus* audiens; acriter in concionibus ab utroque, nec præter meritum, perſtringebatur: ut, qui, ſe quondam provehentibus ingratus, per quot Scelera cum Craſ-

ſo potentiam Conſularem quæſiſſet, per totidem eandem, non ſinè pernicie publicâ, geſturus eſſet. Et in *Craſſi* quidem fatis prænuntiandîs, haud ità multò pòſt, nec *Catonem* & *Marcellinum* quidquam, nec alios, futurorum pavidos, fefellit. Is enim, omiſsâ Conſulatûs illius adminiſtratione, totâque Pompejo *tractandâ* relictâ, profectus cum legionibus ſuis in Orientem, inter publicas & unanimes *Tribunorum-plebis* exſecrationes, Româ diſceſſit; nec *populi* voces in ullâ re, nec *Dei*, moratus: quibus, conſcientiâ quoque ſimùl reclamante, monebatur, abſtinere manum à *Parthis*, (quippe, qui nihildum Romanæ tranquillitati turbarum objeciſſent) ſinè cauſſa laceſſendîs. Quæ cùm nec in animum, nec in aures, niſi contemptim, *Craſſus* admitteret: tertiô pòſt annô, cum filio *Publio*, Parthorum (quorum regis, *Arſacæ*, pacificas conditiones, ac legatos, rejecerat), ferrô ſagittiſq; ſuperobrutus; victoriam, legiones, ſigna militaria pleraq; vitam demum ipſam, & abſciſſum cum brachio caput, amiſit. Cujus exercitûs univerſi, nominatímq; *legionum ſeptem*, & *equitatûs*, armaturæq; levioris, *octo* propemodum *millium*, parte maximâ cæsâ, reliquîſque profligatis, è cen-

è centum millibus, in *Syriam* vix *decem millia*, fugâ trepidâ, redierunt.

Pompejus autem, inter hæc, è partu *Juliâ* conjuge, filiâ *Cæſaris*, amiſsâ; cùm, haud antè multò, magnificentiſſimîs ludorum ſpectaculîs editîs, extructum à ſe theatrum *lapideum* dedicâſſet: *amatorem* ſe *plebis*, *cultorémque Senatûs*, exhibebat; *comitate*, *ſeu Verâ, ſeu Fictâ*, (quod Appianus ait) *amabilis*. Ex quo verò *Julia*, (quam vir unicè, mutuâq; charitate, dilexerat), mortem obiit; *Pompeji* qualiſcunq; quondam erga *Cæſarem* animus, ac ſtudium, refrigeſcere paullatim cœpit: *odiúmq;*, quod is ex æmulâ glorię contẽtione, propter immodicè florentes ejus in Gallia Britanniâque res, conceperat, utcunq; priùs, & aliquouſque, diſſimulatum, ſignîs jam manifeſtioribus aperuit ſe; nequis omnium, qui modò ſaperet, dubitare poſſet, *Mortem*, quæ Juliæ *vitam* abſecuerat, affinitatis pariter, & amoris, quo connecti ſocerum generúmque decuerat, vinculum abſcidiſſe. Quod cùm *Cæſarem*, amicorum litterîs ac nuntiîs frequenter admonitum, minimè falleret: nequando, legionibus ipſe nudatus, imperióq; militarî dejectus, in *Pompeji*, cæterorúmq; malevolorum, manus, privatæ ſortis civis, incide-

ret; *Dione* teſte, jam tum animum obfirmavit, artibus, ac modîs, omnibus exercitum retinere.

Fiebant inter hæc Romæ, ſub annum, ab Urbe conditâ, quater milleſimum ſecundum, perturbatâ ſenſim magis magíſq; Republicâ, digladiationes ac cædes, pæne quotidianæ. quarum ad numerum acceſſerat, ad decimum quartum Calend. Februarias, impudiciſſimi Romanorum omnium, teterrimíque, *Clodii*, manu *Milonis* trucidati, famoſus interitus. Quę cædes, quòd in ipſa (ſic enim caſus tulerat) Appiâ Viâ, majorúmq; Clodii monimentîs, patrata fuerat; tantò majorem interfectori ſuſcitârat invidiam. Eáque protinus, vires, & incrementum, ex eo cepit: quòd, cùm *Clodii* cadaver, in urbem delatum, diu ſpectaculo multitudini concurrenti fuiſſet; pleroſque quidem facinoris ejus approbatores haberet: non paucos autem, & crimini rem *Miloni* dantes. Inter diverſa verò ſpectantium ſenſa, deportatū tandem in *Curiam Hoſtiliam* monſtrum morticínū eſt: ibíque, congerentibus materiem, ac proximîs è tabernis ſubſellia, petulantiſſimîs quibuſvis è fæce plebis, cum ipſa pariter *Curia*, nonnullîsq; privatîs, quæ contiguæ fuerant, ædibus,

dibus, eſt exuſtum: cùm interim ii, qui flam-
mam injecerant, in ipſo fori medio comiſſa-
rentur, horâ diei jam nonâ; Curiæq; buſto tum
vel maximè fumante. *Miloni* porrò, *Quæſtio-
ne de Vi* conſtitutâ, *dicta dies*, nec tamen ſatis
proſperâ, per Ciceronem, facundiâ, *dicta cauſſa*;
vertit in perniciem. Ei namque, qui ſedebant
in eum, *Judices*, exilii pœnam indixerunt; armo-
rum inprimis metu, quibus, tam Judices, quàm
Reum, ac patronum Rei, *Cn. Pompejus* circum-
dederat. Hic enim, iîs talibus agitatâ moti-
bus pace publicâ, Marcô Bibulô, Patribúſque
Conſcriptis univerſîs, adnitentibus, etiam tum,
& nempe *tertiùm* jam, Conſul, íſque *Solus*, eſ-
ſe juſſus erat. Et *Conſulem* quidem Optima-
tes *Pompejum* refecerant; ut hic eum potiùs
magiſtratum repeteret, quàm *Dictaturam* (cu-
jus cupiditate flagrare clam, exiſtimabatur)
capeſſeret: *Solum* autem, & ſinè Collega tunc,
Conſulem; ne cum eo *C. Cæſar* Conſulatum api-
ſceretur, ad quem is, *abſens* etiam, & in Galliis
adhuc agens, aſpirabat: ſi modò, Senatûs Po-
pulíq; permiſſu, rationem abſentis haberi con-
tigiſſet. Id, quod extortum, nec à legibus ad-
huc, nec, ab obſiſtentibus ei rei, Cæſaris adver-
ſariis, erat. Ac *Milo* quidem, cædis conde-

mnatus, *Maſſiliam* abierat exulatum: *Cæſarem* autem, Milonis cæteroquin exiliô palàm exultantem, tamē interim, in *Pompejum* jam tertiùm congeſtus, faſcium honor urebat. Cujus proinde dolor ut aliquantò lenior, & vulgò minùs invidioſus, eſſet: providendum aliquâ ſibi ratione fraudulentâ, *Pompejus* exiſtimavit. Cùm igitur in *Juliæ* defunctæ locum *Corneliam*, Publii Craſſi morte nuper viduam effectam, ſibi conjunxiſſet; ac ſub hæc, in poſtremos *quinque* Conſulatûs ſui *menſes*, ſocerum ſuum recentem, *Q. Cæcilium Metellum Pium*, Scipionis Naſicæ filium genuinum, Metelli verò Pii filium adoptivum, ſibi *Collegam* aſciviſſet: ne tamen Cæſar interim, velut abs ſe penitùs neglectus, in furias ageretur; ejus, in veteri dignitate retinendi, curam novam, inſtabilitate mirabili, ſuſcepit. Cùm igitur *Legem* tuliſſet, in hoc *tertio* ſuo *Conſulatu* (quod Appianus tradit), quâ licitum eſſet, repetere rationem actorum ab iis, qui magiſtratus, à *ſecundo* ſaltem *Conſulatu* Pompejano, geſſiſſent: cùm alias item leges, quæ *De non adminiſtrandis Provinciis*, & *de Comitiis* erant, innovatas, hac ferè verborum formâ confirmâſſet; *Ne, qui Magiſtratus in urbe geſſiſſent, poſtea, priuſquam quintus exiſſet annus, pro-*

provincias exteras ſortirentur: Néve ratio poſtbac eorum haberetur, qui Conſulatum abſentes peterent, aut in poſterum eſſent petituri: Pompejus in hunc modum *Cæſaris* ſupremam offenſionem antevertit. Intelligebat hic primùm; *amicorum* interpoſitâ curâ diligentiâque, *Tribunorum-plebis, illius anni*, benevolentiam ſtudiúmq; *Cæſari* quæri, ſolertiâq; magnâ conciliari: quò procederent ei vota ſua, novîs eorum pro *Cæſare* rogationibus, ac legibus *ferendis*; aut, ſiquæ latę quondam contra commodum ipſius eſſent, *antiquandîs*. Iiſdem igitur & ipſe *Pompejus* (ne fortè contra torrentem, ac fruſtra, niti velle, videretur, ſi diſcors eſſe perſeveraret), aſſentiri cōſtituit. Videbat deinde, quod in *Lege, De Provinciis*, ipſe prǫſcripſiſſet, & in aliis, ne fieret, urgere ſoleret; idem ipſum ſe peccare: quippe, qui vel maximè tunc, *tertiùm jam Conſul*, eodem ipſo tamen Conſulatûs illius annô, prorogandum ſibi curâſſet Hiſpaniarum imperium; & legiones, in *aliud Quinquennium* (ηη): cum annuo ducenties quadragies ſeſtertiûm (ϑϑ) ſtipendiô; quod ex ærario ſibi penderetur. *Legem* præterea, *De ſubmovendis à petitione magiſtratuum* curulium *abſentibus*, in *Cæſare* ſe violaturum; ſi, poſtulanti (quod *Cæſar* jam facie-

ciebat) *privilegium*, ipſe quoque,(quod facere meditabatur) ei, contra pręſcriptum, ac plebiſcitum, indulgeret. Quocirca *Pompeji*, ne *Cæſar* in ipſum totis tunc potentiæ ſuę Gallicanæ viribus incurreret, impudentia tanta fuit: ut non ſolùm Tribunos plebis *Decem*, hoc eſt, *Omnes*, pro *Cæſaris* parte commodísq; laborantes, amicè ferret; ſed eos etiam ipſe (quod *Dio Caßius* affirmat) *induceret*, ad ferendam, & populum, ad jubendam *legem*, quæ Cęſaris abſentis haberi rationem, in petēdo Conſulatu, permittebat: ne ſcilicet hic, privatus paullò pòſt futurus, interrogari, de geſtis ab altero Pompeji conſulatu, poſſet: &, ut utrâq; Legum illarum, (putà, tam eâ, quæ *de Provinciis*, quàm illâ, quę *de Comitiis*, erat) ſeipſum, *ac Cæſarem*, exſolveret. Ut autem id fieret; opus ingeniô, ſedulitatéque tectâ, fuit. *Pompejus* enim, cùm *Tribunorum* operâ perfeciſſet, ut *Cæſari*, quamvis *abſenti*, ſupremi magiſtratûs aditus *Plebiſcitô* pateret; poſtea demum *Legem de Comitiis*, & *Jure Magiſtratuum*, quâ depellebantur ab honorum petitionibus *abſentes*, ex antiquo reduxerat, atq; reparârat: & mox, inciſam æri, detulerat (uti vetus inſtitutum exigebat) in *Ærarium*; oblitus interim, in ejuſdem illius *Legis*

Comi-

Comitialis verbîs *excipere nominatim*, *abſentem* adhuc Reipublicæ cauſsâ, *Cæſarem.* Errore verò poſtea deprehensô, tum demum adjecit Legi: *Solis tamen illis*, *quamvis abſentibus*, *petere Conſulatum licere*; *quibus id nominatim ac ſignatè permitteretur*: nullîsq; verborum immiſtîs tenebrîs, *ſufficienter Cæſarem expreſſerat*; ſicut & in *Privilegio* Tribunipl. *Decem* initiô jam fecerant, addentes ad Legis Comitialis verba, rurſus in memoriam populo redacta: *Cajo Julio Cæſare tamen exceptô*; *quippe*, *cujus imperium*, & *exercitus*, *apud Gallias*, *non niſi cum emolumento Reipubl. maximô*, *verſetur*: *quiq*; *propterea*, *rebus ſummîs*, *tot per annos*, *præclarè geſtîs*, *promeritus ſit*; *cui*, *petituro Conſulatum Alterum*, *is honos*, *etiam Abſenti*, *pateat*. Omnis tamen illa *Legis*, Ærario jam illatæ, *correctio*, citra *Plebiſcitum novũ* (præterquam decuerat) tranſacta fuit. Et hinc enatus eſt ille poſtea *Marci Claudii Marcelli*, *Conſulis*, adversùs *Cæſarem*, contentionis aculeus, opponentis; Pompejum, *correctione Legis* illius, quam, *Plebiſcitô* firmatam, *ærario* ſemel intuliſſet, *obrogare* Legi (ſicut Suetonius in Julio tradit), *ſinè novo Plebiſcitô*, nequiviſſe.

Pertinet autem, ad hoc idem *Legum* latarum, & confirmatarum, *tempus*, è diverſo, *Cæſaris*,

ris, ad Senatum poſtea Romanum, querela, primô *belli Civilis* librô, non ſinè pondere verborum, expreſſa; cùm expoſtulat: *Exſpectatô legitimô tempore* (quod, extra legem Pompeji de Jure Magiſtratuum renovatam, alioqui *Decennii* fuiſſe, Ciacconius ait: intrà quod, nefas fuerit, eundem magiſtratum ab eodem iterari) *contentum eo ſe fuiſſe, quod omnibus civibus pateret. latum ab Decem Tribunis plebis, (contradicentibus licèt inimicis), ut haberetur abſentis ſui ratio. quódque querelæ caput ſit; ipſo Conſule Pompejo conſcio, præſentéque, legem eam, in ſuî gratiam commodúmque, fuiſſe perrogatam. quam Pompejus rogationem ſi tunc improbâſſet, Cur ferri paſſus eſſet? Sin ratam habuiſſet; cur ſe poſtmodo populi beneficiò prohibuiſſet uti?*

Sunt igitur hæc, quæ nunc, & paullò quoq; ſuperiùs, adduxi, prima *Belli Civilis* Pompejani Cæſarianíq; ſemina. Quæ, tametſi non paucis in rebus aliter, alitérque, nec parùm inter ſe diſſonis rerum geſtarum expoſitionibus, diverſi referant, Romani pariter, ac Græci, vetuſtatis Scriptores; nominatim verò, *Cæſar* ipſe, *Tranquillus*, *Plutarchus*, *Appianus*, *Dio Caſſius*, & alii: vix alio tamen commodiore modô videntur in concordiam poſſe redigi, quàm eô, quem

quem adſtruxi; contentus tamen, & gratè laturus, abs quovis, acutiore talium conciliatore, clariorem in viam deduci.

Sed, quid faceret, ſeu *præſens*, ſeu *foris*, & extra Romam agens, *Cæſar*; quantumvis eum ab honoribus capiendis Lex non arceret: ſi tamen inter hæc, *Conſulatûs Candidatum*, privatâ jam in conditione conſtitutum, inimicorum exagitaret acerbitas, & invidia? Nimirum, *Reum* priùs, quàm *Conſulem*, facerent; ſi ſeſe Cæſar *privatum* illis, & *armîs* legionibúsq; *nudatum*, offerret. Quod ergo ſupererat, & in quod ſemper intentum animum geſſerat; poſt pacatas jam licèt Gallias; poſt octingenta capta, per vim aut deditionē, oppida; poſt populos trecentos Romanam ſub ditionem compulſos; poſt hoſtium mille millia contrucidata: tanquam eæ tamen regiones adhuc bellîs, vel arderent, vel ſcintillarent; *Cæſar*, & per *litteras*, & per ſubmiſſos è Galliis *magiſtratuum corruptores*, ac Romæ deniq;, per *amicos*, id omnibus agebat opibus, ac viribus: uti ſibi tantiſper, dum *Iterum-Conſul* renuntiaretur, imperium prorogaretur, in Gallia; ſi non *utrâque*, ſaltem tamen (quod *Appianus* tradit) in *Citeriore*. Quod *Cæſar*, (ut ſæpe jam dictum eſt, dicendúm-

dúmq; ſæpiùs, apud immemores, eſſet) agebat: ne *privatus* unquam, & *unus è grege civium*, aſpiceretur; foro poſthac, & tribunalibus, Legúmq; ſanctionibus, obnoxius. Idq́; *Cæſaris* tam ambitioſum ſagáxq; conſilium, jam *Alterũ* erat *Belli Civilis* Pompejani *ſemen:* quod in horridam gladiorum *ſegetem*, capitúmque Romanorum cruentam *meſſem*, apud Pharsálum tandem, rerum ordine, quem nunc evolvemus, *excrevit.*

XVIII. Illuxerat annus, ab Urbe Condita, *Septingenteſimus*, & *alter*; Dionis Caſſii Latinis tranſlatoribus *Tertius.* Is *Conſulem* habuit, *Servium Sulpitium Lemonia* (A) *Rufum*, Juris ſciẽtiâ clariſſimum; ad quem datus extat M. Tull. Ciceronis *Epiſtolarum* ad *Familiares* Liber Quartus: *Poſthumiæ*, quam (ut alibi quoq; memoratum eſt) *Cæſar*, ut & alias præterea complures, adulteravit, *maritum*; Cæſarisq; perquã ſtudioſum. Collega verò Sulpitii, *Marcus* fuit *Claudius Marcellus*, Marci filius; *Cæſari* multùm infenſus. Hic igitur, *odiô* pariter hominis, & *amore legum*, ſtimulantibus animoſum pectus, ut primùm ingreſſus magiſtratum eſt; ad imminuendam *Cæſaris* potentiam, *Reipublicæ* jam magis magíſque *formidabilem* effectam, in omnes intentus occaſiones, primò quidem *No-*

voco-

vocomenſem quendam, quem cum colonis omnibus, *Novocómum* Lege *Vatiniâ* deductîs, civitate *Cæſar* donârat, in contumeliam *Cæſaris* publicè cædi virgîs juſſit: adjectîs inſuper, inſultantibus cæſo, verbîs; *Iret nunc, & vibices Patrono ſuo monſtraret!* Poſt hęc, ad *Senatum* etiam referre cœpit: *ut, quia, bellô Gallicanô jam patratô, quies illic & otium eſſet, nec non tempus, victoris exercitûs aliquando dimittendi; ſuccederetur tandem Cæſari, priùs etiam, quàm ejus imperii militaris tempus exiret.* Hujus *temporis*, Cæſar, & *amici*, reſtare jactabant, annum adhuc unum, ac ſupremum. eúmque propterea Cęſari, quoad is quoq; ſuum ad finem decurreret, deberi, contendebant. Alia potiùs omnia ſentiebat, & diſputabat, Marcellus. &, quoniam *Pompejus* ei *Plebiſcitô*, quo removebantur à petitione magiſtratuum *abſentes*, privatim poſtea *Cæſarem*, citra populi (ſicut ſuperiùs dictum eſt) auctoritatem, eximendo, ſuum detrahere pondus ac vigorem nequiviſſet: urgebat, ne *Cæſar*, niſi *præſens*, adeóque dimiſsîs priùs copîis in ordinem redactus, ad petitionem Conſulatûs admitteretur. Huic autem Conſulis *Marcelli* relationi ſeſe nonnulli *Tribunorum-plebis* opponebant: & ipſe quoque Conſulis col-

lega, *Sulpitius*; cui diſplicebat, & *iniquum videbatur, abrogari cuiquam Imperium, imperii legitimo tempore* (ſicut ipſe loquebatur) *necdum exactô: cùm imperatoris nullum extaret delictum*. Id ipſum verò longè moleſtiùs caſurũ, intelligebant, *Cæſari*, quotquot partibus ejus Romę ſtudebant: quippe, cui jam olim grave, periculiq; pleniſſimum futurum, appareret; ſi, vel *ſpontè* demum depoſitis, vel *per vim* ademptis, Provinciis, reverti *Romam* cogeretur, par cæteris ibi futurus, & inimicorum ſuorum inſectationibus expoſitus. Id igitur, ut ſemper antehac, in animum ſuum altè demiſſum, tunc altiùs multò fixiúſque retinebat: *Aut nunquam ſinè magiſtratu ſummô ſuis ſeſe committere civibus: aut ſinè legionibus extra Romam nuſquam agere. Quorum alterutrum proinde, ſi, volente Senatu, non impetraret; at invitô tamen ſe perrupturum.* Quocirca ferunt, aut ipſiúſmet *Cæſaris*, (cùm hæc ei ſuorum adverſariorum durities in caſtris referretur), aut certè *Centurionis* ejus, ante Curiam ſtantis, & hanc Optimatium adversùs *Cæſarem* contumaciam audientis, trucem à circumſtantibus exceptam eſſe vocem. Clamantibus enim adverſariis Cæſaris, *Neutrum ſe facturos eorum, quæ* Cæſar *poſtularet*; ad gladii capulum

pulum admotâ dextrâ, ſucclamâſſe ferociter; HIC ERGO FACIET! (*u*)

At *Pompejus* interim, qui tunc foris *ad Vrbem* erat cum copiis ſuîs, in Hiſpaniam ducendîs; ſimulabat, (*Dione* teſte) *non minùs ſibi quoque diſplicere, quod Tribunis plebis, ac Sulpitio Conſuli, quæcunque Marcellus, ejúſque partibus addicti, contra Cæſaris rem & commoda molirentur*. Id igitur agebat, ut, cum Imperio legionibúsq; *Cæſari* tantiſper eſſe, concederetur; donec ejus, quod *Cæſarianis* in ore ſemper erat, *Decennii* ſupremum etiam, & ſcilicet exiguum adhuc, tempus evolveretur. *Tunc autem, depoſitis Cæſar armis, ad privatam vitæ conditionem, Romámque, reverteretur*. Inter eam ipſam verò mentis, quaſi *Cæſari* faventis, ſimulationem, ſummîs *Pompejus*, & ſuîs, & amicorum, opibus ad *Conſulatum* evehebat *Lucium Æmilium Paullum*, & *Cajum Claudium Marcellum*, *Caji filium*, *Marci Claudii Marcelli*, ſuperioris anni *Conſulis*, fratrem patruelem (*x x*). *Curionem* autem, ingentis ac violentæ facundiæ Juvenem, *ad Tribunatum plebis* extollebat: omnes hos, *Cæſari* plurimùm infenſos, & *Mar. Marcelli* cœpta protruſuros. Antevertit autem horum, (quoad potuit) adverſùm ſe, conatus *Cæſar*. Is, qui

jam olim in animum ſuum induxiſſet, omnes adverſæ partis mortales, largitionibus expugnatos, ſuam ad factionem traducere; *Claudium* quidem *Marcellum* Conſulem, patruele *Marco* non mobiliorem, & ſcilicet *pecuniis inexpugnabilem*, invênit. *Æmilium* verò *Paullum*, Claudii Collegam, manu militum, quos è Gallia Romam mittebat, deportatis ad eum *mille quingentis* argenti *talentis* (quorum impendio Paullus deinde *baſilicam*, à ſe nominatam, conſtruxit) ad partes ſuas attraxit eatenus; *ne contrà ſe ſentiret, aut aliquid, commodis ſuis alienum, decerneret*. In anteceſſum quoq; *Marcum Antonium*, paullò pòſt *Tribunum-plebis* futurum, & alienô jam tum ære multô circumſeſſum, emercatus eſt; nominibus ejus diſſolutis. *Ca.* verò *Curionem*, omnibus rei domeſticæ neceſſitudinibus circumcluſum, tantùmq; non *animæ debitorē*, ad eum aliquātò majore, quàm ad *Æmilium Conſulem*, nummorum acervô miſsô, tam arctè demum rationibus ſuis adſtrinxit: ut hic, *Se propugnatorem* etiam *Cæſarianæ dignitatis & cauſſæ futurū eſſe*, fidem ei daret. Hos igitur, alióſq; præterea cōplures, partim ex *alienioribus* à ſe quondā, partim etiam ex *infeſtiſſimis*, adeò ſibi reddidit *amicos* Cæſar; ut, deſerta

Rei-

Reipublicæ cauſsâ,patriæ Libertatem poſt ſua quiſq; commoda poneret: & alius quidem ſilentiô deinceps, alius turbulentîs Interceſſionibus, aut in Legum injuriam venalî linguâ, converſîſque contrariam in partem concionum ſuarum velîs, bene quondam partam, diúque fortiter retentam, Majorum ſuorum gloriam, unius hominis ambitioni proſtituere, non formidarent. Hoc igitur nimirum, ad *id uſque temporis Invicto*, Quiritium populo reſtabat fatum: *ut ab Romanis Gallia ſuperaretur*; *ab Auro Gallicano, Romani! Jus, à Cæſare ſubigeretur*; *ab Ambitione, Cæſar!*

XIX. At *Pompejus*, inter hæc, in ordinem redigi *Cæſarem* modîs omnibus, (tametſi clandeſtinîs) cupiens; *Marcellis duobus*, & *Optimatium* cæteris, adversùs *Cæſarem* ſtantibus, immotus adhærebat. Isq;, non contentus, eouſque temporis cum exercitu, circùm Urbem, ac per agros Latii ſparsô, quàm proximè Romanis mœnibus aſſidere: profectionẽ inſuper in Hiſpanias (quò tamen jam legatos ſuos, *Marcum Petrejum*, ac *Lucium Afranium*, præmiſerat), ſeu *verè* meditatam, ſeu *falsò* tantiſper adornatam, ſtudiosè differebat: ut, ſiquid fortè *Cæſar* adversùs ſe, Rempublicámque, moliretur; ipſe,

ipſe, non imparatus, in tempore locôque, vim vi repellens, occurreret. Immò, quò *Cæſaris* utcunque copiæ minuerentur; ipſius autem è diverſo confirmarentur, & creſcerent: per cauſſam profligandi belli *Parthici*, quod in Syria *Marcus Calphurnius* Bibulus, & partim in Cilicia *Marc. Tullius Cicero*, Proconſules, adminiſtrabant, decretô Senatûs effecerat *Pompejus*: uti *Cæſar* è Galliis ad Urbem ſinè mora *legiones duas*, tanquam in *Syriam* ituras, mitteret quarum alteram de ſuis *Cæſar* ſubminiſtrabat alteram, à Pompejo quondam (adhuc amiciore) commodatò ſibi præbitam, tunc abs ſe repoſcenti reſtituebat. Utramque tamen Legionum illarum *Pompejus* poſtea, (perinde, ceu clementiores, de *Parthicis* armis, rumores allati, neceſſitatem expeditionis *Syriacæ* mitigâſſent) dolosè, nec ſinè nova *Cæſaris* irritatione retinuit; ac ſuis, quas ad Urbem habebat, legionibus adjunxit. In hunc ergo modum dum vafrè *Pompejus* exercitum ſuum confirmat: occaſionem cauſſámq; *Cæſari* præbuit, ut & hic palâm in Galliis novô conſcripto milite, legiones ſuas ſuppleret, ac ſpiſſaret: ne viribus æmuli ſui plus nimiô reperiretur inferior. Ac *Pompejus* quidem, ſummâ, tum Senatûs, tum alio-

aliorum, res Cæſaris impugnantium, voluntate, cum exercitu perſiſtebat ad urbem; præ ſe ferens interim, (ſed promptitudine ſimulatâ): *Si ſic Reipublicæ rationes exigerent, paratum eſſe ſe, vel copias omnes dimittere; vel ad Hiſpanienſes exercitus actutum proficiſci*. Cæſar autem, cui fidem hæc *Pompeji* ſimulatio nullam, aut lubricam, faciebat; apertè demonſtrabat, Se, ne quidem poſt exactum imperii legitimum tempus, ab armis ac legionibus eſſe diſceſſurum: niſi *Conſul* ipſe priùs, quamvis abſens, renuntiaretur. Neque deerant, qui novîs, etiam tum, delectibus exercitum illius, propemodum in dies, augerent. Præterea, dum inter hæc & *Lucius Piſo, Cenſor*, (cujus filiam Cæſar, *Calpurniam* habebat in matrimonio) generi cauſſam, ſtudiô ſaltem ſilentiôq; ſuô, fovet; contrarius huic, *Appius Pulcher*, ejus in *Cenſura* collega, vetere revocatô ſeveritatis exemplô, libertinos univerſos, ac quàm plurimos etiam equeſtris patriciæq; nobilitatis, probri compertos, *Senatu* movebat: quorum in numero *Criſpus* quoq; *Salluſtius* fuit, *hiſtoriarum* notiſſimus ille conſcriptor. Ex eo fiebat, ut mox omnes facilè, quos Appianæ Cenſuræ rigor ſtigmoſos effecerat, relictîs *Optimatium* ac *Pompeji* partibus,

ad *Cæſaris* ſeſe cauſſam, partim infamiæ contractæ dolore, pars & novarum cupiditate rerum, adjungerent. Horum ergo multitudine, ſimúlq; plebis in ſe, *Cæſarémq;*, propenſis ſtudiis, animoſior quotidie factus *C. Curio*, quem dixi, *Tribunus plebis*, qui Cenſoris *Appii* rigorem etiam ipſe vix evitârat: *Cæſaris* omne votum, ſed aſtutè ſub initium, ac poſtea quoq; diu fallens, ad deſtinata promovebat. Primùm omnium enim, cùm eſſet (ut *Dio* ſcribit) ortu nobilî, prætereáq; *Pontifex*, ac *Tribunus-plebis*, & ob *eloquentiam*, agendíq; libertatem, adeò populo charus, ut eum ſubinde, redeuntem ac deductum è concione, *floribus* aſpergerent: tantam inſuper, etiam poſt acceptam jam, quâ corruptus fuerat, pecuniam, *Cæſaris* præ ſe ferebat exſecrationem, & odium; ut *Inimiciſſimorum* illius ferre primas crederetur: cúmque *Cæſaris-Inimicorum-Principis* titulum, ultrò ſibi (ſed præmonitô clam *Cæſare*) vendicaret. Quibus proinde rebus factum eſt: ut è *Cæſaris* adverſariis arcana conſilia compluria, (quaſi datâ ſic & acceptâ taciturnitatis fide) *Curio* ſimulator exſculperet, unde *Cæſar* deinde, quid, & quos, cavere deberet, per litteras & internuntios intelligebat. *Curionis* porrò, *quaſi publice*

blicæ Salutis ſtudioſioris, perſonatus hic contẽtionis ardor eò tandem evaſit: ut, quoniam etiã proximè ſequentis anni *Conſules*, ex quo primùm tempore *deſignati* fuerant, *Cæſarem* acerrimè premere, *Pompejum* verò fovere, pergebant; ipſe neutri vel deeſſe videretur, vel adſtipulari. Fuère verò deſignati, poſteâque re- ipſa Conſulatum ingreſſi, *Luc. Cornelius*, *Publii Fil. Lentulus*, & *C. Claudius*, *Marci Filius*, *Marcellus*; illius *Marci Marcelli* frater germanus, qui, bienniô priùs *Conſul*, primus apertè *Cæſarẽ* agitare fuerat auſus tutelâ Juris, ac Legũ, adverſùs ambitionem ejus. Et apud hos igitur, & apud anni tunc prę́ſentis, Conſules, *Curio* contẽdebat: ut, quandoquidem in id, annorum jam *Trium* continentium pleriq; *Conſules*, totis viribus incumberent, utì *Succeſſor* Cæſari mitteretur; *Pompejus* itidem, in Hiſpaniarum ſuarum imperio, vel Succeſſorem acciperet; vel (quod è Republica magis eſſet) exercitum univerſum dimitteret. Id autem, *Dionis* è ſententia, (qui, *Triennii duntaxat*, & non ad *Quinquennii*, ſpatium, *Cæſari* prorogatum Galliarum imperium *alterô* Craſſi Pompejique *Conſulatu* fuiſſe, *perſanctè* refert) *indignum erat*, vel à *Curione* contendi, vel à *Cæſare* poſtulari. *Provinciæ*

namque Cæſaris, jam tum *Servii Sulpitii*, Marciq; *Claudii Marcelli*, Conſulatu, nedum Æmiliô Paullô, Cajóq; Marcellô, vel *Luc. Corneliô Lentulô*, *Cajóq; Claudiò Marci Filiò Marcellò*, *Conſulibus*, exſpirârant. Id, quod & *Appianus* agnoſcit, altero *Civilium bellorum* volumine confeſſus; NE POST EXACTUM QUIDEM TEMPUS, DECESSISSE MAGISTRATU CÆSAREM. Ex altera verò parte, Pompeji *Quinquennium alterum*, in quod ei propagatum Hiſpaniarum imperium ipſius *Conſulatu Tertiô* fuiſſe, ſuperiùs diximus; ne dimidiâ quidem ſuî parte finitum erat. *Dio Caſſius* igitur, ne ſibi diſcors eſſet, *hiſtoriæ Romanæ* Librô quadrageſimô primo, dum Æmilii Paulli, Cajíq; Marcelli, Conſulatum concludit, conſequentiſſimè tradit; *E Gallia Cæſari jam tandem Romam fuiſſe redeundum* (ipſa Scriptoris verba refero): *quòd & eam univerſam ſub poteſtatem redegerat; & Temporis, ad quod ei permiſſum imperium fuerat, ità ratio poſtularet. Cùm enim id tempus* (addit idem auctor) *exiſſet jam, bellúmq; confectum eſſet; nulla deinceps Cæſari ſupererat honeſta cauſſa, cur recuſaret, exercitum (ad arbitrium definitionémq; Populi Romani, nec ulteriùs, ei permiſſum) dimittere: depoſitóq; tandem imperio, privatam ad ſortem ſeſe recipere.* Sic

Sic ille. quæ, *Græci* quidem geſtorum conditoris, inter auctores tamen graviſſimos non leve fidei pondus habentis, (*Dionis*, inquam) verba, placuit in medium afferri: quò tam *Cæſaris*, quàm *amicorum* ejus, & *emptæ linguæ propugnatorum*, etiam in hôc, (tametſi cætera tacerentur,) iniquitas appareret, ac poſtulatorum impudentia. Sanè, TRIENNIUM DIO (ſicut ſuprà quoq; retulimus), & NON, QUINQUENNIUM, CÆSARI FUISSE PROROGATUM, aſſeverat: IDQUE, SIC RELATUM IN ACTA PUBLICA REPERIRI, TRADIT. Quòd ſi Scriptorum cęteri quidã, quos ſuperiùs nominavi, *Quinquennem* ponant imperii Cæſariani, (non minùs, ac poſtea *Pompejanæ* poteſtatis) *prolatationem*: nimirum, ſufficienter idipſum *Quinquennium*: *Marco* poſtea *Claudio Marcello*, Conſule, contra *Servium Sulpitium Rufum*, collegam, eſt exploſum: quando vel ANTE TEMPUS (ut in Julio Tranquillus ſcribit), hoc eſt, *Ante Quinquennium*, à Cæſare ſibimet arrogatum, ſucceſſorem ei mittendum eſſe, contendebat. *Cauſſa* namq;, diutiùs in Gallia *morandi*, ſublatâ; *moram* quoq; ceſſare, tollíque, par eſſe, demonſtrabat. Non eſſe verò porrò manendi neceſſita

ſitatem ullam, ex eo demonſtrabat: QUOD, BELLO CONFECTO, (quæ verba Suetonius habet) PAX ESSET. Hoc ergo propugnatorum Cæſaris, ſeu *Scutum defenſionis* ejus, ſeu *commentum*, Marc. *Marcellus* jam ſatis retuderat; haud minùs, ac petitionem illorum, utì *Cæſaris, Conſulatum petentis, etiam in abſentia, rationem S. P. Q. R.* haberet: quando clarè dixit, *Pompejum, illâ ſuâ Legis - de Comitiis*, (de qua ſuperiùs itidem dictum eſt) *privatâ correctione, nihil derogare Legi, ſinè plebis auctoritate renovatâ, potuiſſe*. Quo pactô ſanè *Marcelli* Conſulis *Exceptionem*, adversùs poſtulata *Cæſaris*, explicandam & illuſtrandam eſſe, noſtræ tempeſtatis vir quidam eruditiſſimus, & hôc virô, paullò ſuperior annîs, ac ſcriptîs, *Iſaacus* quoque *Caſaubonus*, ſuîs in *Tranquillum* diſſertationibus, clarè demonſtrant.

Quid, quòd idem ipſum apertè ſatis, nō ſubindicat modò, ſed apertè promit, demonſtrátque, Marc. Tull. Cicero, ſuîs ad Tit. Pomponium Atticum libri ſeptimi de C. Cæſare querelîs: quibus, epiſtolâ quidem ſeptimâ, *Legis Diem tranſiiſſe*, dicit (cùm herculè *novem* anni ſoli belli Gallici tranſiiſſent; non, *Decem*): &, poſt hæc, epiſtolâ nonâ, *Cæſarem*, licèt *abſentem*, tamen

men quaſi *præſentem*, inceſſit? NAM, QUID IMPUDENTIUS? (exclamat) TENUISTI PROVINCIAM PER DECEM ANNOS (in *Decimum* ſcilicet, tunc jamjam inchoari cœptum: & certè, ſolidîs *Novem* annîs; niſi ſuum illud *imperium provinciale*, primô ſtatim ſui Conſulatûs annô, per *Legatos* ſit auſpicatus), NON A SENATU TIBI, SED A TEMETIPSO, PER VIM, ET PER FACTIONEM, DATOS. PRÆTERIIT TEMPUS LEGITIMUM, NON LEGIS, SED LIBIDINIS TUÆ. FAC TAMEN (quod equidem tibi non concedo: fac, inquam,) LEGIS! UT SUCCEDATUR, DECERNITUR. IMPEDIS: ET AIS; HABE MEI RATIONEM. HABE TU NOSTRUM. EXERCITUM HABEAS TU, DIUTIUS, QUAM POPULUS JUSSIT? habeas, INVITO SENATU?

Verba ſunt iſta *Ciceronis*. quibus auctoritatem ſuam nequaquam detrahere poſſunt illâ, quæ ponit ejuſdem libri ſextâ, quam itidem ad *Pomponium* idem dedit, epiſtolâ: quando, verbîs Græcîs, NEGAT, MAJUS UTIQUE SEQUI MALUM, SI NON RESISTATUR IMPUDENTI CÆSARIS POSTVLATIONI:

NI: QVAM, CVM QVINQVENNIVM (inquit) PROROGABAMVS; AVT CVM, VT ABSENTIS HABERETVR RATIO, FEREBAMVS. Reſtringenda namque ſunt iſta, partim *Ad hominem* (ut in *ſcholis* loquuntur), & ad *Cæſarem* adeò: qui *Quinquennium* ſemper, ac pertinaciter, urgebat; tanquam *Plebiſcito* primô datum, quod ab nova, *de Provinciis*, Lege nondum eſſet à Pompejo ſublatum. partim, explicari debent, ad *Marcelli* Conſulis ſenſum, & interpretationem.

Ex quibus omnibus liquet; bellè cum *Dionis Caſſii* mente, verbiſq;, congruere *Marci* (quem ſæpe repetimus) *Claudii Marcelli* relationis ad Senatum verba: quibus *uterque* negant; *Vllam, ulteriùs in Gallia cum exercitu manendi, Legitimam Honeſtámq; cauſſam Cæſari fuiſſe. Juſtiſſimam, è contrario, depoſito poſt tot annos imperio, privatam aliquando tandem ad conditionem redeundi*. nec, *niſi Præſenti*, Conſulatûs Alterius petitionem procedere debuiſſe. Quòd autem opponebat Cæſar, &, qui Cæſaris (utì mox dicam) cauſſæ patrocinabantur: *Tutò ſalutem ſuã ab eo privato Romæ, nec foro Judiciiſq; committi potuiſſe, nec, inſectaturis ipſum, Inimicis; utpote, quorũ è numero, Marc. præſertim Cato, creberrimè,*

nec

nec ſinè Juramento, minatus eſſet, Cæſaris ſe nomen delaturum, ut primùm legiones dimiſiſſet: Alii quoque; Se legibus eum, de præteritorum magiſtratuum Actis, interrogaturos: Quòd, inquam, id Juri, Legibus, Senatui Cæſar, cum ſuis, objectabat: id, cujuſmodi ſit, *Juris humani diviniq; Conſultis* excutiendum relinquimus. Ad nos quidem quod attinet, reſpondemus huic Cæſaris ac Cæſarianorum ſcrupulo, paucis. Aut *confiſum* cauſſæ ſuæ *Cæſarem* fuiſſe, ſi Romam *privatus* rediſſet; aut, conſcientiâ redarguente, *diffiſum*. Si rectè-factorum teſtimoniô niteretur: aut nihil illi fuiſſe *Catonis* æquitatem obfuturam; aut, ſi per nefas premeretur ab inimicis, eandem ei præſidiô potiùs fuiſſe futuram: acceſſurâ præſertim, ad defenſionis ſucceſſum, illâ quoque, pro ſe, *Cæſaris* ipſiúſmet eloquentiâ; *quæ nulli facilè temporis illius Oratorum facundiæ cedebat*. Si verò ſe *Reum* Cæſar, ad deſperationem uſque propitii cujuſcunq; tribunalis, fori, cœtûsve, deprehendiſſet; ſi nocens, de capite vel ejectione timeret: daret ſanè pœnas legibus; aut, ante Judicium, in exilium ſpontaneũ abiret, uti complures antè, póſtq; , *Cæſaris* ætatem fecerunt. *Pateretur*, imò verò, *Moreretur Vnus homo*, cùm neceſſe foret; ſi non pro *Seipſo*,

pro

pro Populo tamen,factionum (ſaltem talium) *inſonte!* priuſquam cladem *unius ſui capitis*, ſeu per *fas* inferendã ſibi, ſeu per *nefas*, totius Reipublicę *Ruinâ*,tótque millium poſtea Civium, Sociorúmq; Romani nominis, cruentìs ſtragibus,effugere tentaret:ut & fecit. *Vna* verò *Cervix*, ut ſe redimi contendat pluſquã *decies centenûm milliũ*,per Terrarum Orbem univerſum, *cervicũ* abſciſſione,quin & Imperii totius interitu; profectò pluſquam *Pretioſa* ſibi videri neceſſariò debet: & ideò,mortalitatis ſuprà faſtigium ſuperbiſſimè collocata. Sed nos, ad incepta *Curionis*, unde digreſſi ſumus, redeamus; in *viam* utiq; (ſi res ſpectetur),neque *regiam*, neque *conſularem*; ſed *violentam*,itérque *tyrannidi* præſternentem.

XX. In hoc igitur *C.Curio* (ſicuti dicere cœperam) totus, & in concionibus erat,& in curia: *Dimittendum, tam à Pompejo, quàm à Cæſare, militare provinciarum imperium: idque cauſſâ, tam publicæ quietis, ut timere Reſpublica deſineret; quàm illorum utriuſque ſecuritatis: ut,cùm uterque mutuò diffidẽtes ſibi degerent,alter ab altero, dimiſſis invicem copiis,tuti deinceps agerẽt.* Æquiſſima res Populo videbatur, in *Tribuno-plebis*, ſtudioſò Pacis;& eò potiſſimùm, qui *Cæſaris* eſſet *inimi-*

ciſſi-

viſſimus. Horum enim adhuc utrumque præ ſe *Curio*, magnô, ſed fallaciſſimô, conatu ferebat. ideóq; domum eum plebs univerſa plerumq; deducebat, fauſtîs acclamationibus exceptum: tanquam *unicum Libertatis Quietiſque publicæ cuſtodem, quique, contra potentiorum vim imperterritus, nec Pompeji gratiæ quidquam daret; & Cæſaris, quamvis Inimici, Salutem, tamen ex adverſario periclitari non pateretur.*

Id autem plauſu majore plebs agebat, poſteaquam clamare *Curio* palàm cœpit; AVT VTRVMQVE DEPELLENDVM AB IMPERIO LEGIONVM; AVT, SI RECVSARENT, VTRVMQVE REIPVBLICÆ JVDICANDOS HOSTES ESSE. Sed revera *Curio*, nec bonos providósq; *diu*, nec ad extremum plebem ipſam *perpetuò*, fallebat: uſque, poſteaquam, ejus illâ fraude minùs ſenſim minùſq; (propter pertinaciam Conſulum Optimatiúmq;) proficiente, ſeipſum aperire deniq; coactus eſt. Ergo, tanquam multîs ac magnis de cauſſis, ob rogationes quaſdam ſuas ab Reipublicæ primoribus oppugnatas, illis offenſus; conſpicuè propalámque pro Cæſare Pompejum impugnare cœpit: *Rem plenam iniquitatis fore; Cæſarem à Galliîs, & armîs, avelli:*

niſi priùs à Pompejo quoque copiîs omnibus, quibus ſuam is potentiam ſuccinxiſſet, dimiſſis. Nec enim in iîs Pompejum (ſicut is præ ſe ferret) Hiſpanias, ad obſequium redigendas; ſed, quod res ipſa quotidie demonſtraret, opprimendi Cæſaris occaſiones, ſibi propoſitas habere. Conſilium illius eſſe (quod omnes viderent): Quandoquidem, præter Cæſaris actiones provinciales, ejus inimici Conſulatum etiam illius Primum, ac res, in eo contra leges & auſpicia geſtas, calumniarentur, & inceſſerent; ut hic, ſimulac in Vrbem reverſus eſſet, extremas in difficultates implicaretur: ac nempe, revocatò Milonis exemplô, dicere cauſſam, Pompejanorum militum armato fremitu terroréq; circumſeſſus, cōpelleretur. (λλ) *Quo tempore, ſicuti Miloni Reo, ne Ciceroniana quidem facundia, fulgore gladiorum exſternata, quidquam profuiſſet; ità neq; Cæſari ſuam innocentiam, ac res præclarè geſtas, eſſe præſidio futuras.*

Quæ, taliáq; plura, cùm in Pompejum *Curio* declamaret; *Pompejus*, qui, (diſceſſuro ſimilis) etiam tum *ad Vrbem* erat, ad Senatum ſcripſit: *Promptè ſe, continuóq;, quamvis nondum exacto Quinquennii ſui ſecundi tempore, ceſſurum imperio.* Poſtea quoque, præſens, éadem Senatui própalam dixit: id inſuper adijciens, *Bellis fatigatum Cæſarem, idipſum quoque (quantum quidem*

dem ſibi conſtaret) libentiſſimè facturum, ut & ipſe Galliâ decedat. Id autem agebat Pompejus (*Appiani* teſtimoniô); non, quòd ipſe decreviſſet unquam promiſſa repræſentare: ſed, quò Cæſari, diſceſſionem recuſaturo, tantô graviorem conflaret notam, & invidiam: útque continuò Succeſſor ei mitteretur.

At *Curio*, *Pompeji* promiſſum hoc ipſum libenter amplexus, inſtabat; *Vti, ſi ſeriò, nec ficte, loqueretur, reipſa confeſtim exercitum dimitteret: priuſquam ſe Cæſar exarmaret. alioquin enim, quónam pacto ſaluti Cæſaris, paullò pòſt armis cariturí, conſultum iri: Pompejo ſemper promittente tantùm, nec tamen unquam militem imperiúmq; dimittente; ſed tum in armis, vel maximè, remorante?* Quæ cūcta, tam hinc *Curio*, quàm illinc *Pompejus*, tantò confidētiùs & dicebant, & urgebant: quòd eorum utrique, luce clarius erat, *Pompejo* quidem, *Cæſarem* obfirmatè retenturum imperium; neque locô Succeſſori ceſſurum: *Curioni* verò, *Pompejum* à legionibus ſuîs avulſum non iri. quo proinde futurum eſſet, ut tantô plures ac majores *Cæſar* habere videretur, imperii diutiùs retinendi, cauſſas. Id autem ut firmius *Cæſari* permaneret; Senatum aliquando preſſiùs adortus *Curio*, *quæſivit ad ex-*

tremum è Patribus: Vtrùmnam ambos illos imperio cedere juberent? an verò Cæſarem quoque cum exercitu remanere? Secundùm quæ, de *removendis ambobus*, Senatores Viginti duo reſponderunt, *Haud placere:* Pro *Cæſare* verò, ſicut *Curio* perurgebat, apud exercitum retinendô, Trecenti Septuaginta ſentire, non obſcurè, viſi ſunt; cùm cenſerent: *Aut utrique detrahendos exercitus; aut, ne Cæſari quidem.* Cujus Sententiæ verbîs exaſperatus Conſul, *C. Claudius Marcellus*, Senatu dimiſſô; VINCITE PROINDE, SI SIC VVLTIS (exclamat): ET IN CERVICES VESTRAS, DOMINVM ACCIPITE, CÆSAREM! Continuóque (quod *Appianus* ait) ad *Pompejum*, foris adhuc agentem ad mœnia, cum collega ſuo procurrens, gladiúmq; diſtrictum ei porrigens, *Eum pugnare, ſuîs & collegæ ſui junctîs auſpiciis, adversùs Reipublicæ perturbatorem ac prædonem, Cæſarem*, jubet.

At inter hæc *Cæſar*, è *Gallia tranſalpina* jam regreſſus in *Italiam*, ultra *Padum*; hîs cognitîs, cum adverſariis (utì *Tranquillus* quoq; tradit) paciſci per litteras, & amicos internuntios, perſeveravit: utì ſibi liceret, *dimiſſis octo legionibus, & omnî Galliâ tranſalpinâ*, retinere *legiones*

giones duas, cum *Gallia Ciſalpinâ*: vel etiam *Legionem unam*, cum *Illyrici* provinciâ, tantiſper ſaltem; dum alterum Conſulatum adepturus eſſet. *Appianus* autem, in hac ipſa, quam retuli, pactione, *Galliam Ciſalpinam*, & *Illyricum*, conjungit, cum *legionibus duabus*: nullâ *legionis unius*, cum *Illyrico* ſeorſum, mentione factâ. Neque verò multûm admodum, ab hac ipsâ Cæſarianæ pactionis conditione, *Marcus Tullius Cicero* diſcedebat: qui, ſub idem ipſum ferè tempus, è *Cilicia*, provinciâ ſuâ (quam cum duodecim millium peditatu, duorum millium, ac ſexcentorum, equitatu, Româ ſecum eductô, tenuerat) *imperator* reverſus; pacis auctor *Pompejo Cæſarique*, ſi quiſquam alius *Optimatium*, & conſtanter quidem, erat. Ut adeò nequaquam vana ſint, aut temerè glorioſa, tum illius alia paſsim in Orationibus, Epiſtolíſque, tum iſta cumprimis, ad *Tit. Pomponium Atticum* exarata, ſeptimô librô, verba. NAM IS EGO SVM, QVI, QVOD POSTVLAT, ILLI (Cæſari) CONCEDI PVTEM VTILIVS; QVAM, SIGNA CONFERRI. SERO namque RESISTIMVS EI, QVEM PER ANNOS DECEM (Conſulatu videlicet illô *Cæſaris* ſeditioſô ſimùl adnumeratô) CONTRA

 NOS

Digitized by Google

NOS ALVIMVS. Eádem autem, in quâ ſcribebat hæc, epiſtolâ, paullò ſuperiùs, PACE dixerat OPVS ESSE: QVOD, EX VICTORIA QVOQVE, CVM MVLTA MALA, TVM CERTE TYRANNIS, EXISTERET.

Pacis igitur illô, de quo dicere cœpi, ſtudiô, *Marcus Tullius*, hanc rebus turbatis *compoſitionis* conditionem propoſuit: *VTI, relictâ Galliâ, Cæſar Illyricum, duabus cum legionibus, obtineret; & alterum interea Conſulatum exſpectaret*. Cùm autem in hæc pacta difficilem ſe *Pompejus* exhiberet: perſuaſit etiam illud *Cicero* Cæſarianis in Urbe partibus, & amicis; ut & *Alteram*, è *duabus legionibus*, remitterent. Quæ tamen ipſa *Pacis* conditio, quantumvis ſplendida, támq; propinquæ ſpei, *Lucio Cornelio Lentulo*, Cos. Des., rem diſcutiente, fruſtrà fuit.

Cùm igitur à Senatu nihildum pro *Cæſare*, neque *Curionis* operâ conductitiâ, nec *amicorum* ſtudiîs, & contentionibus, impetraretur: *Curio* demùm, annô jam ad exitum properante, magnîs itineribus ad ipsúmmet ſe *Cæſarem* conferens; invénit eum, *Ravennæ*, cum *Quinque legionariorum millibus*, & *Equitibus trecentîs*, agentem. Is comiter exceptum eum, &, pro

pro navatâ ſibi Romæ, contra factionem inimicorum, operâ, gratiîs ac laudibus affectum, in conſilium adhibet. In eo conventu *Curio* magnopere ſuadebat; uti copias *Cæſar* univerſas, quas adhuc in *Tranſalpinis* haberet, advocatas, & cum *Ciſalpinis* conjunctas, *Romam* quàm primùm adduceret: eámque, nec opinatò perterritam, (vide, ſoli natalis, in homine, pecuniîs ad omne nefas emptô, charitatem!) ſuperobrueret. Sed *Cæſar*, etiam tum, *experiri verbis priùs omnia, quàm armis, honeſtius* eſſe *ſapientiúsq;*, cenſens; inſtare per amicos Romæ pergit, ac paciſci denuò jubet: *Vti duas ſibi legiones, cum Illyrico, Galliáq; Ciſalpinâ,* (μμ) *Senatus relinquat; quoad ipſe Conſul renuntietur. cæteris interim provinciîs ac legionibus omnibus, animô ſe promptiſſimò, ſucceſſoribus ab Vrbe miſſis, eſſe deceſſurum.* Id, ꝙ *Pompejo* tunc præter morem, (ut *Appianus* refert), ſufficere videbatur, intérq; tolerabilia ponendum. Verùm, etiã tum in ſententia diversâ perſiſtentibus Conſulibus; *Cæſar* tandem exaſperatus, cum datîs ad Senatum litteris, ac noviſſimîs poſtulatîs, *C. Curionem* Romam remittit. Isque, celeritate ſummâ, mille trecentîſq; ſtadiîs *triduo* confectîs, in urbem venit, ipſis *Januarii* Kalendîs. Erat is

dies anni,poſt urbem conditam, *ſeptingenteſimi quarti* (Dioni verò, *quinti*) principium: quo die,nec in eum quidem annum *Cæſaris* habitâ ratione,(cùm populus tamen,ut ipſe prædicabat,haberi,jam olim,Comitiîs proximis ſciſſet, ac juſſiſſet) magiſtratum iniêre, *Lucius Cornelius Lentulus*, & *Cajus Claudius*, *Marci filius*, *Marcellus*; *Conſules*, belli Civilis Pompejani primordiis *fatales*. His Conſulibus *Curio*, commiſſas à *Cæſare* ſibi litteras, (*vv*) non extra Senatum,ſed in ipſa *curia*,tradit: eáſque, magnâ Patrum Conſcriptorum frequentiâ, legi palàm, &, *ut ex iis ad Senatum referatur*, poſtulat. Ut *publicè recitarentur*,magnâ *Curionis*, ac duorum potiſſimùm tribunorum plebis, contentione, vix tandem impetratum eſt. *Vt* autem *ex iis ad Senatum referretur*, impetrari non potuit. Erant autem tribunorum illorum alter, *Marc. Antonius*: is,qui poſtmodum Triumvir, ac Ciceronis proſcriptor, fuit; quémq; *Cæſar* novîs donationibus (ut ſuprà meminimus) aſtrictiorem ſibi fecerat: alter verò *Quint. Caſſius Longinus*. Curionis autem *Tribunatus* quidem,pridie jam exſpirârat: nondum pariter extinctum erat, pugnandi pro dignitate *Cæſaris* inſtitutum,& ardor. In iis porrò, quas palàm reci-

recitatas eſſe dixi, litteris, *Cæſar*, poſt rerum à ſe geſtarum *magnificam*, nec fortaſſe *falſam*, enumerationem, flexit eò demum, utì ſemper antehac; *Diſcederent ab armis, qui Populi Romani legionibus præſiderent: & in his, ſignatè, Cn. Pompejus Magnus. Id ſi fieret; à copiis ſe quoque diſceſſurum. E diverſo verò, perſiſtente ſuos apud exercitus Pompejo, ſe quoque, ſuis cum copiis, arma retenturum: ne ſuis inimicis inermis ipſe conſtrictúſque traderetur.* Hìs Cæſaris poſtulatîs, hactenus perlectîs ac recitatîs, perrogatas eſſe *ſententias*, ſub initium libri quadrageſimi primi *Dio* narrat: *nec tamen à ſingulis pronuntiatas.* Id, quod equidem miror: cùm è *Cæſaris* de bello Civili commentariorum ipsô ſtatim initiô, clarum ſit (quod & nos paullò ſuprà diximus); *Vt ex litteris ad Senatum referretur, impetrari non potuiſſe.* Cùm igitur, (ut è *Dione* dicere cœpimus) *ſententiæ* ſingillatim viritímq; non pronuntiarentur in Senatu; nequis, vel verecundiâ, vel metu, repreſſus, animi ſui ſenſum reconderet, aut intricaret: diſceſſum in diverſas curiæ partes eſt. Ibi, qui *Pompejum*, tunc ad urbem etiamnum cum copiis ſuis morantem, ab armis abſtraheret; inventus eſt *nemo*: qui Cajum Cæſarem, *Omnes*; exceptô *Marco Cœlio*,

(quem Cæcilium *Dio* nominat) & *C. Curiom*, qui litteras apportârat. Poſtquam autem in iiſdem illis litteris, ad finem uſque legi juſsîs, ad ea *Cæſaris* verba ventum eſt, quibus ille minabatur, (ut Appianus ait); *Niſi pactis his ultimis aliquando tandem ſtaretur: venturum ſe confeſtim; ſed inimicorum ſuorum malô! ſuáſq; juxtà, Reipublicæq́; per eos illatas, injurias perſecuturum:* ibi tum, conclamantibus universîs, *Denuntiari manifeſtè bellum! In mora, periculum eſſe!* ſtatim *Conſules'* jubentur *operam dare*, (ξξ) NEQVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPIAT. Pompejus, cum ſuis, *Reipublicæ Propugnatores* à Senatu; Cæſariani contrà, *perduelles* & *hoſtes*, appellantur. ipſi Cæſari ſucceſſor in Galliam Ulteriorem *Luc. Domitius Ahenobarbus* mittitur. Is ſinè mora, cum recèns delectis militum quatuor millibus, ex urbe proficiſcitur: inſtructus ſeſtertiûm ſexagies, id eſt, *centenûm & quinquaginta millium coronatorum Gallicorum* ſtipendiô; quod ei *Pompejus* numerandum ex ærario curârat. At his omnibus Senatûs actionibus opponunt ſe Tribuni plebis, *Marc. Antonius*, & *Q. Caſſius Longinus.* quorum importunitate, ſimul autem & violentiâ *Curionis* accedente, factum eſt: ut nec eo Kalendarum die, neque

neque poſterò, perferri Conſulum Decretum potuerit: aut Senatûs-Conſultum ullum, adversùs *Cæſarem*, confirmari. PERSCRIPTUM nihilominus SENATUSCONSULTUM EST: UT, ANTE DIEM CERTUM, IMPERIO SE CÆSAR ABDICET. ID NI FACIAT; HOSTIS PATRIÆ JUDICETUR. Qui verò *Decreti* fuerant auctores; in cõſilium deſcenderunt, de pœnîs, audaciæ *Tribunorum* illorum, &, quotquot ex aliis obſtitiſſent Senatui, decernendîs, & irrogandîs.

His igitur, in quos ſeu *verè*, ſeu per ſimulationem, & *ad terroris exemplum*, animadverſio parabatur, *Lentulus Conſul*, clam ſevocatis, auctor erat: ut, tantæ, quæ capitibus eorum impendéret, tempeſtati declinandæ, ſpontaneâ ſeſe, maturâq;, fugâ ſubducerent. Quæ cùm eadem mox, & *Marcellus*, Lentuli Collega, palàm diceret, addens, NE FORTE VIOLARENTUR: excandeſcens ultra modum *Marc. Antonius*, tribunusplebis, exſiliénsq; ſellâ; ſtatum temporum cœpit incéſſere: *quippe, quo ne Sacroſancta quidem Tribunorum poteſtas in tuto verſaretur*. oréq; ſpumans, &, inter fremitum, clamorémq; furioſum, malorum omnis generis congeriem Romæ Patribúsq; minitans, & impre-

imprecatúsque; cum *C. Curione*, *Caſsio Longino*, *Marcóq;* ſeu *Cœlio*, ſeu *Cæcilio*, curſu pręcipiti ſeſe proripuit è curia. Qui, Senatorum albô mox omnes expuncti; proximâ ſtatim nocte, ſervilibus contecti veſtibus, ac meritoriô recepti vehiculô, ſeſe *Cæſaris* in hiberna contulerunt. *Iſtum erat* (ut ipſe ſcribit) *Ravennæ; Suis Leniſsimis*, ſicut ipſe prædicat, *poſtulatis reſponſa* præſtolatus: *ſiquâ res ea* vel *hominum æquitate*, vel varietate caſuum, *ab armis ad otium deduci poſſet*. Ibi, *Cæſar* Tribunos hos plebis, hoc ipſo, quo venerant, cultu (quem utique non *Ariminum* uſque retinuerunt), militibus oſtentans; quò magis ipſos in Senatum inſtigaret, adjecit: *Eos, etſi Viros tam eximios, viros, dignitatis inviolabilis; tamen, quòd liberam pro Cæſare, Legionibúsq; Gallicanis, vocem emiſiſſent, in eam eſſe neceſsitatem, & habitum, redactos. Ità ſanè, quantò quiſque de Republica meritus eſſet præclariùs, tantò deteriorum eum in hoſtium numero Romæ collocari.*

Quæ cùm ità, velut dixi, ſint, ut nempe *Cæſar* ipſe, *Civilium* librô *Primô*, tradat; *Tribunos plebis illos, ex urbe profugos, ad Cæſarem ſeſe contuliſſe, cùm Ravennæ tunc eſſet*: & cùm idipſum *Appianus*, ac *Dio*, ſatìs indicent, nec *Tranquillus*

planè

planè neget, ubi tradit, *trajectô Rubicone, concioni Cæſaris adhibitos Tribunos-plebis fuiſſe*, QVI PVLSI SVPERVENERANT, (putà, priuſquam Rubiconem tranſiret): admiror equidē, paullò pòſt ſcribere Cæſarem; *Se, cum Decimæ Tertiæ Legionis militibus profectum Ariminum* (adeóq; relictâ jam poſt tergum Ravennâ,) *Tribunos plebis ibi, qui confugerant ad ſe, conveniſſe*. Niſi fortè, (quod fieri, neceſſe fuit) illi, *Ravennâ* jam antè digreſſi, *Cæſarem*, cum legione ſubſequentem, anteverterint: ut adeò copiarum *præſultores*, Tribuni fierent ii, qui Claſſici Civilis fuerant primi potiſſimíq; *præcentores*.

XXI. Quæ verò jam deinceps, ad *prælium* uſq; *Pharſalicum*, & *Alexandrini belli* principia, geſta ſunt: ea, *veriùs* fortaſſe *pleniùſq;*, multi; *cultiùs* ſanè nemo, quàm, qui geſſit illa, *Cæſar* ipſe, percenſuit. *Veriùs*, inquam, *fortaſſe* non pauci; quàm ipſe, rerum illarum actor. Quod enim & *Arnoldus Montanus*, eruditis ſuis in *Cæſarem* commentariis, è *Rhellicano* quoque, locô non unô de *belli Civilis* ejus hiſtoria, notat; & *Jacobus Salianus*, in *annum* ab Urbe Conditâ *Sexcenteſimum nonageſimum quintum*, conſignavit: ea, quæ de *Catone* ſubinde, cæteríſque, minùs ejus cauſſæ faventibus, dicenda ſub manum

num venerant, invidiâ laudis, aut odiô, *Cæſar* detorſit in pravum. quæ, contrà, parùm ipſiuſmet commendationi gloriæq́; ſerviebant, ea vel penitùs miſſa fecit; aut mirîs verborum ambagibus, (ut mitiſſimus ſuî judex) extenuavit. Id, quod, tum in aliis permultis, tùm circa *Lucium Metellum, tribunum plebis*, ærarium effringenti *Cæſari* reſiſtentem; tum & circa pugnam, ad Dyrrhachium, enarrandam, alibíque, callidè præſtitiſſe, deprehenſus eſt. Unde veram, (hac quidem ex parte) fuiſſe, credere cogimur, *Aſinii Pollionis*, quantumvis *Cæſaris* alioqui partium amiciſſimi, *cenſuram:* qua ſibi perſuaſit, apud *Suetonium* in Julio; COMMENTARIOS ILLIUS PARUM DILIGENTER, AC PARUM INTEGRA VERITATE, COMPOSITOS: CUM CÆSAR PLERAQUE, PER ALIOS GESTA, TEMERE CREDIDERIT; ET, ACTA PER SE, VEL CONSULTO, VEL ETIAM MEMORIA LAPSUS, PERPERAM EDIDERIT. Unde, futurum fuiſſe, ratus eſt; ſi vita *Cæſari* longior contigiſſet, *ut reſcriberet* ſuos illos libros, *atque corrigeret.* Fuit autem *Aſinius* hic, quem laudavi, *Pollio*, non modò litteratîs è viris; ſed etiam *Cæſarianis* è *ducibus* unus, adversùs Pompejum:

pejum : contra quem & in *acie* ſtetit *Pharſalicâ*. qui tamen, talis cùm eſſet, in ſuo de Cæſaris Commentariis judicio, ſtare non ſuſtinuit contra mentis ſuæ ſenſum, ac Veritatem.

Dixi quoq;, *Pleniùs* acta *Civilis belli Pompejani* complures exſecutos eſſe, quàm, hoſtem Pompeji, *Cæſarem*: ídque, partim ob *lacunas* Scriptoris hujus, qualis hodie circumfertur, haud paucas: partim, quòd, narrationis totius rerum geſtarum primâ quaſi ſcaturigine, càpitéque, deſtituti *Cæſaris* hi libri, lectorem, (niſi priùs aliunde, tenuiter ſaltem, inſtructum) in æquor aliquod civilium dimicationum immenſum, ut plurimùm hoſpitem, atque peregrinum, immittant. Cùm enim omnium, quæ geſta ſunt inter *Romanos*, utrimque congreſſos, certaminum, atrociſſimi conflictûs *Hiſtoriam Actáque* complectantur: &, inter hæc tamen, (quod meritò dolemus) ipsô confeſtim totius operis in veſtibulô, *Cauſſarum* belli *genuinarum* origines, atque fontes, præmittere, vel *obliti ſint*, vel conſultò *noluerint*; aut, antiquitatis denique ſitu ſenſim adeſi, *debuerint*: carere ſanè, (quantùm eſt in *Cæſare* Conſcriptore) fibrarum illarum, & initiorum, arcaniore cognitione, compellimur; è quibus enaſci, quaſi *Cadmea Ferri*

ſeges

Digitized by Google

ſeges illa, cœpit, quo ferrô detruncata *Romanæ Libertatis*, ac Reipublicæ, *cervix* eſt. Unde fit (quod fieri conſequens fuit), uti Scriptorem, omnium vulgò clariſſimum elegantiſſimumque, legere ſuîs à primordiis ingreſſi, primordia non inveniant: &, *nec quid, nec quare*, Cæſar ac Pompejus inter ſeſe funeſtis aciebus concurrerint, (niſi fortè per caliginem) aſſequantur. Nec profundiùs utique quiſquam motuum illorum origines penetraret, aut etiam in progreſſu lectionis inoffensô ſemper pede viam perageret: ſi, vel hinc, *Titi Livii* compendiariis qualibuſcunque reliquiis, *Suetoniiq;* curîs, ceu ducibus è vetere *Latio*, deſtitueretur; vel illinc *Græciæ*, qui ſuperſunt, auctoribus, (à Trajani potiſſimùm, Adrianiq;, Cęſarum ætatibus, bono litterarũ publico famulatîs), careret. Ob hoc ipſum igitur, operæ, non modò pretium, ſed & neceſſitudinem, arbitratus ſum fore; quò, lectione poſthac planiore, minùsque ſalebris obnoxiâ, commentariorum *Cæſaris* decurreretur *Opus*: belli, contra Rempublicam, Cæſariani *cauſſas & initia*, quantô fieri poſſet argumenti ſermoniſq; lumine, lectorum in oculis conſtitui. Fecimus id hucuſque, *diffuſiùs* aliquantò fortaſſe, quàm animi propoſi-

poſitum primum, ac delicata brevitatis exactio, ferret: *conſtrictiùs* autem, quàm res ipſa deſideraret. Nunc ad *belli Civilis* claſſica procursúmque, parî militaribus paſſibus impetu, redeamus.

XXII. Et iſta quidem, quæ deinceps in compendium mittemus, partim ipſiúſmet *C. Cæſaris*, geſta ſua recenſentis; partim *Appiani, Dionyſii, Dionis, Plutarchi, Tranquilli, Livii*, quin & *Lucani Cordubenſis*, non *poëtam* magis, quàm *Hiſtoricum*, agentis, fidei relinquemus. Nec prętermittemus, *Marcum* quoq; *Tullium Ciceronem*, in ſubſidium nonnunquam evocare: tametſi ſanè, *fragmenta* potiùs, *ſeminåq;* quædam enarrandarum rerum, hàc illàc, quàm *univerſam* ex ordine *rem*, ſuîs ad *Atticum* ac *Familiares* epiſtolîs, ſpargentem. In ſummam igitur! hæc inter *Pompejum* deinceps, *Cæſarémq;*, geſta ſunt, *annîs*, ab Urbe Conditâ, *ſeptingenteſimô quartô*, quo cœptum bellum eſt; & *ſeptingenteſimô quintô*, quo *Pompeji* fuit cæde funeſtatum.

Cæſar, hinc quidem, obſtinationis conſulum jam certiſſimus; illinc autem, *pulſorum* (ut ipſe loqui ſolebat) urbe *Tribunorum-plebis* injuriâ, tantô nunc confidentiùs in armorum civilium prætextum abuſurus; etſi *Quinque*, nec ampli-

us, *peditum millia*, cum *equitibus trecentis*, Ravennam ſecum (ut & ſuprà dictum eſt) adduxerat, cùm interim *Curio*, copias univerſas è Gallia quoque Tranſalpinâ convocari, conſultiſſimum duceret: hîs tamen impræſentiarum contentus; majoris eſſe compendii, ſtatuit, cum his ſolis in *Italiam* è Gallia Togata tantiſper irruendo, *Romam*, & adverſas partes, perterrefacere: quàm, legiones reliquas, quæ trans Alpes adhuc morabātur, evocando contrahendóque, tempus ſe *perdere*; ſuis autem hoſtibus, ad intentiorem armorum præparationem, id *largiri*. Clam igitur præmiſsîs cohortibus (quas Q. Hortenſius ducebat), ipſe quidem, per rei diſſimulationem, ad cœnam adhibuit amicos. In occaſū verò lapsô jam Sole, repentè, quaſi per invaletudinē ſubitam, cōſurrexit; relictîs in tricliniô cōvivîs. mox verò, clam piſtorium conſcendit vehiculum: nocturnæq; viæ fatigatus ambagibus, ad præmiſſas deniq; cohortes, ſubſecutîs eum etiam *equitibus*, continuatô curſu pervénit. Perrecturis porrò, *Rubicónis* occurrebant undæ, (Provinciæ Ciſalpinæ finis), mediô, *Ravennam* inter & *Ariminum*, tractu fluentes. quarum ripis imminens *Cæſar*, conſiderânſque, *Quàm arduum & infamiæ plenum*

plenum opus aggrederetur, ſtitit curſum: &, ad ſuos converſus; *Ne nunc quidem, amici, nimis ſerum eſt* (inquit), *nos retrogredi. Negotium hoc, difficultatis eſt, utrimque perplexæ. Tranſitus enim Rubiconis, ulteriùs dilatus, malorum omnium mihi; feſtinatus autem, mortalibus cæteris, exordium erit. Hôc unico tranſmiſſo ponticulo, pacificè nihil; armis omnia, tranſigenda reſtabunt.* Inter quæ, monſtrô, neſcio quô, buccinatoris inſoliti, præeuntiſq;, provocatus ad tranſitum, & in has prorumpens voces, *Eamus, quò Superûm oſtenta nos, & inimicorum injuriæ, vocant! Jacta jam eſt alea!* (oo) tranſivit: & *Ariminum* oppidum, à centurionibus, ac ſuorum generoſioribus aliquot aliîs, præmiſsis, occupatum, intravit. Quod ſanè, tum in hujus oppidi, tum mox & in cæterorum quorundam, invaſione ſubactionéque, conſtat, auſum eſſe *Cæſarem*, cum *Decimâ tertiâ* ferè *ſolâ Legione*, quam ſecum habebat; priùs, quàm, ſupervenientibus & iîs militibus, qui trans Alpes adhuc hęrebant, univerſim plures, quàm *Decem Legionū* (ππ) exercitatiſſimos, per tot annos ac bella Gallicana, milites, ſub ſignis haberet. Cæterùm, *Arimini* turbulentè (ſicut ſemper antehac) & ad milites concionatus, & apud legatos Pompejanarum par-

 tium,

tium,*Lucium Cæſarem*, Luc. Cæſaris, Legati Cæſariani,filium,*Prætorémque Roſcium*,conqueſtus; *Sibi ſemper Reipublicæ primam fuiſſe*, VITAQVE POTIOREM, DIGNITATEM, dixit, ac finxit. colloquendi cum Pompejo deſideriũ, ac pacis & tranquillitatis publicæ cupiditatem, improbè ſimulavit. conditionũ cantilenam veterem iteravit: *Si diſcederent omnes, Pompejus quidem in Provincias ſuas; in Italia verò, quicunque cum exercitibus eſſent,ab armis: tum & ſe diſceſſurum.*

Ea porrò dum urget *Cæſar*; *Conſules* autem, è diverſo, *Cæſarem*, Arìminô relictô, repetere Galliam,exercitúmq; dimittere, jubent (quod ille recuſare perſeverabat): *Titus* interea *Labienus*,omnium, per bella *Gallicana*, legatorum fortiſſimus, ac *Cæſari*, Commentariorum ſuorum in Opere, de rebus Gallicis, impensè celebratus, ab eo deſciſcit: ac poſtea, cœptâ jam Optimatium fugâ, Theáni *Pompejo*, nonô circiter ante Calendas Martias die, cum Conſulibus conventô; *Pompejanis* ſe *partibus* adjungit: non modò tamen nullâ Cæſaris apertâ tunc indignationis ſignificatione, ſed inſuper & humanitatis in transfugam ſingularis oſtentatione,tam accuratâ;nihil ut eorum, quæ *Labienus* in caſtris reliquiſſet, impedimentorum, ac pecuniæ,

cuniæ, ſubmittere quàm primùm ei fide ſummâ, prętermitteret. Ac Labienum quidẽ Pompejus poſtea Magiſtrum Equitũ juſſit: iſq; *Ciceroni*, necnon cęterorũ plerisq;, *Vir*, ſinè controverſia, *Magnus*, & *Heros*, eſſe videbatur; ſicut ad *Atticum*, libro ſeptimô, *ſuâ* duntaxat è *ſententiâ*, *Cicero* pronuntiavit. Nec dubiũ erat; quin haud minimum bono publico cõtuliſſet. Sed, quòd, *non tã amore Iuris, ac Reipublicæ, tranſiſſe Labienũ*, credi poſſit; *quàm, cum Cæſare mutuò potiùs ambitionis certamine*, quo neuter paullatim alterius faſtũ tolerabat: infrà ſpem aliquãtò, conceptámq; de ſe bonorum exſpectationẽ, uſui fuit. Prodidit enim *Pompejo* quidem, Conſulibúſq;, Cæſaris, de bello, quod inſtabat, conſilia. Sed, dum de *copiarum* ejuſdẽ *imbecillitate* Labienus, in quotidiana *Pompeji* conſuetudine, comitatúque, diſſerere, fidémque ſuam obligare, non dubitat: animos illius, ac *Pompejanorum* plerorumq; ſpem, inflavit: ſucceſſu tamen, in auram tandem evaneſcente. Fecerat autem illudipſum, jam antehac (& pernicioſiùs) *Appius Claudius Pulcher*: qui, *geminam* illam, de qua dictum in ſuperioribus eſt, avulſam à caſtris Cæſarianis *legionem* è Gallia Romam ducens, in urbe diſperſerat; tam ingens in animis mi-

litum, eſſe *Cæſaris* odium; tam ardens, è diverſo, *Pompeji* deſiderium: ut ad hunc, vel tantummodo conſpectum, univerſi, relictô *Cæſare*, ſint tranſituri. Qui ſermo, *Pompejum*, jam antehac (*Senii vitiô) pronum in tarditatem*, ab habendis alacritate vetere delectibus, blandè ſimùl, & intempeſtivè, retraxit. addo quoque: *Cum magnarum rerum*, quas eâ morâ neglexit, *intertrimentô*; deceptâq; prudentiorum exſpectatione: cùm ſeciùs mox omnia, quàm ſpes fuiſſet, evenirent. *Decebat* enim; poſt *Appii* temerariam linguam, *è falſo, ſequi falſum*.

Cæſar igitur, etſi legionum illarum, (quas, judiciô Ciceronis, in ejus ad *Atticum* litteris, non pauciores *Vndecim*, univerſim numerabat) adhuc ad ſe ne *tertiam* quidem partem initiô contraxerat: aliîs tamen ſuper alias, è *Gallia*, quæ trans Alpes erat, ſupervenientibus legionibus, ac delectibus novîs; præſidiorúmq; *Pompejanorum* ad ſe *quotidianis* acceſſionibus, (iíſque ferè voluntariîs): vehementiſſimè ſuas confirmabat opes. Præterquam enim, quòd, ſolâ propemodum auditâ novandarum rerum profeſſione, ſuíque nominis famâ, videretur aſylum omnibus aperuiſſe lucífugis: quòd item *facilitate, qua ſolebat omnibus omnia*

mnia polliceri, ſanéque plura, quàm præſtare vel poſſet vel cogitaret, ad ſe pertraxerat (ut Cicero loquitur) *omnes damnatos, omnes ignominiâ notatos, omnes damnatione dignos, omnem ferè juventutem, omnem urbanam ac perditam plebem, omnes alieno preſſos ære, tribunósq; valentes, ac publicanos, Cæſari jam amiciſſimos* effectos: erant cum Cęſare, *Q. Caſſius, C. Curio, Marc. & Cajus, Antonii; Dec. Brutus, C. Trebonius, P. Cornel. Dolabella*, Ciceronis gener; *Publ. Vatinius, Criſpus Salluſtius, Báſilus, Q. Hortenſius*, aliíque permulti. Delectus item, ex Italia Galliáq;, novi; regis Noricorum, *Vociónis*, & alius aliũde, Gallicis & Italicis è populis cõſcriptus, equitatus: ac regio *Tranſpadana* tota. Pręſidia pręterea ſubſidiáq; *Pompejanarum* partiũ, ex agri Piceni, Marſici, Peligni, Marrucíni, Ferentani, caſtellis, & oppidis, per *Cæſarem*, ejúſq; duces, occupatîs, aut deditîs, vel ex itineribus, intercepta: *Cæſaris* adjunguntur ſignis: &, apud eum dictô ſacramẽtô, copiis illius immiſcẽtur. Hîs inſtructus *Cæſar*; ex quo poſt ſe reliquerat Ravennam & Ariminum, occupavit Arretium, Piſaurum, Fanum, Ancónam, Igúvium ad Apennini radices, Aúximum, Cingugulum (oppidum, Labieni pecuniâ nuper exædificatum): Aſculum item, Camerínum, &

agrum Picenum univerſum. In Pelignis quoque, Sulmonem, (Ovidii Naſonis patriam), & Corfinium, Pelignorum finium caput, unà cum Luc. Domitio, ſucceſſore ſibi Româ ſubmiſsô, cúmq; Publ. Lentulo Spinthére, L. Vibullio Rufo, Sexto Quintilio Varo, magnóq; Romanorum Equitum numerô, ſub poteſtatem ſuam redegit. Eodem quoque, conſequentíq; tempore, ſubegit & Umbriam, Hetruriámque (ρρ): nec poſt ſe quidquam reliquit non-ſuum, ab Arimino, Brundiſium uſque; quò tandem, cum legionibus ſex, pervénit: cùm priùs Domitianas cohortes omnes, ad ſe Corfinii traductas, in Siciliam præmiſiſſet. Ad ſummam! quod ad *Pomponium* M. Tullius ſcribit, *Cauſſam ſolùm illa cauſſa* (Cæſariana) *non habebat: rebus cæterîs*, ac præſertim copiîs, hominúmq; ſtudiis, *abundabat*; florebat; ubique ſuperior, ac victrix, erat: quódque Plutarchus ſcriptum reliquit, *Intrà dies Sexaginta totam occupavit Italiam.* Ut adeò, nec falsò, nec per exaggerationem, *Cicero*, bimeſtrî nondum, à primis expeditionum illarum motibus, exactô, vaticinaretur veriùs, quàm conjiceret, ad *Atticum* ſcribens; *Pedem in Italia ſe nullum videre: qui non in Cæſaris ſit poteſtate*. πέρας illud, (id eſt,

mon-

monſtrum ac *portentum hominis*, Cæſarem) *horribilis eſſe vigilantiæ, celeritatis, diligentiæ.* Quo proinde factum eſt: ut bellum Cæſaris *volutare* potiùs, quàm *procedere*, videretur: cùm *Pompejanæ res* interim, è contrario, (ſi ſolam *fugam* exciperes) *ſerpere reptaréque*, dici poſſent.

Ac principiò quidem motuum illorum, quibus diebus *Luc. Cæſar Junior* (utì ſuprà dictum eſt) ad *C. Cæſarem*, cum *Roſcio Prætore*, de *Pace*, componendîſque controverſiis, profectus Ariminum fuerat: cœpit in metu *Pompejus* eſſe, ſi fortè *Cæſar* eò deſcenderet, (quod antehac ipſe ſæpe refugerat) ut ei placeret; *Vtrimque dimitti copias, ambósq; legionum imperatores ad privatam redire ſortem:* ne, paullò pòſt, inferioris ipſe, quàm *Cæſar*, nominis & exiſtimationis apud Populum eſſet; præcipuè verò, ſi magiſtratum in Urbe CÆSAR, tot annorum votis expetitum, adipiſceretur: *cujus Conſulatu repetitô, nihil formidabilius eſſe prudentibus*, cenſebat; quippe, QUI PRIMO QUOQUE CONSULATU, PLUS UNUS, QUAM UNIVERSA RESPUBLICA, VALUISSET. *Pacem* ergò, non tam *optabat* Pompejus, quàm revera *timebat*. Quamobrem, Româ digreſſus, & quidem, (nequis ejus de pavore dubitare

poſſet),ingruentis jam noctis primas ſub tenebras; omnî celeritate *Capuam* contendit, ut indè feſtinaret in *Apuliam*: interpoſitâq; *Conſulum* etiam auctoritate, SEQUI SE JUSSIT omnes, QUICUNQUE REMPUBLICAM SALVAM VELLENT. hoſtium,contrà, locô ſe, declaravit, habiturum univerſos, non eos modò, qui *Cæſaris*, ſed, qui *neutrarum* etiam eſſe *partium*, elegiſſent; in eáque mente perſeverarent. *Lucio* præterea *Cornelio Lentulo*, Conſulum alteri, mandavit: uti pecuniam omnem publicam, & ipſa quoque templorum donaria, curaret, ex urbe *Capuam*, &, ſiquò longinquiùs opus foret, tranſportanda. Quæ res utique ſupremam habebat, non modò *Romanorum* mœnium, ſed omnino *Latii* defendendi, deſperationem.

Erat autem *tergeminum* Romæ, jam antiquitus, *Ærarium*. *Primum* quidem illud, in quo tributa civium, vectigalia ſociorum, manubiæ prædáque devictis è gentibus, ac Regibus, aſſervabantur. *Alterum* autem, in quod *Viceſimarum* (uti Livius appellat) *Aurum* recondebatur: quod *Sanctius* appellabant, eâ cauſsâ; quoniam, ultimos in caſus, tanquam maritimis in tempeſtatibus *Anchora Sacra*, ſervabatur.

tur. At in Ærario *Tertio*, pecunia *Belli Gallici* cuſtodiebatur, ex eo ſic dicta; quòd hæc, illuc ex antiquo collata, detineretur intacta, præmiſsis recondentium exſecrationibus: *NE QVIS eam unquam, niſi, Gallici belli motibus, & impendiis, id exigentibus, aut auferret, aut attingeret.* Ut adeò, ſicuti Tribunorũ Plebis *Sacroſancta poteſtas*, &, ob hoc ipsũ, *Inviolabilis*; ità Gallici theſauri *cuſtodia*, maneret *Illibata.* Tribus igitur his ex *Ærariis*, medium illud invaſurus *Conſul Lentulus*, jam id aperuerat; ut pecuniã indè *Pompejo*, tanquam ad ſummum Reipublicę diſcrimen, proferret: cùm eodem, ecce! temporis articulô *Romam* ea nuntiantur, quæ tum in *Piceno* vel maximè *Cæſar* gerebat: Ariminum, Arretium, oppidáque cætera, quæ *mare ſuperum* adjacerent, ad *Auximum* uſque, cum præſidiis pariter, aut in ipſis oppidis, aut in fuga deprehensîs, in poteſtatem eſſe *Cæſaris* redacta. municipia, colonias, cohortes, ad eum certatim deficere: *Cæſarémq;* magnas *equitum* habere *peditúmque* copias; ac majores etiam propediem habiturum. Quæ res tantum omni *Romæ* terrorem incuſſit, ac trepidationem, (magnis, diúq; felicibus, urbibus, ex inſuetudine malorum plerumque ſollemnem): ut *Lentulus*, intactâ *Sanctioris Æ-*

rarii

rarii pecuniâ,*repoſitorium auri*, quod aperuerat, denuò clauderet; ablatîſque ſecum *clavibus*, in pedes ſeſe conjiceret: ut idem faceret & *Marcellus*: ut in tergis amborum hærerent, eodem fugæ ſtudiô, prætores,ædiles, Senatorum, & equeſtris ordinis, maxima multitudo; circiter *quintumdecimum*, *ante Calendas Februarias*, diem, abeuntium: cùm jam pridie *Pompejus* diſceſſiſſet ad *legiones duas*; quas, à *Cæſare* nuper per *belli Parthici* cauſſam acceptas, hibernorum ergô diſperſerat, opportunîs *Apuliæ* locîs. Fugam diſceſsúmq; Primorum-urbis mox inſecuta,tantùm non *omnis Vrbs reliqua*, præter plebis fæcem, ac proletarias ſordes; abibat,adhuc ſub veſperam illam, ac noctis omnî ſpatiô: flens,cum flētibus, in comitatu liberorum, conjugibus; quæ maritos, *Appia* potiſſimùm *Viæ* magnâ parte, proſequebantur: cervicibus virorum hærentes; & ab amplexu migrantium vix tandem imperiô, rogatúq; maritorum, avulſæ, *Romámq;* repetere coactæ. Multi quoque, multæq;, priuſquam urbe pedem efferrent, *Deos* ultimùm ſalutare: ſupremum vale templis, fanis, ac domibus ſuis, & aris focíſq;, dicere. poſtes ſacros amplecti,Fanorúmq; liminibus,& ipſi civitatis nutricis charo ſolo,baſia junge-

jungere; terram genibus verrentes. denique, tanquam captâ jam, & mox ſuîs exſcindendâ fundamentîs, urbe, lamentîs & complorationibus diffluere. MAJOR ENIM ERAT, *apud omnes*, MALORVM METVS; QVAM IPSA MALA.

Cæterùm, *etſi Pompejus*, inter hęc, dudũ, *ſi fureret Cæſar*, hoc eſt, *Italiã* armîs invaderet, *Ciceroni* demonſtrârat, *Se vehementer hominem contemnere; ſéque ſuis, & reipublicæ, copiis confidere:* quamvis item Senatui dixerat, *Se, ſi copiæ militares alicui ſpe minores, & infirmæ, viderentur, pede ſolò ſuccuſſurum Italiæ ſolum; & indè, quotquot opus eſſent, ac plura quoq;, bellatorum millia ſuſcitaturũ:* quantumvis demum eidem, quem dixi, *Ciceroni*, litterîs ſuîs ſpem attulerat; *Simulac ipſe Picenũ in agrum veniſſet, Romam omnes, qui tunc abirent, eſſe redituros:* poſteaquã tamen ad rei novaculam ventum eſt, exſpectationẽ bonorum deſtituit. Habebat in partibus *Luc. Lentulum*, & *C.Claud.Marcellum*, Conſules; ſed, ad Cæſaris tam ſubitam, eíque proſperam, irruptionem exterritos: ac, (*Marc.Tullii* ſententiâ, *pennâ folióve mobiliores*. Habebat idem *Marcellos* cæteros, & *Marc. Bibulum, Scribonium Libonem, Marc. Catonem, Appium Claudium, Cæcilium Metellum Scipio-*

Scipionem, ſocerum ſuum; *Marc. Favonium*: ac, progreſſu temporis, *Marc.* quoq; *Brutum Cæpionem* (cujus patrem tamen, *Serviliæ* maritum, *Pompejus* interfecerat): & alios præterea fortes nobiléſq; viros. copias tantùm amplas, ac firmas, nondum habebat; immò, nec *Seipſum* talē, qualis quondam fuerat. & in ſumma! veterem animum nō retinebat: ſed, *Leonem* quidem (inſigne *Pompeji* domeſticū) in gemma; *léporem* autem, in præcordiis: ut, qui *Româ* (quam tamen nec *Annibalis* olim horror aſpectúſque, mœnibus circumfuſus, civibus ac tutelâ nudârat) profugerit; cauſſatus, NON IN PARIETIBUS, AUT MURIS, SED IN FORTIBUS VIRIS, REIPUBLICÆ FIXAM ESSE SEDEM. Nihil illo tunc (ſiqua *Tullii* litteris, ad *Pomponium*, fides eſt) timidius: nihil perturbatius. non copiæ ſufficientes, non diligentia, non conſilium. conciones, in oppidis, timidiſſimæ. *rerum* ei non ſolùm hoſtilium, ſed etiam *ſuarúmmet* copiarum, ignoratio: Picenæ regionis (etiam priuſquam illius amittendæ ſuſpicio tenuis, aut ullus odor, eſſet), amiſſio: præſidiorum, ad tutandam Rempubl. (quorum tamen comparandorum gratiâ, retentus ad urbem fuerat), nec locus, nec ſedes. Ab *Roma*

Capuam

Capuam uſque, tutum nihil: poſt, ac circa, *Capuam*, delectus novi, ſed paſſim, nomina non dantium; aut prorſus invitorum, & pugnare detrectantium: aut, ſiqui, vel coacti, nomina darent, ac ſe pugnaturos oſtenderent; ut plurimùm, ſervorum manus, aut, montanis è ſaltibus, paſtores erant. *Legiones* autem illę *duæ*, quę *Cæſaris* nuper fuerant, à Pompejo cum invidia retentę; plus alienæ videbantur, quàm proprię: perfidiæ non expertes: tales, qualium voluntati, nec ipſe *Pompejus*, ſuâpte confeſſione, ſatis confideret; &, in ſummam! transfugio proximæ. Denique, ne prolixiùs his immoremur; *Cnejus* ille, terrâ quondam marîq; *Magnus* Imperator, victor, triumphator; *flagitiosè* tunc *imparatus* (ut adversùs eum, & *Marcus Tullius*, & *M. Cato*, tonabant), *cùm à militibus*, *tum à pecuniâ*; non ſinè magnâ totius Italię querimoniâ, longiùs identidem longiùsq; recedebat: ab Roma, ſicut dictum eſt, Capuam; Capuâ Luceriam, & Canuſium Apulorum; donec Canuſiô tandem *Brundiſium* etiã *Calabrorum* VI. Calend. Martias, (uti *Ciacconius*, in Cæſaris primum Civilium volumen, obſervat) intravit. Eò, quidquid in via, vel è coloniis ac municipiis, cogere militum potuit, unà cum Conſulibus, &

aliis

aliis ſuarum partium, contraxit: & in futuri temporis conſilium aliquantiſper depoſuit.

Hic *Cicero*, dum ea fiebant, *Pomponio* querebatur, octavi libri quadam epiſtolâ; *Cnejum ſuum, tum antea nunquam, tum in ea cauſſa minimè gentium, cogitâſſe: quid perfecto Reipublicæ moderatori deberet eſſe propoſitum, ad beatam civium vitam. Dominationem enim, ut à Cæſare, ſic & à Pompejo, quæſitam eſſe: non autem id actum, ut honeſta Civitas eſſet, ac beata. Nec verò relictam ab illo Romam fuiſſe, quòd eam tueri non poſſet: nec Italiam* (utì paullò pòſt facturus erat), *quòd eâ pelleretur; ſed, hoc eum à primo cogitâſſe, Terras omnes, omnia maria, movere; reges barbaros incitare; gentes feras armatas in Italiam adducere; conficere maximos exercitus è gentibus tranſmarinis; poſtquam ex Italicis eos comparare per animi torporem, Phryx ſerò ſapiens, neglexiſſet. Nimirum à Pompejo, genus illud appeti Syllani regni. Quid enim? nullámne, Cnejum inter, & Julium, fieri potuiſſe pactionem? Enimverò, vel eodem adhuc die poſſe. Sed ſcilicet!* UTRUMQUE REGNARE VELLE. Faciebat hæc igitur, quæ paullò ſuperiùs memoravi, *Pompejus*: &, haud ſcio, cogitarítne ſimùl illa, quorum eum, in poſtremis his verbis, *Marcus Tullius* arguebat.

Cæſar

Cæſar interea, cùm omnem, quæ cis *Apenninum* ab *Adria* jacet, *Italiam* ſui juris effeciſſet, quippe, *quem omnes regionum earum præfecturæ* (ſicut ipſe, primò Civilis belli commentariò, prædicat) *libentiſſimis animis recepiſſent; ejúſque cohortes & exercitum rebus omnibus adjuviſſent*: ſecundùm *mare ſuperum*, celeritate (velut antè dictum eſt) incredibili, profectus & ipſe *Brundiſium* versùs, prævertere *Pompejum* cogitabat. Sed jam is, utpote viâ rectiore, pérq; compendia, non ſolùm intrârat oppidum; ac portum, è quo proximus erat in *Macedoniam* trajectus, navibus undequaq; contractis, occupârat: verùm etiam legionum ſuarum cohortes (ut Plutarchus numeravit) triginta, partémq; maximam equitatûs, cum utroque Conſulum, ac Senatorum pleriſque, præmiſerat mari *Dyrrhachium*, famâ notiſſimum; *Macedoniæ*, ſicut Cæſar ait, aut *Illyrici* (ſicut è Plinio *Montanus* etiã obſervat) oppidum, ad Sinum Adriæ Dalmaticum jacens: *Epidamnum* quondam aliis dictũ. Idem & in Syriam, ſub idem ferè tempus, Cnejum filium, & Scipionem ſocerum, ablegârat, ad auxilia contrahenda.

Cæterùm, advolârat, ſuper hoc trajectu, *falſus*, ſub idem ipſum tempus, ad *Ciceronem* rumor,

 è lit-

è litteris, *Capuâ* miſſis ad eum; oræ tunc maritimæ *maris-inferi* cuſtodem, præfectúmque, relictum à *Pompejo:* quibus litteris, à *Luc Metello* tribunoplebis *Româ* miſſis, & à *Clodia*, Metelli ſocru, *Capuam* allatîs, ſignificabatur; *Pompejum mare transiſſe, cum omnibus, quos ſecum habuiſſet, militibus: qui numerus eſſet hominum triginta millium; & Conſules duos, ac tribunosplebis, & Senatores, qui fuiſſent cum eo. Conſcendiſſe verò naves ad diem IV. Nonas Martias, cum omnium uxoribus & liberis. ex eo porrò die fuiſſe Septentriones ventos. Naves autem, quibus uſus Pompejus non ſit, omnes eum vel præcidiſſe, vel incendiſſe, dici.*

Quibus in verbis, nec adeò multîs, nec multùm hæſitantibus *falſa* tamen, & partim *dubia*, multa ſunt: quæ quidem è *Cæſare*, veraciùs iſta puriúſque tradente, necnon è *Græcia* ſcriptoribus, in viam reducenda ſunt. Hujus generis, iſta ſunt. *Pompejum, cùm omnibus, quos ſecum habuiſſet, militibus, transiſſe:* cùm neq; *Pompejus* ipſe, niſi poſtea demum, *Brundiſiò* ſe commoveret: &, cùm cæteram ante ſeſe multitudinem præmiſiſſet, *cohortes* tamen ſecum in oppido, *viginti*, teſte *Cæſare*, retineret. *Numerum militum fuiſſe, triginta millium.* quod credere po-

re poterat, cui perſuaſum eſſe poterat; *cohortium* illarum *triginta*, de quibus diximus, ſingulas ejus fuiſſe generis, eorúmq;, ſub Cæſaribus poſtea, temporum: ut millenîs conſtarent militibus; quæ ſub Pompejo tum ægerrimè quadringenûm vicenûm erant. Credere poterat ille, qui poſuiſſet extra controverſiam; *Optimates* cum *legionibus*, ſaltem *ſex*, utcunque ſuô militum numerô conſtantibus, transiſſe mare; cùm, præter *duas*, in hibernis *Apulis* collocatas, legiones, ægrè *Pompejus* delectum ex Italia, niſi *tironum* è quiſquiliîs, emolitus eſſet. Quòd enim Dio tradit: *Cum Pompejo fuiſſe, præter plurimos Senatores, & Equitum Romanorum Italicique nominis, ſeptem millia, Claſſem inſuper Invictam; in qua, præter quingentas naves bellicas, Liburnicarum, ac ſpeculatoriarum, ingens fuerit numerus*: id ad hanc, è Brundiſino portu, profectionem *vernam*, totum nequaquã referendum; ſed in *Autumnum* poſthęc elapsũ, ipſo teſte *Dione*, differendum eſt, ac digerendum. *Conſcendiſſe quoque pariter*, in epiſtola ferebantur, *Conſulum, tribunorumplebis, Senatorum, & aliorum omnium, Vxores & liberi*: quando, ne *Viris* quidem, ac militaris ętatis mortalibus, locus, in navibus tam paucis, eſſet; quas naves ideò remitti

 Pom-

Pompejus, non ad *mulieres*, *liberósq;*, ſed, *ad ſe cohortésq; reſiduas* tranſvehendas, voluerat, ac mandârat. Et, ut taceam, non fuiſſe, (ne quidem in bellis poſtremorum Reipublicæ temporum) diſciplinæ militaris Romanæ conſuetudinem; Ut in caſtra *mulieres*, tametſi militum *conjuges*, admitterentur; utì nos quoq; ſuperiùs locô quodam obſervavimus: ubi, quæſo, tot *uxorum* patriciarum, ſenatoriarum, equeſtrium, agmina, cum ancillarum pediſequarúmque turbîs? ubi tot parvulorum liberûm, (cum ſervulis, libertis, pędagogis,) manipuli locum, ſedem, vitæ victûſque ſubſidia, cum ſecuritatis præſidiis, reperiſſent; in terris trans Italiam, trans mare? terrîs, inquã, peregrini ſoli, Solis, ac linguæ, dubiæq; fidei: pręſertim, *Cæſarianis* etiã caſtrîs, & excurſionibus, ex omni parte poſtea circumcluſi? Laborâſſe quidẽ *Ciceronem*, pro *Terentiâ* ſuâ, pro *Tulliâ* filiâ, pro *Pomponiâ* (Quinti fratris uxore), duobúſq; parvis *Ciceronibus*, extra *Romam* in locum tutiorẽ transferẽdîs: ex epiſtolis illius conſtat. quoniã, & alias, *ejuſdem dignationis* ac loci, fœminas, audierat, in ſecuriora ſe recepiſſe. Nec tamẽ eas ipſe poſtea *ſarcinas*, cùm ad *Pompejum* ſeſe conferret, ſecum unà trans mare (quantumvis *ultrò* quon-

dam id, & ardenter quidem, expoſcentes) duxit: ſed, è *Pharſalico* poſtea reverſus certamine, remoratas in *Italia* tantiſper, uxorem, filiam, & glorem, invénit. Neque facilè quiſquam, de *muliebri* quacunque turba, quæ mare tunc tranſierit, quidquam in priſcis auctorum monimentis repererit; præterquam, è conjectura fortaſſis, eum *pediſequarum* comitatum, qui *Corneliam*, Pompeji conjugem, proſecutus in *Macedoniam* eſt. Ex qua tamen *Pompejus* eam mox in *Lesbum* Inſulàm, Dyrrhachiô plurimùm diſtantem, ſepoſuit: &, ut onus, minimè tempeſtatibus illis opportunum, amovit. Non addam his, quod poſſem tamen, & fusè: captîs poſtea Pompejanîs ad *Pharsálum* caſtrîs, nec *unius* quidem *fœmellæ*, vel à *Cæſare*, vel à Scriptoribus aliis, inter impedimenta captæ; vel in fuga Pompejanorum, aut hibernîs, vel ſtativis, exceptæ, mentionem inſpergi: quam in bellis tamen *Gallicis* exſequendis non prætermiſit obſtinatè *Cæſar.* Addebat ulteriùs epiſtola Capuana; *Reſtâſſe tunc ventos Septentriones:* hoc eſt, Brundiſiô Dyrrhachium petentibus, adverſum utique tenentes; & navigantibus, ex obliquo, contumaces. unde, qui trajiciebant *Brundiſiô*, faciliùs ſimul, ac tranquilliùs, cele-

eiúſque, littoris ejuſdem oppidum, *Apolloniam*, quàm remotioris, & tunc iniquioris, adnavigationis locum (*Dyrrhachium*, inquam) petiſſent, & intrâſſent. Quod autem addit *Capuanus* tumor; *Naves, quibus uſus Pompejus non fuerit, omnes eum, vel præcidiſſe*, fluctibus & arbitrio ventorum permiſſas, *vel incendiſſe, dici:* fabuloſus & iſte ſermo fuit; & à *Cæſare*, bonâ fide, ſed incomodi proprii narratione, refutatus: quando refert; *Omnibus coactis navibus, Pompejum, præſentem inſequendi ſui facultatem Cæſari*, (qui nihil magìs exoptârat, quàm, vel vagas aliquot in ſalo celoces, contrahere, tumultuarios in uſus) *ademiſſe*. Quis locus ergo tunc ei, vel *præſcindendi* relictas à ſe, vel *incendēdi*, ſuperfuerat? Nam *naves* quidem *duas*, quæ, *Pompejô* jam mare tenente, Cæſarianas ad moles ponè portum adhęſerant, ſcaphîs lintribúsq; Cæſar exceptas, cum militibus, ad littus attraxit. quãtùm ex eo tamen conſtat; non abſecuit, nec ipſe quidem, nec inflamavit. Ut proinde jurè damnâſſe *Capuanum* illũ, quem dixi, *Rumorem* ipſe quoq; *Tullius*, epiſtolâ quadam, aliquamdiu pòſt datâ, videatur: qua dicit, *Rectè non credere Pomponium de numero militum*, (Pompejanorum); *ipſo quippe dimidiô plus ſcripſiſſe Clodianam epiſtolam. Falſum etiam, De corruptis navibus.*

Res

Res igitur ad *Brundiſium*, ad ſummam, & ex vero, ſic geſta tunc eſt. Cùm *Brundiſii* Pompejus, præmiſsîs in *Macedoniam* Conſulibus, (ut dictum eſt), & exercitûs magnâ parte, deſidéret adhuc; eiq; ſuperveniens *Cæſar* ad VII. Idus Martias, juxta *Brundiſium* ſtativa collocâſſet: molibus *Cæſar*, & aggeribus, primùm, deinde paullatim & ratibus inter ſe revinctîs, quâ parte fauces illius portûs anguſtiſſimè coibant, prohibere *Pompejum* adminiſtratione portûs, & exitu, nitebatur. His è diverſo *Pompejus* naves onerarias ingentes opponebat: ſuper quas, telîs ac tormentîs completas, turres eduxerat: è quibus, ad opera *Cæſaris* applicitîs, ut ea perrumperent, à fundibulariis quotidie, ſagittariiſque, certabatur. Iſtud autem erat utriuſq; conſilium: uti Cæſar Pompejum poſſeſſione Brundiſii, liberóq; maris uſu; Pompejus contrà, maris, urbis, ac portûs, ingreſſu Cæſarem, prohiberet. Quo tamen ipſo tempore, *Caninium Rébilum*, legatum, *Cæſar*, ad *Scribonium Libónem* mittebat; qui de colloquio *Cæſaris* cum *Pompejo*, (ſi fortè pacis adhuc aliqua ſpes ac locus eſſet) *Pompejum* interpellaret. Reſpondente verò Pompejô, *Sine Conſulibus (qui præſertim mari jã ab ambobus ſe dividerentur) agi*

 de com-

de compoſitione non poſſe: negotium pacis aliquando projiciendum eſſe, *Cæſar* decrevit; ac potiùs arma poſthac, totis viribus adurgenda ſibi, conſtituit.

Hoc autem loco mirandum inprimis eſt, & ad dicta Scriptáq; Cæſaris, inter ſeſe pugnantia, referendum: quòd hic, in *primo Civilium*, referat; *Ab ſe Cn. Magium Cremona, Cn. Pompeji præfectum fabrûm, ex itinere reductum, dimiſſum tamen, & ad Pompejum cum mandatis ablegatum eſſe, de pace, per mutuum utriuſque colloquium, coràm tentandâ. Séque miratum magnopere fuiſſe, cùm ad Brundiſium caſtra jam haberet, à Pompejo Magium non remitti.* Cùm è diverſo tamen hic idem, datîs ad *Oppium* & *Cornel. Balbum* litterîs, narret; *Ad VII. Id. Martias veniſſe ſe Brundiſium: ad murum caſtra poſuiſſe: Pompejúmque, qui tunc adhuc eſſet Brundiſii, Cn. Magium ad ſe miſiſſe de Pace. cui ſe, quæ viſum fuerit, reſpondiſſe.* Litterarum autem harum exemplum, à *Balbo* miſſum, ad *Ciceronem*, etiam hunc in opinionem eandem induxit; & impulit, ut quadam ad Atticum epiſtolâ noni voluminis in hæc verba prorumperet: *Omnia miſera! ſed hòc nihil miſerius! Pompejus Cn. Magium de Pace miſit: & tamen oppugnatur!* EN, JAM NON POM-

PE-

PEJUM TANTUM AC CÆSAREM, MUTUO; SED ET CÆSAREM IPSUM, ADVERSUS CÆSAREM, PUGNANTEM!

Nec multò pòſt, navibus *Dyrrhachiô*, Conſulum induſtriâ, remiſsis, &, quò minùs in portum Brundiſinum influerent, à *Cæſare* vel fruſtrà prohibitis, vel etiam negligenter obſervatîs; ad XVI. Cal. Aprilis, *Matiô Trebatiôq;* teſtibus, noctu *Pompejus*, datis velis, cum relictis ſecum copiis, *Dyrrhachium* avolavit. quem, *Dyrrhachino littori* jam adnavigantem, *omen* infauſtæ notæ viſum eſt futurorum admonere voluiſſe; *de cœlo tactis* aliquot ejus militibus, & exanimatis. *Brundiſium* interim *Cæſar* occupavit: præſidium impoſuit: in provincias legatos dimiſit; qui, pro *Pompejanis*, (indè partim ultrò profugîs, partim ejectioni proximis,) eas auſpiciis ſuîs inſiderent. in *Sardiniam*, pro Marc. Cottâ Pompejanô, Q. Valerium: in *Siciliam*, pro Mar. Catone, C. Curionem, Proprętorē; & Aſinium Pollionem (poſtquā eò Cæſar jam Corfiniô, ſicut diximus, Domitianas cohortes pręmiſiſſet): in *Africam*, pro Varo, Tuberonéq;, partium adverſarum, eundem poſtea Curionē. In *Hiſpaniam*, adversùs M. Petrejum, & Luc. Afranium, erat ipſe Cæſar, paullò pòſt, cum C.

Fabio legato legionibúſque, profecturus. Donec autem ea, quæ deſtinârat, ac moliebatur, fierent: municipiorum Apuliæ Calabriæq; Duumviris omnibus mandata dederat; uti naves conquirerent, ac faciendas locarent: effectas verò, *Brundiſium* deportandas, agendáſve, curarent. Cum iis obtinere poſtea juſſit *Illyricum* maritimum, *Publ. Dolabellam*: cùm, eodem ferè tempore, provinciam eandem, Adriæ connexam, adminiſtrare juſſiſſet *C. Antonium*, Marci fratrem; & claſſi *maris inferi* præeſſe voluiſſet *Q. Hortenſium*, *Q. filium*: cętera mox ipſe *Romæ*, ſuum ad arbitrium, compoſiturus. Cùm enim ipſe, quantumvis inſequi *Pompejum*, &, illius (ut Curio poſtea Ciceroni ſignificavit) interitu, belli facere modum finémq; deſideraret; longi tamen fore temporis rem videret, tot navium, quot ad eam rem opus eſſent, ædificationē, & conductum: differre tantiſper *Macedoniā*, cōſtituit, at, ne quid ab *Hiſpaniis* adverſariarum virium in *Italiam* irrumperet, hanc omnium primò ſibi firmandam, & in fide ſua retinendam, exiſtimavit. Romam itaque (rerum, ac regionum, Arcem), cum legionibus ſuîs contendit: novis interim, quaquaverſum iter haberet, militum delectibus agendis naviter intentus.

Erat

Erat autem, cum cæteris quibuſdam, qui *neutrius* ſe *partis* exercitibus aſſociârant, adhuc in *Italia* M. Tull *Cicero*; nuper admodum (ut dictum ſuperiùs eſt) è *Cilicia*, quam Proconſulari poteſtate rexerat, imperatoris cum titulo, lictoribus, ac faſcibus laureatis, reverſus. Is, petere, de *Parthis*, ad *Amanum* montem victis, *triumphum*, inſtituerat: nec adhuc eam cogitationem, quoad de tranſitu maris ad Pompejum in Græciam conſtituiſſet, deponebat. *Inferi* porrò *maris* cuſtodiæ (ſicuti alibi dictum eſt) à *Pompejo* Conſulibúsq; præfectus; *Formiis* quidem, ut plurimùm, maritimó Tyrrheni littoris oppidô, vel in *Formiano* ſe ſuo, cum uxore *Terentiâ* liberíſque, *Româ* tandem evocatis, tenebat; aut, utut res ferebat, hàc illàc, in iis *Italiæ* turbîs, cum lictoriis illis itinerum impedimentîs, vagabatur: utpote, quibus, (traditô ſic à majoribus inſtitutô) *liberari*, niſi triumphô vel ductô, vel pénitùs dimiſsô, *non poſſet*. à *Cæſare*, potuiſſet; ſi, conficiendi per eum *triumphalis negotii* pactione, partes illius, & cauſſam, amplecti (quod à multis rogabatur) in animum induxiſſet. Noluit; vir, *Patriæ Reique publicæ*, quàm *commodorum ſuorum*, amantior: ídque, parvô quoque *Cicerone* (cui ſub idem ipſum

tem-

tempus *Arpini* togam puram pater dabat) aſſiduè ſubmonente; nequid pater, honoribus ac rebus anteactîs indignum, in hoc ancipiti conſiliorũ articulô, decerneret, aut admitteret. Petebat enim ab hoc interea per litteras, de via miſſas, *Cæſar*; ut, *ad Vrbem* eunti, prçſtò ſibi *Cicero*, (quemadmodum, & cæteros ejus ordinis ac dignitatis viros facturos, confideret) eſſe meminiſſet. Eo cognitô *Cæſaris* imperatô, *Titus Pomponius Atticus* Tullium, pro vetere, quam à téneris inter ſeſe coluerant, amicitiâ, præmonere per epiſtolas, non intermiſit: *Cæſaris rebus, & actionibus, ſicut huc uſque feciſſet, ità deinceps etiam, miſcere rationes ſuas, abſtineret. Ejus alloquium ſi defugere modîs artibúſque nullis liceret; in eo tamen congreſſu gravitatem, Cicerone, Patriæq; Patre, dignam, teneret: & ad Vrbem ne condiceret.* Vitavit *Cicero*, tum ſuapte prudentiâ, tum magis etiam *Attici* conſiliô confirmatus, (quoad potuit) *Cæſaris*, ac *Cæſarianorum*, cōſpectum. ſed neutrum evitavit. Nam & *Formiis* cùm eſſet; *Cæſaris* illàc omnis propemodum exercitus tranſibat. de quo *Tullius*, ad eundem *Pomponium*, illico ſic: *Ipſe Formiis* (inquit) *univerſos vidi. Cave, putes, quenquam hominem in Italia turpem eſſe, qui Cæſaris à ſignis abſit. Et antè*

quidem

quidem nôram omnes: ſed nunquam unô loco videram. Et alibi, non multò pòſt. *Quibus utetur (rogo) vel ſociis Cæſar, vel miniſtris? ſi provincias bi, ſi Rempublicam brevì, Cæſaris auſpiciis & auctoritate, regent: quorum nemo duos menſes potuit patrimonium ſuum gubernare?* νεκυία *denique* (ſicut Atticus primorum belli civilis temporum exercitum Cæſaris nominare ſolebat): hoc eſt, *Turba mortuorum! homines, ut plurimùm, jam antè vitiis ſuis perditi, turpes, æris alieni magnitudine dirupti: poſtea verò ſecum cætera quoque perdituri, fœdaturi, noviſq; nominibus conturbaturi:* quales, partim jam tum, partim & poſtea, Claſſitii, Ventidii, Caphónes, Saxæ, Tirones Numiſii, Muſtelæ Tamiſii, Lenticulæ, Bambaliones, Barbæ, Barbatii, Craſſitii, Petiſſii; cæterique. Cum his autem talibus, *Cæſar* (ut ad Marcum Tullium *Marcus Cœlius*, familiaris ejus, ſed Cæſarianorum ipſe quoque commilito, ſub idem ipſum tempus ſcribebat) *nihil, niſi ſævum & atrox, cogitabat. nec aliter quoque loquebatur; iratus,* (poſt abitum præſertim ex urbe, de quo paullò pòſt dicam) *Senatui: tribunitiiſq;* meliorum partium *interceſſionibus incitatior; nec ullum*, ſicut Cœlius exiſtimabat, *facturus ulli deprecationi locum.* Inter quæ tamen, neque cauſſæ melio-

ris propugnatores, (Pompejani), multò Cæſarianis meliores erant. Sicut enim *Cæſar* dicebat, Se *Marci Bruti Cæpionis, & Cn. Carbonis* (quorum utrumque *Pompejus* quondam occiderat) *pœnas perſequi; nihilq; ſe, C. Curione duce, facere, quod non & Pompejus olim, Syllâ feciſſet Dictatore:* ſic invicem Pompejus, direptiones fortunarum, exilia, mortes, intentabat omnibus; qui ſe, mare trajicientem, ſequi recuſâſſent, & in Italia remanſiſſent. *Syllaturiebat*, (ut loco quodam litterarum ad T. Pomponium libri noni, Cicero loquitur) *ac proſcripturiebat, animus illius, mirô modò; creberrimè gerentis odioſum illud in ore: SYLLA POTUIT; EGO NON POTERO? Pompejanorum* autem plerorumq; ſermones, *minaces:* mentes, Optimatium inimicæ; municipiorum hoſtes: in ore, merę proſcriptiones, meri Syllæ. quos inter, ſermones *Lucceji*, minęq; *Theophanis Lesbii*, pręfecti fabrûm, & plerorumq; *Græcorum*, intolerabilis cujuſdã faſtûs: nullius, in futurum, rei Spes, ex *Libone, Fauſto, Scipione*; quippe, quos *Cicero* vereretur, *ob æris alieni molem, ac magnitudinem, nihil ſceleris eſſe prætermiſſuros*. Denique, de totis illius partis caſtris, tam, hic idem, triſte ferebat præjudicium; ut & in procinctu jam profectionis ad il-

los trans mare, proclamaret, ipſo Pomponianarũ epiſtolarum libri IX. fine: *Furias ſe nunc ſequi, quas Furiæ fortaſſe ſint perſecuturæ*: Cæſarianos æquè, Pompejanóſque, notans. Redeamus tamen ad *Cæſarianos*: cum quibus, immo verò, ſuper quos, & *Marcus* erat *Antonius*, *Tribunus plebis* ille, Cæſaris mox *Proprætor*; &, qui diu, *Quæſtorio* titulô, munus illud, ac partes caſtrenſes, obierat, cujuſmodi gerunt ii, quos hodie *Commiſſarios* appellant *militares*, ſed plerumq; multorum cum invidiâ: nec infrequenter cum famæ ſuæ, ſeu verè commeritâ, ſeu falsâ, labe. Quod quidem ad Antoniũ attinet: agebat hic imperiosè. municipiorũ Duumviros, & Quatuorviros, ſepius verò municipes ipſos, extra magiſtratũ ullum conſtitutos, ſubinde *denos*, (& inter hos quidem, *Neapolitanos* etiam, *Cumanósq;*) litteris evocabat: ad villam eius, manè ſummô, venientibus, horas ipſe tres adhuc dormiendo, neceſſitatem imponebat, ad impatientiam uſque ſtandi foris; & *Antoniani* ſoporis finem exſpectandi. Cûm evigilâſſet tandem, ne diuturniore ſtandi morâ torquerentur, quos acciverat; *civilitate mirificâ* miſſionem illis dabat: reverti poſtridie jubebat: *alvo ſolvendæ* (ſit venia mihi, cũ Cicerone talia narranti!) *velle va-*

care

tare ſe: dein lavari. Cætera deinde, nec pauca, nec his minora, frequenter & abſurdiora, faciebat. Nam, aut fallor, aut hic eſt ipſe, quem innominatũ, *Mar. Tullius*, litterarum ad *Atticum* libri decimi quadam epiſtolâ, depingit. *Cytheridem eum* (aliquamdiu pállacam) *ſecum apertâ portare lecticâ ſolitum: tanquam alteram uxorem, ſeptem præterea conjunctas lecticas amicarũ*, velut ſecundi generis appendices; *quæ*, ſi non & ipſius, *amicorum* tamen *ejus*, *eſſent*. Quibus ſane verbis, ad litteram apicémque conſonant illa *Secundæ* poſtea *Philippicarum* Orationum, in *Marcum* hunc eundem, verba: quibus narrat; *Vectum in eſſedo Tribunumplebis* (Antonium, putà; quem illic plus nimiô nominat: & hic ſanè *Tribunusplebis* etiamnum fuerat illius anni, quo Cæſar, in Hiſpaniam, ut mox dicemus, profectus, *Antonio* conculcandam Italiam tradiderat): *anteiſſe lictores laureatos; inter quos, apertâ lecticâ portatã fuiſſe mimam: quam ex oppidis, homines honeſti municipales, obviàm neceſſariò prodeuntes, non illo notô mimicóq;* (Cyrhéridis) *nomine, ſed* VOLVMNIAM, *conſalutârint. Secutam continuò rhedam aliam, cum lenonibus; & comites nequiſſimos. rejectam autem Antonii matrem* (Juliam), *coactam fuiſſe ſequi, tanquam nurum ſuã, impuri*

puri filii caſtrenſem amicam. Quo loco, nihil intereſſe viderem inter hanc expeditionis *Antonianæ* narrationem; & illam, quam ex *Atticanis* epiſtolis adduxi, ſuperiorem: niſi poſterior omitteret, *ſeptem* conjunctas *amicarum* lecticas, quæ fuerint *Amicorum* Antonii. niſi præterea *Marcus Tullius*, in eâdem illâ *Philippicâ*, præſaretur, tempore flagitioſorum itinerum illorum *In Italia ſe non fuiſſe*: cùm interim, Antoniô Cytherideq; ſic prætervectis, haud procùl ipſe, ſeu *Formiis*, ſeu *Formiano* ſeceſſu, (quæ tamen *Italiæ maritimæ* loca pæne *media* ſunt) abeſſet. Conſtabunt tamen iſta, congruéntque ſibi percommodè: ſi, *Ciceronem* in *Philippica*, dicamus, locutum eſſe, non de *toto* tempore, ſed de *potiore* temporum illorum *parte*; quibus temporibus, & illa facta ſint ab *Antonio*, quorũ & alia poſtea complura narrat: & ipſe tunc in tranſmarinis regionibus ſit verſatus. Id autem ità dici, componíq;, narrationum in concordiam, oportet: niſi fateri velimus, *ingraveſcente jam ætate, memoriâ labi Ciceronem cœpiſſe*. cùm hic præſertim, & epiſtolarum ad *Atticum* libri decimi quartâ decimâ poſtea ſcribat, haudum profectus in Græciam; *Inter lictores Antonii, lecticâ portari mimam*.

Ad rem autem ut redeamus: Non effugit tunc Cicero pudendum illum agminum *Cæſarianorum*, ponè ſe, tranſitum. At neque *Cæſarem* effugit ipſum: quippe, cujus ſecum congreſſum colloquiúmque ſic breviter, libri noni quadam ad *Atticum* epiſtolâ, non procul fine libri, *Cicero* deſcribat ipſe. *Quòd facilem*, inquit, *eum* (Cæſarem ſignat) *putarâmus*; *feſellerunt illa nos. nihil vidi minùs* (facile). *Dicebat, inter cætera*; *Si Romam nos, ut ipſe poſtulâſſet, non iremus: damnari ſe judiciô noſtrô. Tardiores fore reliquos, Si nos, in his*, (hoc eſt, in eorum numerô) *non veniremus. Ego dicere*; *Diſſimilem illorum eſſe cauſſam. Cùm multa verò fierent ultrò citróq; verba*; *ſilentia, rursúmq; verba: tandem ille*; *Veni* (dixit) *igitur: & age de Pace. Meóne*, (reponebam ad hæc) *arbitratu? Cui Cæſar*; *Ego ſcilicet, inquit, tibi præſcribam? Tum ego*; *Sic, inquam, agam: In Hiſpanias iri, Senatui non placere: nec in Græciam exercitus tranſportari, placere: multáque de Cnejo Pompejo deplorabo. Tum mihi Cæſar*; *Hæc autem ego dici nolo. Prorſus ità putabam, inquam, ſed ego, propter hoc ipſum, adeſſe tantò minùs volo*; *quòd, aut Sic mihi dicendum eſt: aut abſenti ſilenda multa, quæ præſens ſilere nullô modò poſſem. Summa ſermonis alterni fuit: ut*

in eo manerem ego, Ne, ſicut ille contendebat, Ad Vrbem irem; & ille, colloquii velut exitum quærens, mihi diceret, Vti deliberarem. Non fuit id ei negandum. Adjecit ille, (ne dubitares offenſum): Si ſibi conſiliis Noſtris uti non liceret; uſurum ſe, Quorum poſſet: ad omniáque tandem eſſe deſcenſurum. In quæ verba, *Cæſar* in Puteolanum; Arpinum *Cicero*, diſceſſit: ne *Cæſari* quidquam, Reipublicę malô, ſuæque libertatis cum diſpendiô, gratificari cogeretur. In quo magnum enimverô *Marcus Tullius*, vir licèt *profanus*, & *Idololatra*, *Chriſtianus* etiam, conſtantiæ retinendæ documentum, exemplárque, ſe præbuit: quoties (ut ſæpe fit) aut dicere rogantur jubentúrve, quod dicere recta mens diſſuadet; aut facere, quod fieri, nefas fore, nôrunt. Salubriter gravitérque, ſeptimô ſuorum oraculorum capite, *Siracides*, in hæc erumpit dehortantis verba: *Noli quærere, (multóq; minùs fieri), Judex; niſi viribus animi, qui conſtantiâ præmunitus ſit, perrumpere valeas, & audeas, iniquitatem: ne fortè vultum extimeſcas Potentis; &, præcipitatione ſententiæ, contra rectum ac verum, in Leges, Jura, Deum, & exempli recti magiſterium, incurras.* Quæ divinæ Veritatis & Imperii tela, ſiquis ſibi perſuadeat, in ſola *Judicum forenſium*

tribunalia fuiſſe torta: meô judiciô, valde pro-fectò decipitur. Valent enim in omnes omnino, *ſacros* æquè, *ſacræq́ dignitatis expertes, quorum muneris eſt*, EGO SIC CENSEO, SIC SENTIO, SIC JUDICO, dicere. Valet in *Civilium* cauſſarum *cognitores*; in *Prætores*, ac *Proprætores*; in *capitalium* rerum *quæſitores*; in *omnes* eorum *cœtus*, qui ſub uno quopiam actionis, deliberationis, diſceptationis, *præſide*, capitéve ſummô, ſeu capitis ſupremi legatô, *judicum juratorum*, conſultorúmve, vel *Aſſeſſorum*, Jure, titulîs, ac nominibus, in cauſſæ diſcuſſionem, aut *rem*, *reúmve*, ſedent: nequid hi, ſeu *ſacri*, ſeu *ſacrorum expertes*, adversus animi ſui ſentẽtiam, maturâ ſibi deliberatione (quoad res tempúsque ferent) expenſam, proferant; ceu judiciũ, cenſuram, diffinitionémve *peremptoriam*. nec eorum effata, rationes, concluſiones, aliunde, niſi *Veritatis*, & candoris animi, *Conſcientiæq́* (ſaltem *probabilis*), liquido de fonte fluant. Hoc, majorum noſtrorum memoriâ, *Thomas Morus*, Anglorum regni ſupremis ſcriniis præfectus, in cauſſa ſedens *Henrici* regis, & *Catharinæ* reginæ, pro Regina contra Regem, fecit. Hoc idem, (etſi paullò poſteriùs) *Joannes*, *Roffæ* Præſul. Hoc in aliis alibi plures, ſed *haud ægrè nu-*

mera-

merabiles, alii. Valet autem illud idem, quod ex *Eccleſiaſtico* ſuperiùs adduxi, divinæ commonitionis *Edictum*, in *animarum* quoque *paſtores*, ac *divinarum rerum*, è templorum pulpitis, *explanatores*; vel mentium humanarum, in tribunalibus arcanis, arbitros. quorum omnium auctoritatis ac muneris eſt, *Inter virtutes, ac vitia, pronuntiare diſcrimen; de probè vel improbè factis, ferre Judicium; malè facta proſcribere, præmia verò polliceri rectarum actionum ſectatoribus: nec, in hoc, ullius vereri Potentis rugoſam frontem; aut adductum minacémq; vultum.* Quod ſi verò, vel ad hæc ſacra, vel ad illa generis alterius, *prætoria* rogati, tracti, compulſi, ſatis quidem eſſe ſibi, deprehendant, ad verum dicendum, firmitatis, & animi; non autem idem roboris fore videant, ad verum & rectum audiendum, iis, à quibus expetuntur: defugiunto munus, uti *Marcus Tullius*, uti Divus *Joannes Chryſoſtomus*, uti quidam alii (ſed nondum, opinor, innumeri) noſtrâ quoque tempeſtate, defugerunt. aut præmonento, denuntiantóq; ; *Non ſe mutos fore Canes: ſed Vitiorum, & furum, ac luporum, allatratores*; uti *Julio Cæſari* Marcus idem, quem dixi, *Tullius*; ut *Arcadio* Cæſari *Joannes* idem, quem modò nominavi, *Chryſoſtomus*, denuntiârunt.

Poſt hæc enim omnia, ſi nihiloſecius adhuc tuam urgere pergant libertatem, promendæque *Veritatis* audaciam; aut *non inferetur* eis *Injuria*, (quippe, ſic *Volentibus*); aut, ubi *nolle* cœperint: *aures* quidem tibi claudent; *fores* autem, ad egreſſum, aperient: ac, velut Iſraëlem Ægyptus, ad abitum compellent. Felicem ibi te! térque ſorte tuâ beatum! *Ipſis enim* (quod Ezechieli Deus dixit) *in Iniquitate ſuâ morituris*, *tu tuam Animam*, incomparabili quæſtu, *lucrifacies*.

Revertor autem ad eos, qui, vel in Conciliô Judicióve conſidentes, vel in intimis alienæ Conſcientiæ dirigendæ penetralibus conſtituti; Sententiam, Æqui Rectique fatalem, & unicam, manifeſtè perſpiciunt, vel Audientis contumaci pravitate diffiari: vel, nefariorum conſentiente diſſenſu, vi, factione, numeróve, ſuperobrui. quid facient hîc ſani Conſultores, Judices, Senatores, arcanorum, publicorúmve, fluctuum *naucleri*? Nimirum: aberunt à conſeſſibus; uti *Tullius*, hîs aliiſq; belli civilis temporibus, abfuit. Aberunt, ut annô, poſt initia belli *Pompejani civilis*, *octogeſimo ſecundò*, Joſephus *Arimathæus*, Decurio Senatórq; *Jeroſolymites*: qui, nefas exiſtimavit, non modò conſentire, ſed vel intereſſe, concilio Judæorum, &

Actis, perniciem Chriſto cudentibus. Quis eſt autem, cui non expeditior ſit, diſſimulatrix Abſentia, quàm offenſura Sententia? Finge tamen, Inexcuſabilem eſſe, congregatîs cæterîs omnibus, unius ſolius ſuî ſubtractionem. Quis hiſce talibus, ad conſcientiam liberandam, exitus aperietur? Nempe: quavis probabilî quęſitâ repertâve cauſsâ, muneris ſui miſſionē tandem petent. aut, eâ pertinaciter negatâ, fugâve per vim interclusâ; quibuſcunq; licebit, artibus, aut viîs, eam emolientur: & in tuto ſe conſtituent. Id, quod Divus *Raymundus Pennafortius* fecit; *Jacobum*, *Arrágonum* ac *Majoricæ* regem, inemendabilem, ità declinans: ut, etiam marî fluctus ſuos ad obſequium divinitus ſubſternente, non fugeret tantùm, ſed & evaderet. In ſummam! NON PLACET (ut vetus habet ſermo), nec *ſexus*, nec *ætas*, neq; *mens*, imbellior; QVÆ NIHIL NEGAT: quantò minùs igitur, *Virilis* maturitas? Contradicendum eſt *interdum*, etiam tolerabilia, (ſed præter ordinem,) petentibus: Improbis autem, Improbitatis ſuffragia vi molientibus, *Semper*. Quid enim opus eſt; *quò Gratiam ſerves alterius, tuámmet te Salutem evertere: bonum, dicendo malum; ac malum, pronuntiando bonum?*

Hæc ſuper *Ciceronis illo*, quod memorâram, *generoſo* profectò factô, non ſum arbitratus inutiliter hîc inſpergi, ſi non *debere*, certè quidem, *poſſe*. Quod equidem factum ejus, (cujus ipſe, locô non unô, ſuîs ad *Pomponium* litteris, ſignatè lętéq; meminit) non magis admiratus ſum, quàm ſtomachatus, à *Dione Caſſio*, non prætermitti duntaxat; ſed (quod multis partibus indignius eſt) penitùs explodi, reveráque proculcari: quando, Romanarum rerum librô quadrageſimo primo, *ſuiſmet* verbîs, quadrageſimo verò ſexto, *Q. Fufii Caleni* Satyricis criminationibus, *Ciceronem* proſcindentibus, *negat*; *Eum*, illô tempore, *Cæſaris ſubiiſſe vultum*: hæc enim *Græcæ* locutionis *Dioneæ*, vis eſt ac mens, eorum utrôque, quos ſignavi, locô. Sed profectò, *Dio Caſſius*, illas *Ciceronis* ad *Atticum* epiſtolas, (quibus, ſe *Cæſari* congreſſum, collocutum, & *ejus, adeò ſubiiſſe conſpectum*, narrat) vel legit nunquam; vel, legiſſe ſe, non meminerat: aut lectas, (ut *Græculus*) minùs intellexit; quippe, quæ non paucas habeant *apoſiopéſes*, eáſque quandoque ſubopácas, aut denique, quod deterrimum eſt, *malevolentiâ*, (quæ *Dioni*, neſcio cur, adversùs *Ciceronem* aſſidua, perpetuáque, tanquam inſitus quidam morbus, hæret) ex

com-

compoſito, deſtinatóque, narrationem *Tullii* candidam, detorſit in ſenſum, ac rerum ordinem, prorſus contrarium: ejúſque fidem, *Ciceroni* quodammodo penitùs abrogatam, robuſtô potiùs ipſe mendaciô, per ſummam impudentiam, evertit. quod, quomodo viris bonis æquíſque probaturus ſit; *ipſe viderit!* Cicero quidem certè (*quanquam Româ* tunc *abſens*) *Cæſarem* tamen *vidit*; quem *Dio*, longè pòſt natus, *non vidit*.

XXIII. *Cæſar* autem, inter hæc, ad *Vrbem* cum exercitu profectus; evocatum extra mœnia, pérq; *Marc. Antonium*, & *Q. Caſſium Longinum*, tribunos plebis, coactum, *Senatum* habet. Ab eo (poſtquam multis queſtus eſſet, de diverſi generis inimicorum, adversùs rem ac dignitatem ſuam, injuriis) poſtulat, ad *Pompejum* legatos ut mittant; *de Pace* tandem, toties fruſtra tentatâ, conditionibus æquîs ineundâ. Quod *Cæſaris* poſtulatum cùm nemo non probare videretur; qui tamen in ſe legationem illam ſuſcipere vellet, inveniebatur nemo: reformidantibus *Pompeji* congreſſum pleriſq; ; partim, quòd, adversùs præſcriptum ejus, ac latam ab eo, cùm abiret, conditionem, ipſi non in *Italia* modò, ſed intrà *Romam* etiam ipſam, re-

manſiſſent: partim, quia multis *Cæſar*, aliter *loqui* de Pace videbatur, aliter *ſentire*; clanculùmque, bellum atrocius machinari. Cùm igitur *triduum*, inter illam *Cæſaris* petitionem, ac *Senatûs* tergiverſationem, effectu nullo, tereretur: *Cæſar*, qui mallet, quando *publicam* non poſſet, (aut vellet), *privatam* ſaltem augere *rem*; nec, manibus omnino vacuîs, ab Urbe, nondum egenâ, recedere decrêſſet: contulit, ad *Ærarium* expilandum, reliquam omnem illius temporis cogitationem. Accedit id, magnâ ſuorum, & armatâ frequentiâ, ſtipatus. Intercedit huic audaciæ *Lucius Metellus*, Tribunus-plebis; Juvenis, ingentis & conſtantis animi. reclamat, prohibere *Cæſarem* aditu pecuniæ publicæ nititur. Leges, quibus ea res vetetur, profert, & opponit. adjicit, *Priùs ſe (cujus tamen poteſtas Sacroſancta ſit) violatum iri; quàm cõtingi, Conſulibus abſentibus, Ærarii penetrale paſſurum.* Contrà, *Metello* Cæſar; *Non idem*, (inquit) *armorũ, & fori Legúmq;, tempus eſt. Id ſi tibi dolet; ſecede ſanè paullìſper nunc, tribune. nec enim hanc obloquendi confidentiam Belli-mores admittunt. Cùm primùm autem, ab armis receſſiſſe nos, videris: ad Tribunatûs tui (per me licebit) oſtentationem redibis; ac, ſiqua ſunt hîc curiæ plebiſq; jura, defen-*

defendes. Simùl, hæc elocutus, & ad Ærarii portam propiùs accedens; ipſe per ſe *Cæſar*, opus, inſolentiæ plenum, aggreditur. Poſcuntur *claves*, reſpondetur; *Abeſſe claves: propterea, quòd Conſul abſit, L. Cornelius Lentulus; qui, cùm Capuã Brundiſiúmq; feſtinaret, eas unà ſecum abſtulerit.* Ibi Cæſar; *Res eſt*, inquit, *nec magnæ diſputationis, nec longæ moræ. Clave fungi, proxima quæque ſecuris poteſt.* Statímq;, de tabernâ vicinâ raptô furoris inſtrumentô, fores Ærarii moliri, ſeu fabri (quos accitos eſſe, *Plutarchus* tradit) ſeu ſatellites Cęſaris, incipiunt: eáſq; per vim effringũt. Refraganti verò, cúmq; clamoribus, adhuc opponerę legem ſuam, auctoritatémq;, perſeveranti, *Metello*, concuſſione gladii Cæſar mortem, ni quieſcat, intentans; *An ignoras* (inquit) *adoleſcens, id, quod tibi minitor, mihi dicere, difficilius eſſe, quàm exſequi? Peribis, in hoc veſtigio; ſi moleſtus eſſe perrexeris.* In hæc verba, rejectô per milites, & abſtractô per vim, *Metellô*, ſimùl & valvîs *templi* jam comminutîs; è *triplici*, quod ſuprà deſcribebamus, *civitatis Ærario*, tertium illud, quô *Gallici belli* cauſsâ congeſtum aurum aſſervabatur, invadit: unâq; rapinâ, (ne parciùs, quàm in primo ſuo Conſulatu, furaretur) *laterum aureorum*, ut Plinius auctor

eſt,

eſt, *viginti ſex millia, cum auri ſignati numeratiq; libris trecentis* (ϭϭ), aſportat: cauſſatus, *A ſe victo jam domitoque, Galliarum omni populo nomineque, non eſſe; cur, in metum casúmque belli Gallicani, deinceps aurum aſſervaretur.*

Hæc ità, quemadmodum, optimâ fide retulimus, eſſe geſta; præter multos alios, auctores ſunt, *Dio, Plutarchus* & *Appianus*: à *Cæſaris*, quam ipſe *libro primo Civilium* certaminum inſeruit, narratione quàm plurimùm diverſa: quippe, cujus hæc ſint verba. SUBJICITUR (inquit) ETIAM LUCIUS METELLUS, TRIBUNUS PLEBIS, AB INIMICIS CÆSARIS; QUI REM HANC (*legationis*, putà, *Pacisq; reducendæ*, negotium) DISTRAHAT: RELIQUASQUE RES, QUASCUNQUE TUNC AGERE Cæſar INSTITUERIT, IMPEDIAT. Hæc *Cæſar*. Sed, quam (oro) *rem? quas reliquas* tandē *res, distrahere Metellus, aut impedire*, juſſus, aut conatus, eſt? Nempe, nihil; prçterquā ſacrilegas *Cæſaris*, &, ut verè dicam, *Verrinæ* rapacitatis, *manus*: quas *Cæſar* dum prodere monimentis ſuis erubeſcit; in ventum, & inane, commentitias has verborum nebulas efflavit: ut *Veritatis* lucem obſcuraret. Subdit autem his deinde Cæſar: *Se, fruſtra* Romæ *diebus aliquot*

aliquot (ſex videlicet, aut ſummùm, ſeptem) *conſumptis*; *ne reliquum temporis omitteret, infectis iis, quæ deſtinâſſet agere, profectum ab urbe, Galliam ulteriorem petiiſſe*. Certè quidem, INFECTIS IIS, *quæ mente deſtinârat*! niſi, quòd aſportandæ pecuniæ publicæ propoſitum *inchoatum*, ſic *effectum* planè dederit; ut ad *Saturni* (quo loco fuit Ærarium) *Ærario Gallicano* nihil omnino reliquerit, præter *minas*: non *Atticas* illas, aut *Ægineticas*, ſed *Martiales*, militares, tyrannicas, adverſùm quoſcunque, quibus factum iſtud oneri doloríq; fuiſſet. Inter eos autem, Populus inprímis Romanus erat, univerſus. Erat, *Senatus* ipſe; paucis admodum exceptis. Erat etiam (licèt tacitè) *Cajus Curio*, Cæſarianæ cauſſæ notiſſimus ille nuper *Signifer*: qui, poſt *Cæſaris* ab Urbe diſceſſum, ad *Marcum Tullium Ciceronem* veniens, inter cæteras, partim Romanæ plebis, partim ſuas, de *Cæſarianis Actis*, querelas, ei retulit; *Propiùs nihil eſſe factum, quàm, ut Cæſaris, in iracundiam prorumpentis, imperiô Metellus, tribunusplebis, ad Saturni trucidaretur. unde cædem multitudinis, herculè magnam, utrimque fuiſſe ſecuturam: ejúſque cædis, multos eum ſecum hortatores circumducere. Cæſarem autem ipſum, nec naturæ, nec voluntatis,* pro-

propenſione, non eſſe crudelem; ſed ideò duntaxat quòd exiſtimaret, Nihil eſſe Clementiâ popularius, ac plauſibilius. quocirca, ſimulac, populi ſtudium atque plauſum amiſiſſe ſe, perſpecturus eſſet; Truculentum eum fore. Jam autem id in foribus eſſe. perturbatum enim animo factũ eſſe, quòd intelligeret; Etiam infimam & egenã apud plebem, ob effractũ & exhauſtum Ærarium, offendiſſe ſe graviter: graviùs autem, in intentata Tribunoplebis nece. Quare, licèt antea penitùs animo conceptum habuiſſet; ante profectionem ſuam, ad Quirites concionari: cognitô poſtea tantô ſuî faſtidiô, *quin & odiô, concionari non auſum: odiôque populari jacentem, & bonis iratum, diſceſſiſſe: nullò ſuî ſtudiò, plauſu nullo.* Dicebat ergo Cicero: *Sex intrà vel ſeptem dies, eum utriuſque feciſſe jacturam; ac, præter hæc, Simulationis Duarum rerum luculentiſſimum naufragium: Manſuetudinis* (de qua gloriari Cęſar, litterîs ad Ciceronẽ, & aliîs, ad Oppium ac Balbum datîs, gaudebat); ac *Divitiarum*: quarum antea famam collegerat, imperioſâ per annos *novem* Galliarum direptione. Tunc ergo, *Manſuetus* eſſe, credi deſierat, ob *Metelli* vexationẽ: *Dives*, ob theſauri publici furtũ. Quare, tum *Populus* eum odiſſe cœpit; odiúmq;, theatralibus etiam ejus punctionibus, ſignificare: tum autem, *legiones*

quo-

quoque, quas, antè paullò, contraxerat in *Italia*, deprehendebantur à perſpicacibus, ab eo non abhorrere tantùm, ſed ab illo penitùs, (ut tunc res erant) alienari. quarum exemplô proinde ne *veterani* quoque trahi tandem inciperent; timeri meritò poterat: ſi præſertim *Cajus* etiam *Curio* (quod à nonnullis facturus eſſe putabatur, ſi grandem educere *Pompejus* claſſem maturâſſet) ad partes adverſariorum tranſiturus eſſet.

Quibus ex rebus elucet; *Neminem facilè totis fieri multitudinibus invisum: qui non, improbitatis apertô theatro, prior ipſe ſuamet eſſe famæ cœperit Inimicus.* Id, quod *Inſatiabilibus* præſertim, ac, præter hos, *Ambitioſis*, uſû venit: *qui gaudent, imperium imperio connectere; regimen ex regimine ducere; vitámq́ privatam, ſuam exiſtimare mortem:* utì *C. Cæſar* fecit; & ambitionis ejus imitatores, in hunc quoque diem, facere non reformidant. *Non debet non Omnibus exſecrandus videri, quiſquis Vnus ſuper Omnes ſpectari ſemper, elaborat: nec placere cuiquam diu poteſt is, cui, præter fulgorem & aurum, placet nihil.*

XXIV. *Cæſar* porrò, relictâ tantiſper (utì dictum eſt) *Româ*; ſuperatîſque, ſicut antè jam ſæpe, jugis & anguſtiîs *Alpeſtribus*: in *Galliam Vlte-*

Vlteriorem primò deportavit exercitum. Protinus autem in *Citeriorem Hiſpaniam* feſtinavit, quâ domitâ, cogitabat & in *Vlteriorem*. Earum verò regionum imperium omne, (ſed inter ſe divisũ), *Cn Pompeji* nomine,legati *tres* obtinebant: *Luc. Afranius*, *Marc. Petrejus*, & *Marc. Terentius Varro*. quorum priores *duo*, citò ſe, copiarum *Cæſaris* adventu nuntiatô, conjunctis ad *Ilerdam*, Ilérgetum oppidum, caſtris, conſociârant. In ea *Cæſar* expeditione, claudentem ſibi portas, *Maſſiliam*, Galliæ *Narbonenſis* maritimam urbem, (quæ *Lucium* tamen *Domitium*, Pompejanarum partium ducem, & à Cæſare nuper ad Corfinium dimiſſum, receperat,) oppugnare, primùm ipſe per ſe, cœpit instructus legionibus tribus, &, è terra continente turribus operibúsq; conſtitutis, infeſtus. Mox autẽ eandem urbem *è ſicco*, per *C. Trebonium Legatum*, *ex unda* verò per *Decimum Brutum*, infenſavit. Abſens porrò, ſemel iterúmque, præliô navali ſecundiſſimô, cum *Domitii*, *Luciiq;* *Naſidii*, claſſe commiſsô; poſtea *Maſſiliam*, rebus omnibus ſubactam, adegit in leges, ac neceſſitatem, deditionis. Interea verò, *Caji Fabii*, legati, (quem tribus cũ legionibus præmiſerat) virtute, præſidium hoſtium *Pyrenæis* è ſaltibus, quibus adiri ne-

iri neceſſe fuit *Hiſpanias*, deturbat. Ad *Ilerdam* autem collocatîs, adversùs *Afranium*, ac *Petrejum*, caſtrîs; aliquamdiu cum iniquitate fluminum *Sicoris* atque *Cingæ*, cum tempeſtatibus item atrocioris cœli, cum frumentationum interclusionibus, cum hoſtium, aliàs apertîs, aliàs perfidîs, incurſibus, plurimîſque cæteri generis difficultatibus, conflictatus: ad extremum (exigui ſpatiô temporis viciſſim interclusos itinerum, & aquationum, commodîs,) *Afranium* ac *Petrejum*, cum *legionibus*, utì *Livius* numeravit, *ſeptem*, in deditionem accipit: ad *Pompejum* liberos eos, inviolatóſque, (dum clementiæ famam captat) remittit: *Marc. Varronem*, & *Caj. Gallonium*, Gadibus, & adminiſtratione *remotioris Hiſpaniæ*, decedere compellit: iis, *Q. Caſſium*, Tribunumpl., ad *Hiſpanias* coërcendas, ſufficit: ipſe *Conventus* populorum *Cordubæ*, *Tarraconéque*, cæterîſque Provinciæ locîs, agit; omnia, diebus haud plurib. *Quadraginta*, poſtquam hoſtium in conſpectum primò veniſſet. Ea, primô ſecundôque Civilis belli librîs, *Cæſar* ipſe, fide, mihi quidem, vix uſpiam dubiâ, tradit: & apud eum idcirco, *Veritatis* inoffensô veſtigiô, legi percurrive poſſunt. Id addunt alii, *Dione Caſſio* præeunte: Cùm univerſam vi-

ctor *Hiſpaniam* obiret; nullo quidem cuiquam illatô genere detrimentorum aliô, pecuniam tantummodo maximam, infinitîs undequaq;, per gentes & urbes, exactionibus, *Cæſarem* confeciſſe. Nimirum, cùm & *Romam* exhauſiſſet, incredibilis acervi rapinîs; & in hac ipſa, de qua loquimur, *Hiſpanienſi* per *Celtiberiam* expeditione, grande ſumpſiſſet mutuum, à tribunis centurionibúsq; ſuîs, (quemadmodum ipſe refert) aurum: inter aſſidua tamen furta, deprædationes, verſuras, adhuc ſemper egebat! ut adeò *Rapaci, tam id, quod habebat, quàm illud, quod nondum habebat, deeſſet.*

Dum autem ea, quæ retulimus, à *Cæſare* geruntur ad *Maßiliam*, *Ilerdam*, & ambabus in Hiſpaniis; *Marcus Tullius Cicero*, tantiſper in *Italia*, circùm *Formias* ut plurimùm, & in ſuo *Formiano*, cum uxore *Terentiâ*, duobúsq; liberîs, ſedens, in occaſiones omnes, maris primô quôq; tempore trajiciendi, mentem acuebat: ſemper, ut *Avis* illa *peregrinatrix*, hyemis exul, (quâ ſimilitudine ſuum *Attico* deſiderium explicare ſolebat) æquor proſpiciens: ecquando ventus, ad navigandum opportunus, allaberetur? Cogitârat autẽ, primîs deliberationis ſuæ temporibus, aliquouſque, *Melitam*, mediterranei

nei maris, inter Siciliam & Africæ littora jacentem, inſulam: paullatim deinde, *Siciliam* ſimùl ipſam; in quarum alterutrâ, vel, ibi ſi non poſſet, alicubi terrarum quopiam aliô locô, vel quovis in oppidulo, non autem *in caſtris*, multôque minùs *in acie*, cum lictoribus ſuis, ac faſcibus laureatis, verſaretur. Satis enim ſe præſtiturum officii *Pompejo* Conſulibúſque, rebatur, eâ ratione; ſiquando tandem, ſicut ii diſcedentes ei mandârant (ut *Dio* dicit), ad *Pompejum*, & in *Græciam*, ac *Theſſalonicam*, ſeriùs citiúsve, perveniret. Interea contendebat, ut, quantâ poſſet, celeritate, captam jam, & occupatam à Cæſarianis, *Italiam*, unà cum hoſtili factione, relinqueret: quò tantò remotior eſſet à fulmine tempeſtatis bellicæ partium deteriorum; quantò longiùs ab *Injuſtioris Cauſſæ* ſede, Regiâque, diviſus. Poſtea tamen à *Mélitæ* cogitatione *Corn. Balbi* ſermone deductus; ejus quidem detrimenti dolorem ex animo celeriter ejecit, ac facilè: non perinde facilè, *Siciliæ* quoque jacturam, utpote, minùs ipſi, cæteríſque *Pompejanis*, exſpectatam; & conſiliis ſimùl *Ciceronis* ſingillatim inimicam, ac damnoſam. Quo proinde factum eſt: ut imperare ſibi non potuerit, quò minùs, illius amiſſæ pro-

vinciæ pudendam indignitatem deplorans, in *Marc. Catonem* cõjiceret culpam; ceu, ſibi, ſuæq; fugæ ſociis, pernicioſam. *Potuiſſe Catonem* (ait ad *Pomponium*, libri decimi prope finem,) *nullò negotiô tenere Siciliam: &, ſi tenuiſſet, ad eum bonos omnes fuiſſe confluxuros. Illum autem, bis inſuper habitis, Syracusis eſſe profectum*, (quod *Cato* ſanè fecerat, in *Corcyram* primùm tranſiens, ut indè poſtea trajiceret ad *Pompejum* in Macedoniam) *ante diem octavum Calendarum Maji*. cujus rei certiorem à *Ca. Curione* ſe factum, ait: addítque; *Si Sardiniam ſaltem Marcus Cotta retinere pergeret, utì rumor teneret* (paullò pòſt tamen falſus): *turpem fore Catonem*. Ac profectò *Cato*, ſi paratior ab exercitu, claſſe, cæterîſque *Siciliæ* tuendæ præſidiîs, fuiſſet; videri poterat, non omnem ignaviæ timiditatíſq; notam effugere debuiſſe. *Caji* namque *Curionis*, à *Cæſare*, (ſicut alibi diximus) in *Siciliam* miſſi, cognitô, cum navibus & copiis, adventu: queri *Cato* cœpit de *Cneji Pompeji* conſiliis, ac bellô, ceu parùm neceſſariô; déque neglectim præparatîs ab eo belli ſubſidiîs: cùm æquius, tempeſtiviúsq;, fuiſſet, eum tunc in id curas omnes convertere; quo pacto *Curionem* aditu Siciliæ prohiberet. Cùm autem, idem ſub tempus, *A-*

ſinius

ſinius quoque Pollio, miſſu *Cæſaris*, ſuperveniſſet, ut in adminiſtrandis *Sicilienſibus* rebus, proximas à *Curione* partes ſuſciperet: primò quidem, ſciſcitari *Cato* de *Pollione* cœpit; *Vtrúmne, provinciam alienam invadens, Senatûs aliquod decretum, an Populi Romani Scitum, afferret?* Pollione verò reſpondente (quod *Appianus* ait); *Illius, qui tunc Italiam teneret, auctoritate ſe miſſum, de cæteris magnopere non laborare:* Cato, *negans, id tempus eſſe vindictæ, cum Siculorum vaſtitate proſequendæ*, minatúſque, *poſtea ſe, rebus tranquillioribus, eam eſſe proſecuturum*; è provincia profûgit.

Sed ad *Ciceronem* ut redeam; cōſtituit is, cùm ex *Hiſpania, Maſſiliâq́*, de *Cæſare* rumores quotidie ſecundiores afferrētur, ad ipſum ſe deniq; *Pompejum* rectà conferre: ſecus, ac *Cornelius* eum *Balbus*, & *Oppius*; *Marcus* item *Antonius*, *Marc. Cœlius*, *Publ. Dolabella*, gener, & ipſe *C. Cæſar* per litteras, frequenter hortabantur. Opus igitur erat *Ciceroni*, ſolertiſſimâ propoſiti ſui latebrâ. Quô conſiliô, (ne videretur idipſum agere, navigationum opportunitate, Formiarum ad littus, captatâ) mutare locum; ac, ſimulatione remanſionis, ſuum in *Pompejanum* aliquantiſper (tanquam illic æſtatem acturus),

ſeſe transferre, conſtituit: reipſa verò, *nocturnis* poſtmodum *viis*, ad portuoſa *Tyrrheni* maris littora reverti. Jámque tempus inſtabat navigationis; & animi ſtimulabat impetus, ac timor: ne forte, diuturniore cunctatione, ſuſpectus *Pompejo*, quaſi *Cæſaris* ad partes transfugiturus, redderetur. Sed navigationis maturationem, nec pauca, neque levia, retrahebant impedimenta. *Tulliæ* primùm, filiæ *Ciceronis*, immaturus partus: ſeptimeſtris, & imbecillus, nepos: invaletudo ſubſecuta puerperę; paternęq́; charitatis, in eam diſtricta, cura. *Terentiæ* deinde, conjugis (quæ prædia *Ciceroniana*, magnam partem, adminiſtrabat), ad viaticum viro præbendum, ſordida tenacitas, & incuria. Tempeſtatum inſuper, & auræ maritimæ, furor: ipſiúſque maris, nunc plus nimiô commoti, nunc autem immodicè tranquilli, doloſa fides; quippe, vehementer, ſub fugæ tempus, perturbatô *Veris æquinoctio*: quod in illius anni diem, ante *Calendas Junias*, decimum ſextum, (hoc eſt, *Maji* menſis decimum ſeptimum) incidebat. Quod quidem quis hodie non miraretur? niſi, cui conſtaret è *Suetonio*; Faſtos Romanos, ante *Ca. Julii Cæſaris* perpetuam Dictaturam, Pontificum idololatrarum vitiô, fuiſſe quàm confuſiſſimos.

ſiſſimos. Sed omnibus,& maris,& aëris,atque cœli,minis turbidiores erant, in inhibendâ *Ciceronis* navigatione, Cæſar,tunc *abſens*, & Marcus Antonius,in Italia *præſens*: necnon Antonianæ, quæ *Ciceronem* circumvallabant, cuſtodiæ; genus hominum,venaticum, & ex omni quadruplatorum, ſpeculatorum,delatorúmq; farragine conflatum. *Marcus* enim *Antonius*, (ut,qui gloriari crebrò ſoleret,*Latronum Cæſaris omnium*, ab ipſomet Cæſare, *delatum ſibi fuiſſe principatum*, quoties ipſum ab *Italia* contingeret abeſſe); jam tum,ex eo tempore, quo profectus in *Galliam tranſalpinam* Cæſar fuerat, *Ciceronis*, de trajectu maris, conſilium odoratus: hîs ad eum verbîs, ſanè quàm imperiosîs, litteras expedierat. *Tuum* (diſceſſionis) *conſilium, quàm verum eſt! Nam, qui ſe medium eſſe vult* (id eſt,neutrarum partium,) *in Patria manet. qui proficiſcitur; aliquid de alterutra parte judicare videtur. Ego tamen is non ſum, qui ſtatuere debeam, jurè quis proficiſcatur, nécne? Partes mihi Cæſar has impoſuit, Ne quem omnino diſcedere paterer ex Italia. Quare, parvi refert, me probare cogitationem tuam; ſi nihil tamen tibi remittere poſſum. Ad Cæſarem mittas, cenſeo: quódque facere cogitas, id ab eo petas.*

Poſt hanc *Antonius* epiſtolam, ad *Ciceronem* miſſam adjecit ſermoni, quem habuerat ad *Trebatium*, Ciceronis amiciſſimum; *De Cicerone nominatim ſibi præceptum à Cæſare, ne dimitteret eum ex Italia.* Quod novum, ſeu *verè* Cæſaris, ſeu *confictum* ab Antonio, mandatum, in tantas, non ſinè lacrymis, curas & angores *Ciceronem* conjecit; ut, quò ſe verteret (undique nempe cuſtoditus) ignoraret. Unde fiebat; ut is, qui *Ciceronem*, aliquot pòſt annîs præterlapsîs, *interfecturus* erat, hîs tot, ac tam gravibus, illatîs ei moleſtiis & terroribus, illum *occidere jam tum* incipere, videretur. Id autem tantò ferebat indigniùs *Cicero*; quòd ad eum, *non-dimittendi-ſuî*, rigorem, haud parùm contuliſſe crederetur C. *Claudius Marcellus*, ille nuper *Æmilii Pauli* Conſulis Collega: qui, confirmâſſe *Marcum Antonium*, in ſententia *retinendi* Ciceronis, exiſtimabatur; ne ſolus ipſe, vel certè præ cæteris, *turpis*, inter *remanſores*, appareret. Hic enim *Marcellus*, è *Conſule* nuper, adversùs *Cæſaris* cauſſam & corruptelas firmiſſimô, poſt hæc eò redactus erat imbecillitatis, animiq; mollitudinis; ut eum, *Fuiſſe conſulem*, pœniteret. Quod ipſum imbellis animi probrum, in *Marco Lepido*, (*levis* animi ſemper ſuſpectô, virô)

rò),*Servio Sulpitio*, *Servilio*, cæteriſque quibuſdam, mirandum minùs erat: quippe, *Cæſari* ſemper, etiam antehac, addictioribus; cùm è contrario *Marcellorum* omne vulgò nomen, ac genus, averſum ab eo conſtanter eſſet.

Sed hîs interim impedimentîs exemplîsq; contemptîs, *Cicero* nihilô ſecius ſibi conſtitit: & in *Græciam*, ad *Pompejum ſuum*, rebus, ac neceſſitudinibus ſuîs omnibus, in *Italia* relictîs, navigavit: lictores duntaxat, faſcéſque, ſecum trahens eò locorum, ubicunq; *Pompejum*, & Conſules, inventurus eſſet. Abitûs autem ſui cauſſas, ac rationes, tametſi *Marco Catoni* nunquam probârit (ut, qui cenſeret, *Plus eum, ſi neutras amplexus partes fuiſſet, Amicis, ac Patriæ, fuiſſe collaturum*): probavit tamen ſibimet ipſi, datis ad *Titum Pomponium* epiſtolis paſſim inſperſas. Ejus generis ſunt illa, libri noni: *Vidiſſe ſe Pompejum ad decimum quartum Calendarum Februarii, plenum formidinis: nec unquam eum ſibi poſteà placuiſſe; nec unquam aliud in alio peccare deſtitiſſe. nihil feciſſe dignum, cur ejus fugæ ſeſe comitem adjungeret. Poſt fugam autem ejus, & transmarinam expeditionem, tunc demum amorem emerſiſſe Pompeji: tunc demum ejus ſe ferre deſiderium non poſſe: tunc jam, nihil libros, nihil litteras,*

nihil doctrinam, prodeſſe. Dies igitur, ac noctes, mane ſe proſpectantem, evolare cupere.

Traxit igitur eum impotens quædam, erga *Pompejum*, magis *abſentem* quàm *coràm agentem*, charitas,& amor. *Traxit*, æquioris cauſſæ cogitatio: reputantem apud animum ſuum; Si caſtris res gereretur, Cum altero (*Cnejo* videlicet) vinci ſatius eſſe, quàm cum altero (*Iulio*) vincere. *Si ſuperarentur boni* (volebat hoc nomine deſignatos Optimates); *ubicunq; terrarum eſſent, unà cum illis ſuperari, præſtabilius eſſe*: cùm *Cæſarem* vulgò peſſimus quiſque, cum *Antonio*, (velut in *Secunda* deinde *Philippicarum* adnotavit) *unicum in terris egeſtatis, æris alieni, nequitiæq́, perfugium eſſe, duceret*. Quocirca *facturum ſe, dicebat*, (ſeptimô *Pomponianarum* epiſtolarum librô) *quod Pecudes; quæ, diſpulſæ, ſui tamen generis ſequantur greges. Vt bos Armenta, ſic ſe Bonos viros, aut eos certè, qui Boni dicerentur*, ETIAMSI RUERENT, *affectaturum*. Partis autem illius *Juſtiorem* ſe cenſuiſſe, ſeu *rem*, ſeu *colorem*; in ea, quam crebriùs uſurpabat, querelá, ſatis expreſſit: cùm lamentaretur; *Rem miſeram! Malas Cauſſas Pompejum obtinuiſſe ſemper*: IN OPTIMA, *concidiſſe*. quæ verba, fine libri ſeptimi litterarum ad *Atticum*, ingenuè *Tullius*, expreſ-

ſeque,

ſeque, profundere, non dubitavit. *Traxit* eundem porrò, beneficii, quô revocatus ac reductus in patriam operâ *Pompeji* fuerat, officioſa memoria; memoriæq́;, cæterorum etiam inſita mentibus, opinio: *Nequis eum putaret Ingratum, ſi ſequi caſtra conſervatoris ſui recusâſſet.* Quò pertinet illud quoque, *Pomponianarum* epiſtolarum quâdam, librô nonô, conſignatum, *Ciceronis* effatum, quô dicit; *Beneficium ſequi ſe* (putà, *Pompeji*, Ciceronem reſtituentis), *non Cauſſam:* haud ideò ſanè, quin *Cauſſa Pompejana* videretur ipſi *Bona*; quoniam eam ibidem appellat *Optimam*: Sed, *quòd futurum eſſet, ut ageretur ea fœdiſſimè.* Putavit, ad ſummam deniq;, Cicero; *Sic Pompejum de ſe meruiſſe, difficillimis illis exilii ſui temporibus; ut mentis Ingratæ crimen ſubire non auderet.* Traxit autem præterea, rapuitq; *Tullium* trans mare, *tædium* quoddam, & *odium, Eos, & ea, videndi; quos, & quæ, Cæſariana factio ſecum trahebat.* Igitur, tametſi *Pompeji* res non omnes probaret; minimè verò gentium, poſt ignominioſam illam ex *Italia* profectionem: aut, ſi certè *Pompejum* mallet, *Pompejum* tamen *illum*, qui quondam *fuerat*, aut fuiſſe videbatur; non eum, *Qui priùs fugeret, quàm ſciret, quem*, aut quò, fugeret: De ſe nihiloſecius

nau-

nauſeâ Cæſarianarum actionum incredibilî, decretoriè ſtatuebat: SE, QUEM FUGERET, HABERE. QUEM TAMEN INTERIM SEQUERETUR (niſi priſtinum *Pompejus* animi robur reſumeret) NONDUM HABERE. Fugiebat ergo *Tullius*; & horrebat præſentis rerum ſtatûs, in *Italiam* culpâ Cæſarianorum introducti, miſerum conſpectum; priùs, quàm *Pompejanorum* diligeret caſtrorum intuitum. Quanquam autem, *Ciceronis* in *Græciam* adventus Cn. Pompejo, cæterorúmq; permultis, gratiſſimus accidit; ad rei tamen ſummam haud adeò multùm contulit: cùm & *parùm*, potiúſque *nihil*, illius, de *Compoſitione Pacéque*, verba proficerent; & ipſe, dies ac menſes totos in caſtris auſterô vultu circumiens, faciē circumferret, *illum futuri certaminis apparatum improbantis*: cùm item, aliàs quidem dicacitate ſuâ, ſtomachum nonnullis; aliâs verò, facetiîs intempeſtivîs, riſum, audientibus importunum, moveret: MILES ipſe, LINGUA, QUAM GLADIO, PROMPTIOR inventus; Liviíq; judiciô, NIHIL MINUS, QUAM AD BELLA NATUS.

XXV. Dum autem hæc, non in *caſtris* modò, ſed & paullò priùs, partim in terris Itali-

cis,

cis, *inter Ciceronem*, & *Marc. Antonium*; partim in *Hiſpaniis*, & ad Maſſiliam, à *C. Cæſare*, geruntur: *Cn. Pompejus*, ad *Dyrrhachium*, & in *Macedonum Epirotarúmq;* regionibus, confirmabat, augebátque, ſuum in dies exercitum; auxiliorum præſertim *Orientis* affluxu. Cùm autem, præter eas, quas habebat Dyrrhachii, copiarum ſuarum partem magnam Berrhœæ quoque collocâſſet, oppidô *Macedonum*, quod ad *Cythárium* montem ſitum erat: vir ipſe, *duodeſexaginta* quidem, & ampliùs, *annorum* natu; per ſe tamen ipſe, nec alienô duntaxat miniſteriô, formabat eos ad militiæ diſciplinam, ac robur. Utque, juniores maximè militum, accenderet exemplô; cum *peditibus* quidem quotidie concertabat curſu: quin & jaculi conjectu; quô valentiſſimi cujuſque de juvenibus impetum, aut æquabat, aut etiam ſuperabat. cum *equitibus* autem, equorum incitatione perníci, ſic contendebat; ut, & in eos utrimque, de planô ſolô, perquàm agiliter inſiliret: ac, dum effunderentur in curſum, nullô negotio vaginâ nudaret enſem; eúmq;, ſic ſtrictum, (nec ad veſtigium quidem inhibitô jumenti curſu) reconderet in eandem: promptitudine, quæ pæne ſupra fidem eſſet. Ità ſpectaculo, tam ſuis, quàm

quàm ſociis,& auxiliaribus, jucundiſſimo, *Pompejus* erat. Quibus tamen ipſis in rebus, aut nihil, aut vix aliquid, adverſariorum à parte, *Cæſar* ei concedebat: frequēter equo ſe cōmittere ſolitus, in curſum effuſiſſimo; rejectis in tergum, ibíque colligatarum inſtar connexis, manibus. *Pompejus* autem, præter hæc, etſi multùm ad *Dyrrhachium*, frequens item Berrhœæ, verſaretur: tamen, ne *Theſſalonicæ* quidem, rarus erat. Eam enim in urbem *Conſules* ſeſe contulerant; unà cum *Prætoribus*, & *Conſularibus*, iíſque cum *Senatoribus*, qui mare, cauſſam eandem ſecuti, tranſierant. Eò nonnullam *Romæ*, Reipublicęq;, formam & imaginem, ſecum tranſtulerant. Ibi tametſi Lentulus ac Marcellus eam, cum qua Româ venerant, dignitatem, nomine tenus, retinerent: re tamen ipsâ, penès Pompejum Summa rerum, & forenſium, & bellicarum, erat. Qui tamē, ſub idem ipſum tempus, eádem operâ, claſſi quoq; quàm maximæ comparandæ, ſtudebat. Partem autem hujus, ædificabat ipſe; cæsâ convectâque, maritimas ad oras *Ionii Sinûs*, & *Epiri*, materie. Partem verò maximam apparabant, *Pompeji* voluntati ſervientes, tranſmarini reges, ac gentes: *Ægyptus*, *Syria*, *Phœnicia*, *Cyprus*, *Aradus*, *Sidon*, *Tyrus*,

Tyrus, *Colchis*, *Pontus*, *Aſia* Minor, nominatímq *Cilicia*, *Bithynia*, *Pamphylia*, *Lycia*, *Rhodus*. *Chio*, item, *Cos*, *Lesbos*, aliæ *Cyclades*: *Corcyra*, *Byzantium* urbs, *Athenæ*, *Miletus*, ac *Smyrna*. quarum pleraumq; *Cicero* quoq; meminit, *Atticanarum* epiſtolarum nonô librô. Cæterùm (ut hoc obiter, ſemélq;, commemorem) epiſtolas illas, certum ad numerū ſingillatim reducere, quoties teſtimonium earum afferendum eſſet; ex ea cauſſa difficile fit: quòd, diversîs in exemplaribus, diverſa reperiatur earum ordinis diſpoſitio; ſicuti, veteres, ac recentiores, earum exſcriptores experturo, conſtabit. Quô fit; ut tutiùs paſſim, auctoritatis cauſsâ, *liber*, quàm epiſtolarum *numerus*, adducatur.

Sed ad Claſſem *Pompeji* redeo; quam per id tempus apparabat, & undequaque (ſicut demonſtravi) cogebat: *longarum navium*, numerîs omnibus inſtructiſſimarum, non pauciores *ſexcentîs*; quarum, *Centum* erant ſociorum navalium Romani ſanguinis, & diſciplinæ: cæteræ, nautarum & claſſiariorum *Orientis* exercitatiſſimorum. *Onerariarum* verò *navium*, quæ commeatum, materiem, apparatúmq; belli ducendi varium, ſubveherent, multitudinem habebat immenſam. Eóq; rem paullatim deduxerat;

xerat: ut *Claſſis Invictæ* (ſicut eã, in *Pompejo* ſuo *Plutarchus* vocat) nomine, vulgò navium illius numerus, & robur, audiret; neque nihil laboris ea *Cæſarianus* præberet: quippe, toti maris *Ionii* littorali tractui, *Macedoniam, Chaoniam*, & *Epirum* versùs, prætenta; quò *Cæſaris* ex *Italia* trajectum arceret, & excluderet. Iis autem *navibus*, diverſos maris in locos, ac certos in ordines (velut acies) diſtinctis, præerant; ſingillatim *Ægyptiis*, Cn. Pompejus, Magni filius; *Aſiaticis*, Decius Lælius, & Cajus Triarius; *Syriacis*, Ca. Caſſius; *Rhodiis* ac *Cycladicis*, Ca. Marcellus, Marci Filius, & Cajus Coponius; *Liburnicis*, & *Achaicis*, Lucius Scribonius Libo, cum Marco ſimul Octavio: quem & Dolabellam Appianus cognominat. Univerſis autem his, & ducibus, & navibus, *Marc. Calphurnius Bibulus*, Cæſaris, in illo quondam diſcordî Conſulatu, Collega, præſidebat: ut, ad quem tunc adminiſtrationis maritimæ ſumma ſpectaret. Sic enim hæc omnia *Cæſar* ipſe, ſub initium libri tertii *Civilium*, explicatè tradit: de *Marco Catone*, ſive brevitatis, ſive partium ſtudiô, referre diſſimulans. de quo tradunt alii; cogitâſſe *Pompejum* initiò, *claſſis* hujus ipſius *Præfecturam* ipſi potiſſimùm, ac præ cæteris omnibus, committere: ſuperq;

tali

tali conſiliô, cum eodem jam agere cœpiſſe. Deſtitiſſe tamen ab ea cogitatione, propoſitôque; quòd, vel ipſe poſtea reputâſſet animô, vel ab æmulis *Catonis* admonitus eſſet (ut *Plutarchus* in *Catone Minore* tradit): Si, bellô ſuperiores ipſi, *Cæſarem*, aut *armis* exuiſſent, aut *vitâ* quoque; continuò totum in id incubiturum eſſe *Catonem*, ut *Pompejus* quoque, dimiſsis exercitibus, in ordinem, ac ſub leges, rediret. Hęc autem talia *Catonis*, de *Reipublicæ* rectâ diſciplinâ, conſilia, nec *Pompejus* æquis auribus, nec *Cæſar* unquam, accipiebant.

Eâ porrò, quam memoravi, *claſſe*, multùm ſenſim *Pompejani* proficiebant. *Luc.* enim *Scribonius*, & *Marcus Octavius*, Illyrici maris littora navibus ſuis ſtringentes, ac ſubinde copias in oras maritimæ terras exponentes; *Publ. Corn. Dolabellam*, à *Cæſare* præfectum Illyrico, Dalmatarum ad oras, ſunt adorti. Cui cùm ſubſidio venirent, è mari quidem *Tyrrheno*, junior *Hortenſius*; ex Illyrico verò *Cajus Antonius*, *Baſilus*, *Salluſtius*, aliique: *Dolabellam* quidem *Scribonius*, & *Octavius*, exutum claſſe, profligârunt; *Caj.* autem *Antonium*, in arctam quampiam inſulam compactum, & inediâ tandem ad extrema redactum, in deditionem acceperunt: cùm iidem

victores, eodem ipſo tempore, cohortes *Antonianas* quindecim ſuam in poteſtatem redegiſſent. Omnes hos ad *Pompejum* Libo deduxit: cujus *claſſis* (per ea tempora felicis) gloriæ fuerunt, hoſtiles *quadraginta naves*, in *Adria* captæ: velut ſcriptum, alterô *bellorum Civilium* volumine, reliquit *Appianus Alexandrinus.*

Hanc ipſam porrò *Pompejanæ* claſſis magnitudinem, ac vires, animô jam olim *C. Curio* præcipiens, ejúſq; (ſiquando tota conſummaretur & conveniret) formidinem, initiò ſtatim Cæſariani Civilis belli, pluſquam ſemel apud *Ciceronem* profeſſus; erga *Siciliæ* præfecturam adminiſtrationémque, minùs afficiebatur: veritus tot navium illarum, ex *Epiro Corcyrâque* tantam propinquitatem; terris oríſque *Siculis* oppidò periculoſam. Ad ſummam! *Inſulæ* ſe dicebat, *diffidere*; *ſimulac* (ut ipſe loquebatur) *navigare Pompejus*, piratici belli profligator unicus, *cœpiſſet*: quem equitantem, aut pedeſtrem, minùs aliquantò metuiſſet. Quod igitur, ſe facturum, denuntiârat, utprimùm invaleſcere Pompejanarum navium res, numerus, ac potentia, cœpiſſent; id, haud multò poſt ſuum in *Siciliam* adventum, intellectô claſſis illius tam proſperô potentéq; progreſſu, facere

matu-

maturavit: &, cùm in *Sicilia* legiones habuiſſet à *Cæſare* quatuor; relictîs illic, præſidii cauſsâ, duabus, cum totidem cæterîs, & *Aſiniô Pollione, Flammâque*, cum *Cajo* quoque *Caniniô Rebilo* legatô, cum *Marco Cœliô Rufo* quæſtore, necnon cum equitatu quingentorum, in *Africam* navigat: ac ſpatiô bidui, triúmq; noctium, *Africæ* tractûs illius, quem *Pœni* quondam inſederant, portum, *Aquilariam* dictum, invehitur; ex ipſo ſtatim loci vocabulo proſperum ſibi victricium ſignorum *aviúmq;* deſpondens *omen*. Et alioquin, jam olim *Curio Publ. Attium Varum* (qui, *Pompeji* nomine, tunc *Africam*, caſtrîs ad *Vticam* locatîs, obtinebat) ejúsq; copiâs, deſpiciebat. Sed, quæ blandè primò *Curionem* lactaverat, ad extremum evertit eum, armorum malefida ſors, Martísq; Punici ſubdola viciſſitudo.

Principiò namque, *Lucii Cæſaris* (qui, *Pompejanus* ipſe, Lucii Cæſaris, Legati Cæſariani, ſicut alibi dictum eſt, filius erat) *longas naves* decem, ad ſuarum navium pæne ſolum conſpectum, illis objectum, fugat: &, à *Clúpeæ* portûs ſtatione depulſas, profligat, *Adrumetúmq;* rejicit. Unam navium illarum, triremem conſtratam, ad littus relictam, *Marci Rufi*, quæſtoris

ſui, duodecim immiſsîs navibus,capit;è ſcapha funibus injectîs, ad ſe pertractam. Mox, *Ruſi* navibus iiſdem præmiſsîs,ad *Bágradam* flumen caſtra ponit. In iis,*Rebilum* legatum, ac legiones, relinquit: ipſe, *Bagradam* inter, & *Vticam*, tractu ferè mediô ſita *Caſtra* (quibus priſca *Publii Scipionis Africani* ſtativa, *Cornelianorum* nomen reliquerant) cum equitatu fidenter accedit; eáque diligenter explorat. E collibus autem caſtrorum illorum, eâdem operâ, *Vari* quoque caſtra, quæ murô munitionibúſque validîs *Vticenſium* portæ, cognomentô *Bellicæ*, connectebantur,eminus ſpeculatur. In eos,qui fortunas, ac facultates ſuas, ex agris in oppidum transferebant, ac convectabant,impetum ab equitatu ſuo fieri, præcipit: ſarcinas, & vehicula *Pœnorum*,diripit; equitésq; *Numidas* ſexcentos,& pedites quadringētos, bajulis ac mulionibus illis *Vticâ* ſubſidio miſſos, in oppidum rejicit; *centum* ex eorum numero, *vigintique*, cæsîs. In hunc modum, equitem ſuum,prędâ gloriâque ditatum, in caſtra *Corneliana* recipit: eodémq; tempore, *navium onerariarum*, ducentarum circiter,claſſem,quæ,*Vari* caſtris alendis deſtinata,ponè littus *Vticenſium*, ex anchoris in ſalo ſtabat,ſuæ poteſtatis facit: denuntiatâ navibus,

vibus, nautis, ac vectoribus earum omnibus, ſupremâ pernicie, quam illaturus eis, multitudine *longarum navium* ſuarum, eſſet; niſi vectores, relictâ protinus *Vticâ*, ſeſe verterent ad *Corneliana caſtra*. Verterunt, è veſtigiô, naves omnes, omnî rerum, & commeatûs, opulentiâ refertas: caſtrâq; vitæ ſubſidiîs universîs abunde locupletârunt. Indè *Curio*, cum equitibus, in ea caſtra, quæ *Bágradam* adjacebant, è *Cornelianis* reverſus; exercitûs univerſi lætîs vocibus *Imperator* proclamatur. Cauſſam, *Corneliana* relinquendi *Caſtra* (quo loco dierum aliquot moram *Curionæi* traxerant), eam reddit *Appianus Alexandrinus*: quòd dulces illic aquas vitiâſſent *Afri*, peſte veneni tam præſentis; ut extemplò, ſimulac hauſiſſent, oppidò multi vitam amitterent.

Poſt eum porrò diem, quo die *Curio* fuerat *Imperator* ſalutatus, ipſe *Bagradæis* etiam *Caſtris* egreſſus, *Vticam* cum maxima parte copiarum accedit: ibíq; prope mœnia, *caſtra nova*, numerôq; jam *Tertia*, metatur. Cæterûm, opere metationis, ac munitionum, adhuc imperfectô; repentè *Juba*, Mauro-Numidarum (ττ) regis, qui filius *Hiempſalis* fuit, *equitum* ac *peditum* auxilia permagna ſuperveniunt. Hæc ille,

dum, legionibus ab opere revocatîs, aciem & ordines inſtruit, equitatu ſuorum ſolo diſtinet: barbarorum multitudinem perturbat, & implicat: *equitem* Numidicum fugat univerſum, & in oppidum compellit: *peditatûs* magnum numerum, à *Varo* pariter, & equitatu ſuo, ſub acie deſtitutum, obtruncat: *tertióq;* jam *victor*, in caſtra copias reducit. Prolectus autẽ iſtiuſmodi ſucceſſibus *Curio*, ſimùl autẽ & ab *Attio*, *Sextóq; Quintiliô*, *Varîs*, provocatus, (qui legiones ſuas, caſtris eductas, oſtentabãt, in certaminis audaciam; *Curionis* autẽ militem ad transfugium ſollicitabant): committere deniq; prœlio fortunas ſuas, cõſtituit. Ac ne tum quidem, quantumvis *inſidians ejus fiduciæ*, *Felicitas* ei defuit. Decurrentibus enim in vallẽ ex arduo loco *Varianis*, levis armaturæ militibus, & in eandem *equitatui* quoque cuncto ſeſe demittenti; *Curio* ſuum *equitatum*, ac duas *Marrucinorum* cohortes, immittit: impetu primô, fugat hoſtium equitatũ; & ad *Varianam* eos aciem rejicit: relictos autẽ in medio, deſertósq; ſuîs ab equitibus, levis armaturæ pedites, in *valle*, per ſuos equites & cohortes, concîdit; gregatímq;, tanquam pecus, interficit. ipſe, *Rebilô* ſtimulante, Cæſaris legatô, præcurrens ante cæteros univerſos;

verſos; per vallis impeditæ *collem*, admodum editum, aſcensúq; perdifficilem, enititur. Poſt eum verò, mox legionariorum audaciſſimus quiſque, partim ſuîſmet viribus, partim à commilitonibus ſublati; formidine ſuî, jam antè congreſſum, ac priùs, quàm ad teli conjectum eſſet ventum, hoſtem complent: &, ad ſummam, *Varos* duos, ac *Varianam* aciem univerſam, in fugam, in mortem, ac ſtragem, in caſtra ſua, junctámq; caſtrorum munitionibus *Vticam*, compellunt. Ità Curio, *quartùm* jam, & marî ſuperior, & terrâ, *ſexcentis* hoſtium occisîs, milléq; ſauciatîs, in caſtra ſuos reducit; incolumes omnes, pręter unicum *Fabium Pelignum* quendam: qui, per dolum extemporalem alloquium *Attii Vari* (tanquam ſui ducis,) flagitans; dum enſe ſtrictô nudatum illius humerum appetit, ſed, *Varô* celeriter objectu ſcuti plagam eludente, fruſtratur, à circumſtantium gladiis ac telîs interierat. Jámq; tantum ſuî terrorem, opinionémq; virtutis, *Curio* Varianis præbere, poſt tot fortitudinis ſpecimina, cœperat: ut & ipſe *Varus Attius*, in oppidum ſe noctu reciperet; deſertîsq; caſtrîs, eodem exercitum omnem reduceret. Quibus ex rebus cùm multùm ſibi *Curio* placeret; eò pro-

greſſus eſt animorum; ut, die ſtatim poſterò, vallô munitionibúsq; circumjectîs, *Vticam* (urbem inprimis firmam, ac validam,) obſidere ſit exorſus. Cujus tamẽ, tam arroganti, ſuarum virium æſtimationi, mox *Juba* rex, ejúſque legatus *Saburras* (ut eum Appianus nominat), capiſtrum injecerunt: ut ſcilicet, è veteris proverbii ſenſu, *Sceleſtum hominem, quem ſæpe Caſus præteriiſſet, aliquandò tandem inveniret*. Id in hunc deniq; modum evénit.

Dum, hinc quidem, in obſidionis incepto *Curio*, cum ſuis, verſatur; illinc autem, in conſilio mentéque deditionis, *Vticenſes*, ac *Variani*: repentè fama, præmiſſis ab rege *Jubâ* nuntiîs, in oppidum affertur; magnîs regem cum copiis adeſſe. Qua re cognitâ, cogitationes deditionis ſeponuntur: frigent, de *Curione* pacisq; legibus accipiendîs, conſilia: bellandi vetus ardor revaleſcit. *Curioni*, de regis, aut regiorum, advẽtu, tardè fit fides. Ubi verò facta tandem eſt, intrà viginti quinque paſſuum millia jamjam tendentibus Uticam versùs Numidicis, Mauruſiîsq;, copiîs: tum demum, omiſsô caſtrorum & obſidionis opere, *Curio*, vetera *Corneliana* (quòd propinquiora *Bagradæis* illis eſſent) caſtra, nullâ jam *fontium infectorum*, ſed neceſſitatis

tatis potiùs, habitâ ratione, repetit. Ea caſtra permunire, rebûſque bello trahendo neceſſariîs inſtruere, ſollicitus; miſsîs eodem temporis veſtigiô, qui legiones, & equitatûs reliquam è Sicilia multitudinem, advocaret, augere firmaréq; vires ſuas inſtituit: Felix utiq; futurûs; ſi rebus, ſalubri conſiliô ſemel decretis, immoratus eſſet! Sed idem nempe, poſt hæc, à perfugis quibuſdam *Vticenſibus*, narratione falſâ, de rege (tanquam, ſubitos ob tumultus & controverſias, in *Numidiam* revocatô) déq; ſolo *Saburrâ*, ceu modicîs cũ copiîs poſt ſe relictô, deductus à ſalubri propoſito; caſtrîs, bene jam captîs, exire denuò conſtituit: &, quòd, *Vticam* feſtinare *Saburram*, iidem transfugæ memorabant, contendere pręliô decrevit cum *Numidis*: utpote, quos, pugnâ nunquam infelicî, jam aliàs pluſquam ſemel expertus eſſet. Erant autem revera *Numidarum* hoſtium, ad *Bâgradam* locata caſtra. præerat his *Saburras*. cum exercitu reliquo, magnarum copiarum, *Juba* rex inſequebatur; milliarî non plus ſextô, minûſque videlicet aliquantò ſeſquihorarię viæ ſpatiô, diſtans: ubi, rerum ſtatum ac neceſſitudinem opperiens, conſederat. In *Saburram*, & ejus caſtra, *Curio*, poſt Solis occubitum, quid-

quid habebat *equitum*, caſtrîs emittit. Hi *Numidarum*, temerè paſſim jacentium, ac ſomnô ſtratorum, numerum ingentem interimunt. complures, tumultu ferientium expergiſcentes, ac gemitu clamoréq; morientium conſternati, per opaca noctis, à fugâ ſalutem petunt. alii capiuntur: cum quibus equites, *victoriâ* ſpoliîſque geſtientes, ad *Curionem*, eâdem adhuc nocte, regrediuntur; curſu licèt, ac pugnâ, laboréq; viæ, multùm exhauſti. De quarta vigilia *Curio*, ſuîs & ipſe caſtrîs, cum omni ſuorum copiâ (præter cohortes quinque, caſtrorum præſidio relictas) egreditur. incidit in equitatum ſuum. ex eo, rem geſtam, &, è captivis, *Saburræ* ſtativa ponè *Bagradam* amnem eſſe collocata, diſcit: nec plura quærere ſollicitus, equitum ſuorum, quotquot ſequi per fatigationem poſſent, ſecum trahit; cæteros, ubi primùm licuiſſet, ſubſequi ſe jubet. Ipſe, *Saburram* debellare certus, ad illius caſtra curſu fertur. Inter quæ tamen *Saburras*, poſteaquam (*Curione* rerum harum ignarô pariter, & incuriô) *regem*, etiamnum in viciniâ conſidentem, præteritæ noctis caſum omnem, cladémque, celeriter edocuiſſet; ſubmiſsîs ocyùs ab *Iuba* Gallorum Hiſpanorúmque duobus equitum

mil-

millibus, corporis ſui cuſtodum, nec non & peditum, ei fidiſſimorum, firmâ manu; multùm adversùs *Curionem* ſeſe corroborârat. In *Saburram*, albente jam cœlô, *Curio* raptim ducit. *Saburra* ſuos, ſimulatione timoris, referre pedem, jubet. Inſtat *Curio*; veram eſſe, ſinéq; fucô, fugam eam, exiſtimans: éque locis ſuperioribus deductas in planiora loca cohortes, & equites, curſu, quô fervebat ipſe, ſecum raptat: ac, ſedecim millium ſpatiô paſſuum progreſſos, inconſultò præfatigat. Inter hæc, ſubſiſtere tandem cogitur; omnibus & equitibus, & equîs, unà cum peditatu, vię contentione fractîs. Hôc eminus animadversô, ſignum tubâ *Saburræ* dat: incurrunt in *Curianos*, eques Numidicus, Gallicus, Hiſpanienſis. *Curioni* ſupererant equites, haud plures *ducentîs*: cæterîs in via ſubſiſtere, fatigatione coactîs. Pugnatur nihiloſecius, & ab his, & ab illis: *acriter*, ab equite peditéq; *Curionis*; ab ipſo *Curione*, quàm *acerrimè*: ſed (ut à delaſſatis) minore fortitudinis profectu. Simùl autem & *equitatus* regis *maximus* faciliùs *Curionis* rejiciebat equitatum: & is idem, *Cæſarianarum* partium cohortes, undequaque circumcluſas tenebat: quæ cohortes aſſiduò viribus, numerô, fiduciâ, minuebantur;

cùm,

cùm tamen, inter hæc, *Saburriana* copiæ, ſubmiſsîs identidẽ à *Juba* recentibus auxiliîs, augerẽtur. Jámq; ſenſim & rex ipſe ſuperveniebat, cum magnis peditũ equitúmq; Mauruſiorum agminibus, & elephantîs *quadraginta*; deficiẽtem viribus *Curionem*, ejúſq; reliquias, proculcaturîs. Deſpondent animum, *Curionis* milites: ac, viribus audaciâq; fracti, ſuccumbunt. & tamen, hortante *Curione*, proximos colles, globô factô, capere nituntur. Sed eos ipſos, quos petebant, locos editos, præmiſſus à *Saburra* Numidicus equitatus, jam præripuerat *Curionais*. Deſperatîs igitur opibus omnibus, pars fugam capeſſunt; & in hac, ab equitibus ſternuntur: pars, ultrò procumbentes, interficiendos ſeſe *Numidîs* offerunt. Ipſe *Curio*, dum ad fugam tutam ab ſuis invitatur, prçliari pergit: & cauſſatus, *Amiſſo Caji Cæſaris exercitu, ſibi commiſſo, nunquam ſe Cæſaris conſpectum eſſe ſubiturum*, occiditur. *Equitum* illius reliquiæ, vix tenues, ac perpaucorum capitum, effugiunt; & ad caſtra ſeſe *Corneliana* recipiunt. *Peditum* omnium, una ſtrages, unáq; ruina, fuit. Aliorum, qui cum *Aſinio Pollione*, *Flammâ*, *Marcóq; Cæliô Rufo* quæſtore, *Cornelianis* in *caſtris* remanſerant; pars magna, dum lenunculos, ac

naves,

naves, quibus in *Siciliam* reportari ſe rogitabant, multitudine ſuî degravant; altô merguntur. Pars autem, eáque numerô perexiguô, quã intenderant, *Siciliam* repetunt, & intrant: incolumes illi quidem, ſed *fugæ* tamen *ignominiâ* conſperſi. Cæterorum verò, quotquot è *Curionis* exercitu, vel in caſtris remanſerant, vel, excluſi navibus, Italiam Siciliámq; repetere nequiverant; *Attio Varo* ſeſe dediderunt. quos omnes *Juba* rex, die poſtero, (*Varô* fruſtrà, *Jus gentium violari*, conquerente) ſuper *Vticæ* mœnia conſtitutos, ſagittariorum ſuorũ ſpiculis configendos objecit: *Suam hos prædam venaticã eſſe*, per ludibrium dictitando. Quibus omnibus proinde rebus factum eſt; ut *C. Curionis* legiones Romanæ *duæ*, quæ ducem eum in Africam ſecutæ fuerant, unà cum Equitibus tandem, velitibus, & calonibus, *ad internecionem* ſint deletæ. *Curionis* autem *caput*, à cervicibus reſectum, &, infixum haſtili, circumlatúmque; Mauris, Numidis, ac Romanis, oſtentatum eſt. Erat quippe *Curioni*, Juba rex, iratus, & infeſtus, ab eo jam tempore; quo *Curio*, tribunatum plebis adeptus, redigere *Jubam* in ordinem, ac *Numidiam* in provinciæ formam, *rogatione* ſuâ, conatus erat. Verumtamen, ob hanc,

hanc, in *Curionem*, ejúsq; milites, crudelitatem, *C.Cæſar* poſtea, re cognitâ, *Jubam* Populi Romani judicavit *Hoſtem*: *Bocchum* autem, & *Bógudem*, (etiam ipſos *Africæ* reges) *Socios* & *Amicos*, atque, (quod erant) ritu priſcô, *Reges*, appellavit. ad quod beneficium, Bogudi pręſertim, *in perpetua tempora* conſtabiliendum, plurimum ſinè controverſia contulit *uxor* ejus *Eúnoë*: quā *Cæſar*, Africanô paullò pòſt bellô viſam, & cognitam, haud ſecus, atque *Cleopatram* (ut & alibi dixeramus) adamavit. *Pompejus* autem, cum ſuis, è diverſo, *Jubam*, Mauro-Numidiæ *Regem*, & *Amicum*, appellans; *Bocchum* contrà, *Bogudémq;*, titulîs *regiîs* dejectos, Reipublicæ, Senatûs, Populíq; Romani, pronuntiavit *Hoſtes*. Sed fruſtrà. *Cauſſa* namq; *deterior*, éadem paullò pòſt evaſit & *potentior*; *jure*, *quod in Armis tunc erat*.

Hic interim *Caji Curionis* fuit exitus; hominis, *pecuniæ magnitudine* primùm omnium (etiam, cùm vincere *Cæſaris* dignitati videretur), à *Cæſare* priùs devicti: proptérq; prodigalitatē, ac luxuriem, quarum cauſsâ nominibus alienîs circumquaque premebatur, ad omnia ſuſcitanda *Reipublicæ* mala, factioſis quibusvis venundati. Qui periit tandem; *Divinæ Iuſtitiæ* ſpectacu-

ſtaculô theatrôque, nemini non admirandô. *Parricidii* namque (quo Patriam Urbem, ac Matrem Rempublicam, peſſumdare, præ cæteris antecedentibus omnibus, furore *Tribunitiô* conatus eſt, & gaviſus,) unius vix anni pleni dulcedine, fictiliq; lætitiâ, deguſtatâ; denique, tanquam piceatô *Danielis* bolô *Draco* quondam *Babylonius*, eſt diſruptus. *Rediit*, (tanquam in caput ſuum, ſcorpionis & colubri cauda) ſic *ſcelus Curionis, in Auctorem ſuum.* malè ſtructa *Turris*, in architecti cervicem; arbor, exitiô publicô proditura fructum, conſitoris in caput, eſt relapſa.

Par fatum olim, & *Abimeléchum*, Gedeonis filium, abſtulit; *Sichimorum*, ac totius *Iſraëlis*, turbatorem. Cujus ea mens fuerat; ut *Báalis* Idolum, ejúſque cultum, omni paſſim *Chanaanitide* terrâ proveheret. Sed is, mentis tam perverſæ pœnas dedit; in *Thebæa* denique turris oppugnatione, poſtquam exiguo tempore floruiſſet, dejectu *ſaxi molaris* (utì *Decade ſecundâ* dictum eſt) occiſus. Par interitus, etſi diſpare mortis inſtrumentô, *Curionisq;* cædi confiniùs, *Apollonium* excepit, Syriacæ militiæ ducem; ac *Lyſimachum*, Benjaminitam; commodorum & impietatis *Antiochi* tyranni promotores:

res: quorum uterq; celeriter, primòq; propemodum ſuæ poteſtatis ac molitionis ingreſſu, præliantes ceciderunt. Exitu non diſſimili, proavorum noſtrorum memoriâ, *Carolus*, dux Celticus, eorum, qui *Romam*, & *Clementem Septimum*, oppugnabant, anteſignanus, & hortator: alibi quoq; *Thomas Munzerus*, ſeditioſorum (in Dominos ſuos, & Eccleſiam, furentium) caput; inter audaciæ ſuæ pæne principia, ſanctioris cauſſæ propugnatorum viribus ſuccubuerunt. VIRI-SANGUINUM omnes! INDIGNI propterea, QUI, VEL DIMIDIARENT DIES SUOS; vel conatuum ſuorum ſucceſſum, diu ſtabilem, invenirent.

Sed *Curio* quidem *Tribunatum plebis* hac ipsâ mente quæſierat; uti *plebem agitaret*. Sed & poſtea, pecuniâ *Cæſaris*, in factionem, à ſua diverſam, traductus, ob id exercuerat Tribunatum; ut Patribus Optimatibúsq; negotium faceſſeret, alias ex aliis *rogationes* intolerabiles excogitando: quibus *Senatum* exaſperaret, infensúmq; ſibi redderet; quò majorem ipſe poſtea, contra ſe-dicentes-agentésq; reprimendi, cauſſas habere videretur. Quæ tametſi ſic, uti dictum eſt, ſeſe circa *Curionem* habebant: cum tamen & alia, jam *à puero* propemodum,

eáque,

meâque, non *forenſia*, ſed *domeſtica*, gravârant *adoleſcentiæ* dedécora. Quamvis enim is (ut hujus rei *Cicero*, ſecundâ Philippicarum ſuarum, teſtis eſt) educatus in *C. Curionis*-patris florentiſſimâ familiâ ſummam ſui præberet, adoleſcens facundiſſimus, animi ſpem, & ingenii ſpecimen: præmaturè tamen paternarum opum fortunas amplas laceravit; æris alieni famosâ conflatâ ſummâ: præsq; ſimul factus, ac diſſolutor æris alieni, quod *Marcus Antonius* ad *ſeſtertium ſexagies* debuerat egeſtatis extremum in periculũ ſeipſum præcipitârat. In hujus enim nefariam demerſus conſuetudinem, cùm is vixdum ſumptam *virilem togam ſuam*, (verbis loquor Ciceronis) *ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſſet, & ad quæſtũ expoſitam haberi cœpiſſet*; interveniẽs citò *Curio* Filius, tanquam adoleſcens aliquantillò jam grandiore natu, ſibi *Marcum Antonium*, velut à *ſtabulo publico*, privatum ad *contubernium* abduxit: ac, *tanquam ſtolã dediſſet*, in ſtabili, ſibiq; ſoli poſthac addictâ, vitæ ſocietate collocavit. Ac licèt *Curio* Pater Antonium, identidem ad filium ſuum comeare ſolitum, domô frequenter ejiceret; & huic, ne limen intraret, cuſtodes poneret: noctibus tamen per tegulas demiſſus *Antonius*, ad *Curio-*

nem Filium ventitans, hujus *patrem* mœrore mentis, in ægritudine corporis, afficiebat. eóq; rem adduxerat;ut domus illa, flagitiorum illorum patientiâ tandem exutâ,graviter,& *Curioni* minaretur,& *Antonio*: Curio verò,flens,& affli-ctans ſe, *Si carendum Antonio ſibi foret, in exilium ſeſe*, diceret, *iturum*. Quæ dedecora perennârunt; quoad operam ſuam,rogatu patris, interponens *Cicero*, M. *Antonium*, Curionum ædibus extrudendum curaret: eúmque, filii *Curionis* congreſſu prohibitum, ac tantùm non dirîs, & devotionibus, in perpetuum tempus excluſum, ab illa ſceleris ſocietate penitùs avelleret. Quod tamen *divortium* repudiô tam æternô nequivit conſiſtere; quò minùs, in ſuo poſthæc uterq; *Plebis-Tribunatu*, Curione patre jam extinctô, denuò convenirent: ſi nihil ad aliud, ad *Cæſaris* tamen protrudendam impudentiam,& ambitionem; ad Optimatium verò ſtatum & cauſſam evertendam. Ità liquet,quô qualîq; ſuffoſſore concuſſa primùm *tranquillitatis publicæ* fundamenta ſint: donec ad extremum *ruina* quoq; ſequeretur. *Vna* (quod vulgò dicimus) *farina*,fuerunt,*una maſſa*,Catilina, Clodius, Marc. Antonius, & iſte, de quo ſermo nobis eſt, *Curio*. nec *Ovo ſimilius ovum aliquod* alte-

alterum; quàm *hi quatuor*, inter ſe, fuerunt: niſi, quòd eorum poſtremus, oris potentioris, ſed & præferocioris, bonum ſe verborum præſtiterit *Oratorem*; Rerum autem *Actorem*, peſſimum: Cúmq; *Tribuni-Plebis*, à *Menenii* temporibus, tam multi (quod ſuprà ſępe queſti ſumus) *perniciosi* ſurrexerint, pacē & quietem agitantes; *hic ſolus* dici, *primus* ac *noviſsimus*, rerum omnium *Everſor*, poſſit. Non enim ſolummodo *poſt eum* mox, ſed &, *per eum*, illóq; trudente trahentéque, Reſpublica *procubuit*.

XXVI. Dum autem hæc in Hiſpania geruntur, & *Africâ*: *Romæ* tantiſper Marc. Æmilius *Lepidus*, quem, in Hiſpaniam abiens, *Cæſar* urbi præfecerat, *Cæſarem*, in reditu poſteà conſtitutum, & abſentem, *Dictatorem* dicit: magiſtratu pariter, ac nomine magiſtratûs, ab uſque *Syllæ* temporibus, *Romæ*, nec viſô, nec à bonis unquam libenter auditô; propter *Dictaturæ Syllanæ* recordationem odioſam, & in exſecrandis vulgò numeratam. Eâ, *Cæſar*, re *Maſſiliæ* cognitâ; *duabus* (ut alibi dicere cœperam) *legionibus* illic, adversùs incerta rerum ac temporum, præſidio relictîs: legiones reliquas in *Italiam* præmittit. Ipſe ſubſequitur: &, cùm, ſub ipſum profectionis illius procinctum, didiciſſet, *Pla-*

centiæ (quæ *Galliæ Ciſpadanæ* vetus eſt,ad *Trebiam* amnem,urbs,& colonia) milites ſuos,adversùm præfectos ſibi, tumultuari, propterea, quòd,in longum tractô bellô,trahendôq; longiùs, ſibi tamen quinæ minæ,*donativi* nomine *Brundiſii* quondam promiſſæ, necdum redderentur; eò *Cæſar* venit. in exercitum primùm *generatim*, mox, præ cæteris,in *legionem nonam* (ceu præcipui furoris nominatim ſibi delatam) quò capita reperiret illius motûs, quæſivit. Re ſtudioſè diſcuſsâ, primùm (ut *Appianus* in ſecundo *Civilium bellorum* commentario tradit) *decimaturum* eam ſe, lege *Petrejâ*, pronuntiat; ut, è qua ſeditionis illius proceſſerit exordiũ. Cùm autem,*nonanorum* omnium obortâ comploratione, tribuni quoque, quorum imperiis antea reclamaverant, veniam eis orarent: aliâ conditione non eſt paſſus exorari ſe, quàm,ut,eis remiſsô *decimationis* ſuppliciô, *legionẽ* (utì *Suetonius* in *Julio* memorat), ignominiâ militarî notatam, diſcingeret; totámq; dimitteret. Tum verò,non minore,quàm priùs, ortâ vociferatione, fletúq; militum; rigorem ſententiæ vix demum,& ægrè,multas poſt eorum preces, ità temperavit; ut,è *centum ac viginti* præcipuis ſeditionis auctoribus,*ſorte* legi, ducíq;,

duciq;,*duodecim* pateretur: qui,ſuô capite,legionis univerſę ſcelus expiarent. Nec eos tamen ipſos ad unũ omnes plexit: ſed eorũm duodecimo *Centurionem* ſubſtituit, illius delatorem, falſum, ac mendacem: quippe, cùm repertum eſſet, ac demonſtratum; manipularem illum, tempore motûs illius,à ſtativis,& aliorúm cœtu, prorſus abfuiſſe. Subiit igitur *accuſati* vicem, ac pœnam, *accuſator*. Pacatis porrò *Placentinis* motibus,Romam *Cæſar* venit. Ibi, monitus,ac rogatus,à *Lucio Piſone*,Calpurnię conjugis ſuæ patre; ne prætermitteret, aut differret, etiam tum *de Pace* reconciliandâ *Pompejum* interpellare: contrariis *Publii Servilii* (cui cognomen *Iſaurico* fuit) rationibus, à mente negotiôque concordiæ, tam ſalutari, deductus eſt. Ipſe, præter cætera quædam *Dictaturæ* ſuę geſta, non modò, *Lege Pompejâ* quõdam ambitûs condemnatos, ſed eos etiã univerſos (quorumcunq; criminum convictos,ac damnatos,) qui ſuam, in armis, operam ipſi, principiô ſtatim *belli civilis*,obtulerant,in integrum reſtituit. Id, quod ipſe de ſe confiteri, libri tertii de *bello Civili* principiô, non erubeſcit. Revocavit inſuper & *exules* univerſos; eisque, *Romam* redeundi,poteſtatem fecit: pręter *Annium*

Milonem ſolum, *Publii Clodii*, familiariſſimi *Cæſaris*, interfectorem: quem poſtea, *Marci Cœlii Rufi* (Curionæi nuper in Africa *quæſtoris*, ac mox Romæ *prætoris*,) accitu, res in Italia novantem, *Quintus Pedius*, Cæſarianus, ad *Coſam*, in Thurínis oppidũ, ictu lapidis, è muro conjecti, ſtravit, & interfecit. Debitores præterea fœnorum nonnullâ ſummæ debitæ diminutione *Cæſar* relevavit: *Gallos*, qui *cis Alpes* trans *Padum* colebant, civitate donavit: inſequentis anni *Magiſtratus*, & in primis *ſeipſum*, cum *Publ. Servilio* (de quo ſuprà dictum eſt) *Conſulem* cõſtituit: provinciarum præſides arbitratu ſuo, quos, & quò, voluit, deſignavit, mutavit, dejecit: *Marc. Æmilium Lepidum*, à quo *Dictaturam* ipſe nuper acceperat, Hiſpaniæ; *Decimum Brutum* Galliæ, præfecit: ſéque, poſt *diem undecimum*, quàm hæc agere *Romæ* cœpiſſet, ità dictaturâ, *nomine* tenus, abdicavit; ut eam tamen *reipſa*, cum armis, ac poteſtate quidvis agendi, retineret. Poſt quæ, profectum ab urbe ſe *Cæſar* eſſe, memorat; *Brundiſiumq;* perveniſſe. memorare verò, (ſtudiô, reor, *brevitatis*; an potiùs, diſſimulationis, in propriis nævis celandis?) *callidè* prætermittit, quod alii non præterierunt: *Ablatum videlicet ab eo Româ, vice jam alterâ,*

alterâ, grandem auri molem, & argenti, reliquias (ut & *Montanus* annotavit) *ærarii; locorúmque Sacrorum omnium (in quibus & Capitolium inprimis fuit) Ornamenta cuncta.* Quod tamen ſacrilegæ genus audaciæ *Cæſari* novum inſolitúmque non fuit: quippe, quem, è *Tranquilli* ſcriptis, conſtet, *in Gallia quoque fana quondam, templáque Deûm, referta donis, expilaviſſe.* Non autem *Romanis* tantummodo delubris templísq; manus *Cæſar* attulit: ſed & (*Appiano Bunonéq;* teſtibus) ex *Aricinæ Dianæ Nemorenſi fano*, (quod ad *Appiæ viæ* lævam, foris Urbem, erat); ut &, è delubris ſuburbanîs aliîs, *mutui nomine*, pecunias aſportavit. Quas tamen redditurum ſe, pollicebatur; eáſq;, non ſinè fœnore: ſed, *Ad Græcas* (ut ego reor) *Kalendas*. Is adeò ſolus *honeſtè furandi* titulus reſtabat; à DIs mutuari: pro cujus *mutui* præde pignoréque, debitor poſtea (fallax Homo) *Tabulas* ſupponeret, ſed, *Novas*. (φ)

Cæterùm, abire Româ *Cæſar*, haud ſinè præſagis rerum oſtentîs, videbatur. Nam &, expeditionem eô jam apparante, ſupra forum fortè prætervolans *milvus*, oleæ frondem in quendam ex iis, qui ponè *Cæſarem* ſtabant, dejecit: & *taurus*, qui, *Fortunæ* ſacrum faciente *Cæſare*,

priuſquam ferrum & ictum exciperet, ex urbe profugerat; *paludem* quandam nactus, ac tránatans, ſacrificanti monſtrâſſe *viam* modúmq; videbatur, adversùs *Pompejum* in *Græciā*, per *Ionium Sinum*, tranſeūdi. Pręterea, *Cæſare* Româ jam profectô, *puerorum* in urbe *multitudo*, geminas in partes, inſtigante nemine, ſeſe partiti; nomináq; ſibimetipſis, hi *Pompejanorum*, illi *Cæſarianorum*, imponentes: cæterà quidem inermes, ſed brachiis tamen in pugnę quoddam ſimulacrum expeditis, pro viribus ætatis concurrerunt; &, qui ſe nominârant à *Cæſare*, victoriæ *Cæſaris* Pharſalicæ pręluſerunt: alterius factionis pueris profligatis.

Egreſſus porrò, ſub exeuntē jam *Decembrem*, Urbe *Cæſar*, & à frequenti populo, quem honoris cauſsâ ſe proſequentem habebat, deductus; impensè rogabatur: *Vtì potiùs, quàm belli fortunam ulteriùs, ac frequentiùs, periclitaretur, cum Pompejo priſcam in gratiam, amicitiámq;, reverteretur.* Quibus ipſe, *quod ſuis, Reique publicæ, rationibus quàm maximè viſum foret conducere, facturum ſe*, pollicitus; miſsis omnia circùm hiberna nuntiis, *Brundiſium* convenire *legiones omnes*, equitatúmq;, jubet. Habebat autem tunc *Cæſar*, (ut *Appianus* ſcriptum reliquit) *Legiones decem*,

undecem, cum *equitum* Gallicorum *decem millibus*. Ut autem ipſe de ſe *Cæſar* prodit; *Brundiſium*, univerſo cum equitatu, convenire juſſerat *legiones duodecim*: haud utiq; convenire tot juſſurus; ſi tot eo tempore non haberet. *Pompejo* verò, (ſi fides Appiano ſit, ut eſſe poteſt, utcunque *Cæſar* numerârit), *legiones* erant, *Romanorum* civium, *novem*; connumeratîs autem univerſim omnibus *Italici* generis, *undecim*: equitum verò, *millia* circiter *ſeptem*; auxiliorum autem, ex *Oriente*, tam *equeſtrium*, quàm *pedeſtrium*, numerus immenſus: & claſſis, de qua ſuprà dictum eſt, per *Ionium* omne, *Dalmaticúmq;* mare, quàm maxima. Quod autem, præter hæc, ad *auxiliares* Pompeji copias attinet; venerant ad eũ (adnumeratîs etiã *Scipionaîs*, &, ſi quos adduxerant alii quoq; partiũ *Pompejanarũ* duces, ac legati), *Cretes*, *Epirótæ*, *Macedones*, *Achæi*, *Bœoti*, *Theſſali*, *Lacedæmonii*, cæteríq; *Peloponeſiorum* populi. ſuîs itẽ cum regulis ac prętoribus, *Athenienſes*, *Thraces*, *Dárdani*, *Beſſi*. Præter hos, *Helleſpontii*, *Phryges*, *Iones*, *Bithyni*, *Lydi*, *Rhodii*, *Pontici*, *Gallograci*, *Cappádoces*, *Piſidæ*, *Pamphylii*, *Paphlágones*, *Cilices*, *Cyprii*, *Phœnices*, *Hebræi*, cum *Arabibus*, & *Armenis*, *Ægyptiis*, *Syrîs*, *Comagenis*, *Gallîs Aſiaticîs*, *Gallîs Europæis*, &

res: quorum uterq; celeriter, primòq; propemodum ſuæ poteſtatis ac molitionis ingreſſu, prælantes ceciderunt. Exitu non diſſimili, proavorum noſtrorum memoriâ, *Carolus*, dux Celticus, eorum, qui *Romam*, & *Clementem Septimum*, oppugnabant, anteſignanus, & hortator: alibi quoq; *Thomas Munzerus*, ſeditioſorum (in Dominos ſuos, & Eccleſiam, furentium) caput; inter audaciæ ſuæ pæne principia, ſanctioris cauſſæ propugnatorum viribus ſuccubuerunt. VIRI-SANGUINUM omnes! INDIGNI propterea, QUI, VEL DIMIDIARENT DIES SUOS; vel conatuum ſuorum ſucceſſum, diu ſtabilem, invenirent.

Sed *Curio* quidem *Tribunatum plebis* hac ipsâ mente quæſierat; uti *plebem agitaret*. Sed & poſtea, pecuniâ *Cæſaris*, in factionem, à ſua diverſam, traductus, ob id exercuerat Tribunatum; ut Patribus Optimatibúsq; negotium faceſſeret, alias ex aliis *rogationes* intolerabiles excogitando: quibus *Senatum* exaſperaret, infensúmq; ſibi redderet; quò majorem ipſe poſtea, contra ſe-dicentes-agentésq; reprimendi, cauſſas habere videretur. Quæ tametſi ſic, uti dictum eſt, ſeſe circa *Curionem* habebant: cum tamen & alia, jam *à puero* propemodum,

eáque,

eâque, non *forenſia*, ſed *domeſtica*, gravârant *adoleſcentiæ* dedêcora. Quamvis enim is (ut hujus rei *Cicero*, ſecundâ Philippicarum ſuarum, teſtis eſt) educatus in *C. Curionis* - patris florentiſſimâ familiâ ſumam ſui præberet, adoleſcens facundiſſimus, animi ſpem, & ingenii ſpecimen: præmaturè tamen paternarum opum fortunas amplas laceravit; æris alieni famosâ conflatâ ſummâ: præſq; ſimul factus, ac diſſolutor æris alieni, quod *Marcus Antonius* ad *ſeſtertium ſexagies* debuerat. egeſtatis extremum in periculũ ſeipſum præcipitârat. In hujus enim nefariam demerſus conſuetudinem, cùm is vixdum ſumptam *virilem togam ſuam*, (verbis loquor Ciceronis) *ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſſet*, & *ad quæſtũ expoſitam haberi cœpiſſet*; interveniẽs citò *Curio* Filius, tanquam adoleſcens aliquantillò jam grandiore natu, ſibi *Marcum Antonium*, velut à *ſtabulo publico*, privatum ad *contubernium* abduxit: ac, *tanquam ſtolã dediſſet*, in ſtabili, ſibiq; ſoli poſthac addictâ, vitæ ſocietate collocavit. Ac licèt *Curio* Pater Antonium, identidem ad filium ſuum comeare ſolitum, domô frequenter ejiceret; & huic, ne limen intraret, cuſtodes poneret: noctibus tamen per tegulas demiſſus *Antonius*, ad *Curio-*

nem Filium ventitans, hujus *patrem* mœrore mentis, in ægritudine corporis, afficiebat. eóq; rem adduxerat;ut domus illa, flagitiorum illorum patientiâ tandem exutâ,graviter,& *Curioni* minaretur,& *Antonio*: Curio verò,flens,& affli-ctans ſe, *Si carendum Antonio ſibi foret, in exilium ſeſe*, diceret, *iturum*. Quæ dedecora perennârunt; quoad operam ſuam,rogatu patris, interponens *Cicero*, M. *Antonium*, Curionum ædibus extrudendum curaret: eúmque, filii *Curionis* congreſſu prohibitum, ac tantùm non dirîs,& devotionibus, in perpetuum tempus excluſum, ab illa ſceleris ſocietate penitùs avelleret. Quod tamen *divortium* repudiô tam æternô nequivit conſiſtere;quò minùs, in ſuo poſthæc uterq; *Plebis-Tribunatu*, Curione patre jam extinctô, denuò convenirent: ſi nihil ad aliud, ad *Cæſaris* tamen protrudendam impudentiam,& ambitionem;ad Optimatium verò ſtatum & cauſſam evertendam. Ità liquet,quô qualîq; ſuffoſſore concuſſa primùm *tranquillitatis publicæ* fundamenta ſint: donec ad extremum *ruina* quoq; ſequeretur. *Vna* (quod vulgò dicimus) *farina*,fuerunt,*una maſſa*,Catilina, Clodius, Marc. Antonius, & iſte, de quo ſermo nobis eſt, *Curio*. nec *Ovo ſimilius ovum aliquod*

alte-

alterum; quàm *hi quatuor*, inter ſe, fuerunt: niſi, quòd eorum poſtremus, oris potentioris, ſed & præferocioris, bonum ſe verborum præſtiterit *Oratorem*; Rerum autem *Actorem*, peſſimum: Cùmq; *Tribuni-Plebis*, à *Menenii* temporibus, tam multi (quod ſuprà ſępe queſti ſumus) *pernicioſi* ſurrexerint, pacē & quietem agitantes; *hic ſolus* dici, *primus* ac *noviſſimus*, rerum omnium *Everſor*, poſſit. Non enim ſolummodo *poſt eum* mox, ſed &, *per eum*, illóq; trudente trahentéque, Reſpublica *procubuit*.

XXVI. Dum autem hæc in Hiſpania geruntur, & *Africâ*: *Romæ* tantiſper Marc. Æmilius *Lepidus*, quem, in Hiſpaniam abiens, *Cæſar* urbi præfecerat, *Cæſarem*, in reditu poſteà conſtitutum, & abſentem, *Dictatorem* dicit: magiſtratu pariter, ac nomine magiſtratûs, ab uſque *Syllæ* temporibus, *Romæ*, nec viſô, nec à bonis unquam libenter auditô; propter *Dictaturæ Syllanæ* recordationem odioſam, & in exſecrandis vulgò numeratam. Eâ, *Cæſar*, re *Maſſiliæ* cognitâ; *duabus* (ut alibi dicere cœperam) *legionibus* illic, adversùs incerta rerum ac temporum, præſidio relictîs: legiones reliquas in *Italiam* præmittit. Ipſe ſubſequitur: &, cùm, ſub ipſum profectionis illius procinctum, didiciſſet, *Pla-*

centiæ (quæ *Galliæ Ciſpadanæ* vetus eſt,ad *Trebiam* amnem,urbs,& colonia) milites ſuos,adversùm præfectos-ſibi, tumultuari, propterea, quòd,in longum tractô bellô,trahendôq; longiùs, ſibi tamen quinæ minæ,*donativi* nomine *Brundiſii* quondam promiſſæ, necdum redderentur; eò *Cæſar* venit. in exercitum primùm *generatim*, mox, præ cæteris,in *legionem nonam* (ceu præcipui furoris nominatim ſibi delatam) quò capita reperiret illius motûs, quæſivit. Re ſtudiosè diſcuſsâ, primùm (ut *Appianus* in ſecundo *Civilium bellorum* commentario tradit) *decimaturum* eam ſe, lege *Petrejâ*, pronuntiat; ut, è qua ſeditionis illius proceſſerit exordiũ. Cùm autem, *nonanorum* omnium obortâ comploratione, tribuni quoque, quorum imperiis antea reclamaverant, veniam eis orarent: aliâ conditione non eſt paſſus exorari ſe, quàm, ut,eis remiſsô *decimationis* ſuppliciô, *legionẽ* (utì *Suetonius* in *Julio* memorat), ignominiâ militarî notatam, diſcingeret; totámq; dimitteret. Tum verò,non minore,quàm priùs, ortâ vociferatione, fletúq; militum; rigorem ſententiæ vix demum,& ægrè,multas poſt eorum preces, ità temperavit; ut,è *centum* ac *viginti* præcipuis ſeditionis auctoribus, *forte* legi, ducíq;

duciq;,*duodecim* pateretur: qui,ſuô capite,legionis univerſę ſcelus expiarent. Nec eos tamen ipſos ad unũ omnes plexit: ſed eorũ duodecimo *Centurionem* ſubſtituit, illius delatorem, falſum, ac mendacem: quippe, cùm repertum eſſet, ac demonſtratum; manipularem illum, tempore motûs illius,à ſtativis,& aliorum cœtu, prorſus abfuiſſe. Subiit igitur *accuſati* vicem, ac pœnam, *accuſator.* Pacatis porrò *Placentinis* motibus,Romam *Cæſar* venit. Ibi, monitus,ac rogatus,à *Lucio Piſone*,Calpurnię conjugis ſuæ patre; ne prætermitteret, aut differret, etiam tum *de Pace* reconciliandâ *Pompejum* interpellare: contrariis *Publii Servilii* (cui cognomen *Iſaurico* fuit) rationibus, à mente negotiôque concordiæ, tam ſalutari, deductus eſt. Ipſe, præter cætera quædam *Dictaturæ* ſuę geſta, non modò, *Lege Pompejâ* quōdam ambitûs condemnatos, ſed eos etiã univerſos (quorumcunq; criminum convictos,ac damnatos,) qui ſuam, in armis, operam ipſi, principiô ſtatim *belli civilis*,obtulerant,in integrum reſtituit. Id, quod ipſe de ſe confiteri, libri tertii de *bello Civili* principiô, non erubeſcit. Revocavit inſuper & *exules* univerſos; eíſque, *Romam* redeundi,poteſtatem fecit: prętar *Annium*

Milonem ſolum, *Publii Clodii*, familiariſſimi *Cæſaris*, interfectorem: quem poſtea, *Marci Cœlii Rufi* (Curionæi nuper in Africa *quæſtoris*, ac mox Romæ *prætoris*,) accitu, res in Italia novantem, *Quintus Pedius*, Cæſarianus, ad *Coſam*, in Thurinis oppidũ, ictu lapidis, è muro conjecti, ſtravit, & interfecit. Debitores præterea fœnorum nonnullâ ſummæ debitæ diminutione *Cæſar* relevavit: *Gallos*, qui *cis Alpes* trans *Padum* colebant, civitate donavit: inſequentis anni *Magiſtratus*, & in primis *ſeipſum*, cum *Publ. Servilio* (de quo ſuprà dictum eſt) *Conſulem* cõſtituit: provinciarum præſides arbitratu ſuo, quos, & quò, voluit, deſignavit, mutavit, dejecit: *Marc. Æmilium Lepidum*, à quo *Dictaturam* ipſe nuper acceperat, Hiſpaniæ; *Decimum Brutum* Galliæ, præfecit: ſéque, poſt *diem undecimum*, quàm hæc agere *Romæ* cœpiſſet, ità dictaturâ, *nomine* tenus, abdicavit; ut eam tamen *reipſa*, cum armis, ac poteſtate quidvis agendi, retineret. Poſt quæ, profectum ab urbe ſe *Cæſar* eſſe, memorat; *Brundiſiúmq;* perveniſſe. memorare verò, (ſtudiô, reor, *brevitatis*; an potiùs, diſſimulationis, in propriis nævis celandîs?) *callidè* prætermittit, quod alii non prætericrunt: *Ablatum videlicet ab eo Româ, vice jam alterâ,*

alterâ, grandem auri molem, & argenti, reliquias (ut & *Montanus* annotavit) *ærarii; locorúmque Sacrorum omnium (in quibus & Capitolium inprimis fuit) Ornamenta cuncta.* Quod tamen ſacrilegæ genus audaciæ *Cæſari* novum inſolitúmque non fuit: quippe, quem, è *Tranquilli* ſcriptis, conſtet, *in Gallia quoque fana quondam, templáque Deûm, referta donîs, expilaviſſe.* Non autem *Romanis* tantummodo delubris templísq; manus *Cæſar* attulit: ſed & (*Appiano Bunonéq;* teſtibus) ex *Aricinæ Dianæ Nemorenſi fano*, (quod ad *Appiæ viæ* lævam, foris Urbem, erat); ut &, è delubris ſuburbanîs aliîs, *mutui nomine*, pecunias aſportavit. Quas tamen redditurum ſe, pollicebatur; eáſq;, non ſinè fœnore: ſed, *Ad Græcas* (ut ego reor) *Kalendas*. Is adeò ſolus *honeſtè furandi* titulus reſtabat; à DIs mutuari: pro cujus *mutui* prǣde pignoréque, debitor poſtea (fallax Homo) *Tabulas* ſupponeret, ſed, *Novas*. (φ)

Cæterùm, abire Româ *Cæſar*, haud ſinè præſagis rerum oſtentîs, videbatur. Nam &, expeditionem eô jam apparante, ſupra forum fortè prætervolans *milvus*, oleæ frondem in quendam ex iis, qui ponè *Cæſarem* ſtabant, dejecit: & *taurus*, qui, *Fortunæ* ſacrum faciente *Cæſare*,

priuſquam ferrum & ictum exciperet, ex urbe profugerat; *paludem* quandam nactus, ac tranatans, ſacrificanti monſtrâſſe *viam* modúmq; videbatur, adversùs *Pompejum* in *Græciã*, per *Ionium Sinum*, tranſeũdi. Pręterea, *Cæſare* Româ jam profectô, *puerorum* in urbe *multitudo*, geminas in partes, inſtigante nemine, ſeſe partiti; nominàq; ſibimetipſis, hi *Pompejanorum*, illi *Cæſarianorum*, imponentes: cæterà quidem inermes, ſed brachiîs tamen in pugnę quoddam ſimulacrum expeditîs, pro viribus ætatis concurrerunt; &, qui ſe nominârant à *Cæſare*, victoriæ *Cæſaris* Pharſalicæ pręluſerunt: alterius factionis pueris profligatîs.

Egreſſus porrò, ſub exeuntẽ jam *Decembrem*, Urbe *Cæſar*, & à frequenti populo, quem honoris cauſsâ ſe proſequentem habebat, deductus; impensè rogabatur: *Vti potiùs, quàm belli fortunam ulteriùs, ac frequentiùs, periclitaretur, cum Pompejo priſcam in gratiam, amicitiámq; reverteretur.* Quibus ipſe, *quod ſuis, Reique publicæ, rationibus quàm maximè viſum foret conducere, facturum ſe*, pollicitus; miſsîs omnia circùm hiberna nuntiîs, *Brundiſium* convenire *legiones omnes*, equitatúmq; jubet. Habebat autem tunc *Cæſar*, (ut *Appianus* ſcriptum reliquit) *Legiones decem*,

decem, cum *equitum* Gallicorum *decem millibus*. Ut autem ipſe de ſe *Cæſar* prodit; *Brundiſium*, univerſo cum equitatu, convenire juſſerat *legiones duodecim*: haud utiq; convenire tot juſſurus; ſi tot eo tempore non haberet. *Pompejo* verò, (ſi fides Appiano ſit, ut eſſe poteſt, utcunque *Cæſar* numerârit), *legiones* erant, *Romanorum* civium, *novem*; connumeratîs autem univerſim omnibus *Italici* generis, *undecim*: equitum verò, *millia* circiter *ſeptem*; auxiliorum autem, ex *Oriente*, tam *equeſtrium*, quàm *pedeſtrium*, numerus immenſus: & claſſis, de qua ſuprà dictum eſt, per *Ionium* omne, *Dalmaticúmq;* mare, quàm maxima. Quòd autem, præter hæc, ad *auxiliares* Pompeji copias attinet; venerant ad eũ (adnumeratîs etiã *Scipionaîs*, &c, ſi quos adduxerant alii quoq; partiũ *Pompejanarũ* duces, ac legati), *Cretes*, *Epirótæ*, *Macedones*, *Achæi*, *Bœoti*, *Theſſali*, *Lacedæmonii*, cæteriq; *Pelopõneſiorum* populi. ſuîs itẽ cum regulis ac prętoribus, *Athenienſes*, *Thraces*, *Dárdani*, *Beſſi*. Præter hos, *Helleſpontii*, *Phryges*, *Iones*, *Bithyni*, *Lydi*, *Rhodii*, *Pontici*, *Gallogræci*, *Cappádoces*, *Piſidæ*, *Pamphylii*, *Paphlágones*, *Cilices*, *Cyprii*, *Phœnices*, *Hebræi*, cum *Arabibus*, & *Armenis*, *Ægyptiis*, *Syrîs*, *Comagenîs*, *Gallîs Aſiaticîs*, *Gallîs Europæîs*, &

 Ger-

Germanîs, haud paucis; qui, mercede priùs in Ægypto militantes, & Alexandriâ ſubmiſſi, Pompeji poſtea ſacramētum acceperant. E *Regibus* porrò, *regulîs*, ac *tetrarchîs*, eodē convenerāt; è *Gallogræcia*, rex *Dejotarus*; è *Cappadocia*, rex *Ariobarzánes*; è *Beſſorum* finibus, *Raſcipolis*; è Galatia, *Tarcūdárius Caſtor*; è Thracia, *Sádales*, Cotyis regis filius; è *Ciliciæ* parte, regulus *Tarcondimotus*, Pompejanæ *claſſis* ingens ſubſidium; ex *Armenia* Cis-Euphratem, *Táxiles*; è Trans-Euphratéſia, regis *Artapæ* legatus, *Megábates*: & aliunde, quidam alii.

Cæterùm, inter hæc, qui cum *Pompejo* magiſtratus in tranſmarinis erant, dum *Cæſar* Romę dignitates, ordinúmq; gradus, ad arbitrium ſuum, diſpertit, & innovat; ipſi, *Theſſalonicam*, (ut & alibi dictum eſt) tanquam *Romam* quandam *Vicariam*, inſidētes, æmulantur *annuum* utcunq; Romæ morem. Ac *magiſtratum* quidem nullum ipſi *novant*: ſed, contenti ſuperioris anni poteſtatibus, nomina duntaxat imminuunt; pro *Conſulibus* facti *Proconſules* (quaſî dignitatis genere *Pompejus* etiam inſigniri, nominaríq; ſe, ferebat): pro Prætoribus, & Quæſtoribus, proprætores, ac proquæſtores; eodémq; modô per cæteros, in adminiſtratione reipublicæ conſtitutos.

utos. tametſi revera *Pompejus* univerſorum omnia ſolus, etiam,quæ *Conſulum* ac Proconſulum eſſent,munia, ſuum ad arbitrium revocaret, & obiret. Erant autem cum eis *Senatores* etiam, haud pauciores *ducentîs*: curiæ veteris qualisqualis reſidua ſpecies, ac ſimulacrum; *Romanæ*, temporum illorum, *curia*, viîs adverſis,oppoſitum. Nec enim latebat eos,quínam Romæ *Conſulatum*, qui *curules* magiſtratus cæteros, qui *Senatum*, obirent. quibus omnibus, extrema *Pompejani* minitabantur.

Cùm autem Cæſarem *Pompejus* ſuſpicaretur,Romæ, *conſularibus* diſtrictum negotiîs, de maris tranſitu nihildum; (mediâ præſertim brumâ) cogitationis eſſe ſuſcepturum: non modò militem ipſe circa *Dyrrhachium*,pérque *Theſſaliam*, ac *Macedoniam*, in hiberna diſperſerat; ipſe BerrhϾ Theſſalonicæq; (ſicut dictum eſt) ſedens: ſed nec *Ionii* maris *Epirotica*, cæteráq; *Græca*, littora, quorum cuſtodiam *Marco Bibulo*,reliquíſq; claſſium præfectis,mandârat, ſatìs vigilanter (quippe,diſtantibus procùl oculîs) ſervabat. *Cæſar* igitur,qui deſtinatum animô penitùs habuerat, (ſi fortè plus æquô ſolertes & acres, ad ſe tranſitu prohibendum, *Pompejanæ naves* invenirentur) eouſque

que differre navigationem , donec vernum tempus omnem maris ac portuum facultatem pleniorem aperiret: *poſteaquam* (ut Dio loquitur) *tantam adverſariorum incuriam*, *Pompeiique Theſſalonicenſem deſidiam,exploratam habere cœpit*; more ſuô,celeritatis compendia ſecuturus,attingere *Macedoniæ* fines,ac viciniam, conſtituit, priùs, quàm è *Macedoniæ* remotioribus oris *Pompejus* recurreret.Mancipiîs igitur omnibus, impedimentîſque, *Brundiſii* relictîs, ut expeditiores cuncti mare tranſirent, majórq;, paucis in navibus,vehi militum multitudo poſſet;*ſub ipſum brumæ rigentis Solſtitium*, (uu) *pridie Nonas Januarias*,anni poſt Urbem Conditam ſeptingenteſimi quinti, *Dionis* autem translatoribus, ſexti,ſolvit naves:ac legiones (ut ipſe *Cæſar*,& *Appianus*, memorant) *ſeptem*, omnium promptiſſimas paratiſſimáſque, cum equitibus ſexcentîs,tranſportat. Et,inobſervatus quidem à *Marco Bibulo*, proptereáq; tranſitu prorſus inoffensô ; tempeſtatum tamen incurſibus ad ſcopulos,ac *montes* Epiri *Ceraunios*,delatus: naves, ac milites omnes,in littus expoſuit,incolumes. Ac naves quidem *Brundiſium* confeſtim, ad *Marcum Antonium*, remiſit. Eum quippe,Româ ſecum,ad uſque mare,ductum; illic poſtea ſub-

ſubſiſtere, cum *legionibus quinque* reliquis, juſſerat: ut eas quoque, quàm primùm, tranſportaret; omnéq; tranſvectionis negotium, unà cum *Q. Fuſio Caleno*, Cæſaris legatô, ſolerter adminiſtraret. Navium tamen recurrentium *Marc. Bibulus* triginta, mediô curſu deprehenſas, cepit: captáſque, dolore negligentiæ ſuæ (quâ, mare primùm tranſeuntes, impunè tenere portum permiſiſſet) ſtimulatus, incendit omnes; & eádem flammâ, nautas ſimùl univerſos, naviúmq; dominos, involvit, & extinxit.

Cæſar autem, eodem adhuc die, quo ſubductos in portum *Epirotici* littoris milites expoſuerat, ad oppidum *Chaoniæ* progreſſus, *Oricum* nomine, *Boream* versùs ſitum, & à terebinthi ſylvis famâ celebratum: id in deditionem, unà cum præſidio *Parthinórum* (gentis *Macedonicæ*) militum, & cum præſidii præfecto, *Lucio Torquato*, Pompejanarum partium, accipit. Eos omnes incolumes *Cæſar*, inviolatóſque, conſervat. Parî modô, ſuam in fidem poteſtatémq; recipit alia, *Septentrionem* ſpectantia, propiúsq; *Dyrrhachium* jacentia, per circuitum, oppida, caſtella, terras. nominatim autem, *Antigoniam*, & *Hecatómpedon* Cháonum; *Amántiam*, & *Búllidem*, Macedonum, Oreſtidárum oppidum: *Dibóliam*,

bóliam item, *Daúliam*, *Scampin* Eordeorum; *Apollóniam* Taulantiorum: univerſam denique, poſt *Oricum* etiam & *Cháones* jacentem, *Epirum*. Cæſaris enim adventu, (tam improvisô, celerique,) nuntiîs ac rumoribus divulgatô: quicunque *Pompejanorum* militum in *Epiro*, finitimisque regionibus, in præſidiis, aut hibernîs, agebant; ii, timore perterriti, relinquebant ſtationes, ac ſigna: multi projectabant arma: quíq; *Pompeji* fidem adhuc, & caſtra, ſequebantur; ad eum ſeſe, magnîs, ſed fugæ ſimillimîs, itineribus, recipiebant. Ac nihiloſecius, cùm, è *Candáviæ* montanô tractu, *Pompejus* ad citima, maríque viciniora, loca, diurnîs nocturnísq; viæ laboribus eodem tempore feſtinans, vix tandem ad *Dyrrhachium* collectô ſpiritu, conſtitiſſet; caſtráque poni juſſiſſet: tantus exercitum ejus univerſum terror invaſit; ut nemo, nec opus facturus, nec, hoſte ſuperveniente, conſerturus eſſe manum, videretur: niſi, princeps animorum recipiendorum auctor, *Tit. Labienus*, in mediũ progreſſus, voce clarâ, jurâſſet, *Se numquam à fide ſignisq; Cn. Pompeji diſceſſurũ.* Sic enim factum eſt, ut ad idem *jusjurãdum* reliquos legatos omnes, ac mox tribunos, præfectos, centuriones, omnémq; demum exercitũ,

exem-

exemplô pertraheret. Itaq; ,quę cœpta fuerãt, perfecta caſtra ſunt; & ad *Dyrrhachium*, præveniente *Pompejo*, ſic collocata, præreptáque ſpatia locorum, propiùs, ac circùm, oppidum: ut, munitionibus jam intus ductîs, ſeriùs adveniens *Cæſar*, eô locô, ſimúlque ſpe retinendæ *Dyrrhachinæ* poſſeſſionis, & opportunitatis omnis, excluderetur. Id nimirùm, tantum boni, *Pompejus* ſuę tandem celeritati, *Labieniq;* cõſtanti fidei, debebat. In hunc ergo modum conſtitutîs Pompeji rebus, id jam ſolum *Cæſari* reſtabat; uti finem properationis ſuæ tantæ faceret: quippe, quam intelligeret, ſpei, votíſq; ſuis eluſis, nihil admodum tunc eſſe profuturam.

Sunt inter *Apolloniam* urbem, ac *Dyrrhachium*, duo flumina, pelagus *Adriaticum* intrantia: quorum alteri, *Candavæis* è montibus defluenti, nomen eſt, non, ut *Appiani* codices hodierni produnt, *Alóri*; ſed, ut plerique ſcriptorum cæterorum, *Apſo*. qui fluvius, propiùs *Apolloniam*, quàm *Dyrrhachium*, labens, in extremis tamen *Apollinatium* finibus manat: alvei ſpatiô, riparúmq; diſtantium intervallîs, aliquantò diffuſior, atque major. Flumen *alterum*, Dyrrhachio propinquius, & ad *Septentriones* ampliùs recedens,

cedens, *Panyaſum* vocabant; tranſitu minùs operoſum, quia minùs aliquantò latum, ac profundum: neque ripis, multùm altîs, aut præruptîs, impeditum. Ad horum igitur amnium alterum ſubſiſtit *Cæſar*; ac cis *Apſum* caſtra metatur: ſub pellibus ibi (quoniam medius adhuc *Januarius* incedebat) *hiematurus*; ſimúlq; quod copiarum ejus in *Italia* reliquum erat, exſpectaturus. Eô cognitô, *Pompejus* quoque, *Dyrrhachio* longiuſculè digreſſus; *Panyaſo* flumine ſuperatô, caſtra cis *Apſum*, è regione caſtrorum *Cæſaris*, collocat: eóque legiones omnes, & auxilia, contrahens, rei bene gerendæ (ſiquam nanciſci poſſet) opportunitatem captat, & opperítur. Ibi dum *Cæſar* eſt: primùm oræ maritimæ locîs omnibus (milite continuô littoribus prætentô) clausîs, præſidiîſque terreſtribus diſpoſitîs; per ſuos adeò *Pompeji* claſſem, portus omnes ac littora maris interiùs cuſtodientem, in officio metúq; contineri juſſerat: ut nihil illis à continenti, neque *commeatuum* & *annonæ*, neque *dulcis aquæ*, vel *materiei*, cæteríve generis rerum neceſſariarum, apportari ſubvehíq; poſſet. eóque neceſſitudinis res Pompejanorum redegerat; ut eis, ne *religandæ* quidem *navis* ullius, nedum *exſcendendi*, copia;

per

per *Cæſaris* præſidiorum intentam vigilantiam, indulgeretur. Quo fiebat; ut, quæ claſſes, etiam longiſſimè ſupra *Dyrrhachium*, ac *Liſſum*, urbes, agebant, aquandi lignandíque cauſsâ *navibus* uti cogerentur *onerariis*, in inſulam *Corcyram* uſque commeantibus, indidémque remeantibus: quarum induſtriâ, laborioſôq; curſu, rerum earum ſubſidia *Pompejo* ſupportarentur. His porrò tantîs incōmodîs, tandem áccidit; ut *Marcus* etiam *Bibulus*, omnibus, (ut alibi dictum eſt) *Pompeji* claſſibus, ſupremâ cum poteſtate, præfectus; tum è labore cōtinuô, viribus corporis exhauriretur; tū inſuper, acrimoniâ maritimi ſimùl hiberníq; frigoris inclementer habitus, ingraveſcentis etiā ætatis labe, morbíq; vehementiâ, frangeretur. Cúmq; tot malorum vim difficultatémq; perferre porrò non poſſet; neq; tamen, vel ad terram à partibus *Macedoniæ*, per *Cæſarem*, vel in portum *Brundiſinum* & *Italiam*, per obſtituros ei *Marcum Antonium*, & *Fufium Calenum*, acceſſus, & introitus, curandæ cauſsâ valetudinis pateret: vitâ demum, adminiſtrationéq; maritimâ, pariter deceſſit.

Secundùm hæc deinde *Cæſar*, Inimici morte nequaquam (ut opinor) triſtis, longéq; minùs, ejus Inimici, quem omnî ferè vitâ diſcor-

dem ſibi, nec exiguum adverſarum partium irritamentum flabrúmq;, ſenſiſſet; *pacis negotium* (ut quidem ipſe prædicat) *à principio ſtatim adventûs in Epirum ſui reſumptum*, tractare per *Lucium Vibullium Rufum*, pręfectum fabrûm *Pompeji*, perrexit: propoſitîs tamen *Pacis conditionibus* iîs, quas contenderet, à *Pompejo*, non ad Senatum illum, qui tum in caſtris ejus, ſed ad eum, *qui Romæ tum eſſet*, & ad *populum Romanum*, rejici debere. Quæ *Cæſaris* utique poſtulata, *manifeſtâ* (tunc ſaltem) *iniquitate* carere non potuiſſe; prudentiſſimi cujuſvis judiciô (ni fallor) decernetur. *Cæſar* enim, eâ tempeſtate, non *Conſul* modò, ſed *re* planè (quod ſuprà diximus), & *armîs*, Dictator; *Servilium*, Conſulatûs *Collegam* à ſe factum; *Cæſar*, Senatum, à ſe lectum, & conſtitutum; *Cæſar*, Populum, à ſe pendentem, *domini* more tenebat in manu. Quò minùs proinde mirandum eſt; ei nihil *tunc*, quod ad mentem ejus ac votum eſſet, reſponſum eſſe: non à *Pompejo* ſolùm, *Vibullium* audiente; ſed, cùm poſt hæc, in caſtris ad *Apſum* flumen, per *Publ. Vatinium* legatum, in ipſa fluminis ripâ ſolum ſtantem, ac vociferantem, Pacis negotium urgeret. cùm item, aliô die, per eundem (magnâ ſuorum, & alterius partis, fre-

frequentiâ redeuntem) belli componendi vias rationéſq; proponeret. Reſpondiſſe namque *Pompejum*, ferebant ii,qui præſentes fuerant,ac perlatas *à* Vibullio *Cæſaris* conditiones audierant; *Taceret! nec porrò verbum ullum, talis Pacis interpres ac lator, proferret! Quid enim opus ſibi, vel vitâ fore, vel civitate; quam, non niſi Cæſaris habere beneficiò Pompejum, omnes eſſent mortales credituri?* Vatinio verò, Cæſarianíſque cæteris, *Vatinium* ſtipantibus, ſtans in altera fluminis crepidine *Tit. Labienus*, inter conjectum telorum,quę *Pompejani* certatim in *Cæſarianos*, & undique, mittere cœperant, dixiſſe cum clamore fertur; *Deſinerent de compoſitione loqui! Sibi namque, niſi Cæſaris relatô capite, Pacem eſſe nullam poſſe.* Refert hæc, iiſdem hîs verbîs, ipſe, Civilis belli librô tertiô, *C.Cæſar*. Qui propterea, ſecundùm hæc, aliáq; complura talia, *ſpem conditionémque pacis nullam adferentia, ſeſe* (velut aliô quopiam locô *Cæſar* ipſe de ſe loquitur) *ad reliquam belli cogitationem recepit*.

Dum autem hæc geruntur;& *Scribonius Libo*, Bibulô defunctô, cū *navibus quinquaginta* profectus *Oricò*,quandam è regione *Brundiſini* portûs ſitam *Inſulam* invehitur: Brundiſium quidem,adverſùs *Marc. Antonium*, tentabat; ſuc-

ceſſu tamen exiguô:nec ad belli ſummam admodum profecturô. Cùm autem interea,temporis multum abiiſſet, in præcipitio jam hieme conſtitutâ, (quæ proinde minùs jam timenda navigaturis videri deberet): ad *Cæſarem* tamen nihil adhuc ab *Antonio*, *Calenôque*, neque legionum venerat, cùm earum interim *quinque* Brundiſii deſidérent: neq; ſupplementorum aliud quidquam (utì quotidie *Cæſar* exſpectârat) advectum erat.

Commiſit igitur primùm ipſe ſe *Cæſar* periculo; ſervilíq; veſtitu diffictus in extremæ ſortis hominem,trajicere navî,fœdiſſimîs tempeſtatibus,*Adriam* tentavit; ut, *Brundiſinum* in littus expoſitus, indè legiones in *Macedoniam* ſecum tranſveheret. Sed, cùm, aſſiduè confirmando contrà vim procelloſi maris gubernatorē,parùm proficeret,tametſi palàm ei deniq; ſe ſuúmq; *nomen* aperiret, animoſéq; vocibus illîs eum hortaretur; QUID DUBITAS? AUT QUID TIMES? CÆSAREM, CÆSARISQUE FELICITATEM, VEHIS: cúmque præterea fluvius ipſe (quem *Anium* Plutarchus vocat),reflantibus adverſùs oſtium illius contumaciſſimè ventîs,æſtúq; maritimô volvente fluctus,intrare mare plenô fluxu non poſſet;

poſſet; *Cæſar* inceptô deſtitit; quæque, ſuîs inſciis, caſtra noctu reliquerat, ea, diluculô coortô, repetivit. Per litteras tamen, ac nuntios, ſeverè mox caſtigatîs *Antonio, Fuſiôq;* ſolvi tandem aliquando naves, ac trajici legiones, utcunque fieri poſſet, juſſit: &, *quod acriter imperavit, celeriter impetravit.*

Antonius namque, (qui, dum in vivis adhuc, maríſque cuſtodiâ, *Marcus Bibulus* eſſet, ejus ſemper diligentiam metuerat, ideóq; *Brundiſino* portu nunquam exierat), illius poſtea morte nuntiatâ, *Scriboniôq; Libone*, qui *Bibuli* partes ſuſceperat, deſpectô; cum *Fuſio Caleno* nactus *Auſtri* flatum, *Brundiſio* tandem ſolvit: alteráq; ſtatim die prætervectus *Apolloniam*, ac *Dyrrhachium*, cùm, è continenti conſpectus, *Q. Coponium*, Pompejanum, (claſſi *Rhodiæ* tunc, ad Dyrrhachium, præfectum), velîs ac remîs inſectantē, & jamjam comprehenſurum ſe, metuere coactus eſſet: in *portum* tamen *Nymphæum*, ſupra *Liſſum*, Illyridis oppidum, effugit; tutò latens: & à tempeſtate, quæ tantiſper *Adriam* exagitare cœperat, inconcuſſus. cùm tamen interim, eandem ipſam maris, ac procellarum, violentiam *Coponius* inſecutor ſuſtinere non valens, naves ſuas conſtratas omnes, nu-

merô *quindecim*, oppoſitas ad petras frangeret; eliſásq;, naufragiô, cum magna, tum *remigum* multitudine, tum *claſſiariorum*, amitteret. Quorum *partem*, à *Cæſarianis* exceptam, & ad *Cæſarem* ſtatim miſſam, ipſe prædicat, ab ſe, *nemine violatô, conſervatam; ac domum quemq; ſuam, remiſſum eſſe: cùm, è diverſo tamen, Otacilius Craſſus, qui, Pompeji juſſu, Liſſo præerat, navium Antonianarum unam, (quæ, ducentîs ac viginti tironibus completa, tardiùs confectô curſu, non in noctem ſolùm, ſed in hoſtiles etiam ſcaphas & lembos inciderat) contra datam fidem, circumveniret, ac perderet. Tirones enim illos, acceptô datôque jurejurando, ſeſe Craſſo dedentes, & ad ipſum protinus perductos, eum ad unum omnes crudeliſſimè, ſuîs in oculis, interfeciſſe. Pro quo tam immani facinore, ſtatim vulgatô, Romanorum civium* (addit Cæſar) *conventus, qui Liſſi tum erat, Antonium cum claſſe ſuâ, tam portu recepit, quàm oppido; quatuor legiones illic, & octingentos equites, exponentem. Otacilius, digna meritîs ſuîs invicem metuens, ad Pompejum clam profûgit.* Hæc ità circa *Craſſum* habuiſſe, Cæſar memoriæ prodidit; ejus fidei relinquenda.

Navium porrò majorem partem, in Italiam *Antonius*, reſiduis indè copiis transportandis ſervi-

ſerviturum, illico remittens; *pontónes*, id eſt, naves, fluminibus trajiciendis idoneas, &, (ſi diſtinguere placet à *pontonibus*) *onerarias*, ad *Liſſum* retinuit: ac, pòſt abiens, reliquit. quarum, paullò pòſt, *triginta* numerô, *Cn. Pompejus*, *Magni filius*, intrà portum *Liſſæum* expugnatas, & captas, inflammavit.

Cùm autem, ſub unum idémq; ferè tempus, & *Cæſar* Antonii nuntiîs, & *Pompejus* ab Oracilio, Dyrrhachinæq; claſſis cuſtodibus, de *Claſſis Antonianæ* proſperô *Liſſæum* in portum introitu, certiores eſſent facti: nullâ profectionis interpoſitâ morâ, ſub unum uterq; tempus ac diem, & ſua *Cæſar*, & *Pompejus* ſua, relinquunt, ad *Apſum*, caſtra: *Cæſar* interdiu, noctu *Pompejus*. Cæterùm expeditiùs *iſte*, multóq; breviorum viarum compendiô, (quippe, directô ſecundùm littus itinere), proficiſcebatur: longiore verò ſpatiô *Cæſar*; utpote, cui vadô flumen, propiùs fontem fluminis, ideóque laborioſô circuitu, ſuperandum eſſet. Id autem eô faciebant uterq; conſiliô: *Cæſar* quidem; ut cum *Antonio*, jamjam ad ſe feſtinante, quàm primùm ſeſe conjungeret: *Pompejus* autem; ut eorum congreſſum, interceptô priùs oppreſsôque (vel palàm, vel ex inſidiis,) *Antoniô*, disjice-

ret, atq; prohiberet. Et antevertit quidem *Cæſari*, (ſicuti debebat), magnîs antevolans itineribus, *Pompejus*; idoneôq; caſtris locô captô, per ſummum illic ſilentium, ſuppreſsîsq; nocturnîs ignibus, conſedit: ut advenientem, tum vel maximè, *Marcum Antonium* exſpectaret; eúmque, nec opinatò, velut è latebris, adoriretur. Sed à *Græcis*, Cæſaris rerum ſtudioſioribus, inſidiarum *Pompeji* conſilium, ac locum, edoctus ſtatim *Antonius*, ſupprimit iter: caſtrîsq; ſe claudit, ac tenet; quoad, expeditîs, de tanto periculo, nuntiîs, commonefactus *Cæſar*, ſubſidio veniret. Isque poſtridie ſtatim ſupervénit: *Antoniiq;* copiis ſuas copias conjungens, *Pompeji* ſpem eluſit eatenus; ut is, hoſtis tunc opprimendi cogitationes, iniquitate fortunæ diſcuſſas, aliò jam averteret. Hic enim, ne cum *Cæſare* ſimul, *Antoniòq;*, cúmq; *duobus* eorum *exercitibus*, ſub *unius* articulum temporis, dimicare compelleretur; etiam illa, quibus tunc occultârat ſe, caſtra deſeruit: &, poſt tergum tam *Apſo*, quàm *Panyasô*, fluminibus relictîs; cum ſuis omnibus, quos adversùs *Antonium* eduxerat, ad locum pervénit, quem *Aſpáragum* nonnulli, Cæſar *Aſparagium-Dyrrhachinorum* appellat. Id, in ſummam, erat; *Ad Dyrrhachium* (ubi mox

mox ſeſe communivit) & in ejus urbis, haud longiſſimè remotô, tractu, *caſtra* collocare. *Cæſar* autem, *Antonianò* partim exercitu, partim & illâ, quam *Orico* deduxerat, legione, valídior jam plurimúmq; confirmatus; provincias tentabat *continentis*. Et quoniam, (*Pompejanarum claſſium* invaleſcente quotidie vi, potentiâque,) videbat, oræ maritimæ poſſeſſione ſe dejici, repellíque: *Theſſalos* inprimis, & *Ætólos*, *Acarnánes*, *Amphilochos*, ac *Macedonas interiores*, cum *Parthinis* ſuas ad partes attrahere, conatibus plerumq; non irritîs, adnitebatur. In quo *Cæſar* id vel inprimis ſpectabat; ut, undique comportatô convectóq; frumentô, miles ſuus, (qui cum inopia frugum, in magna licèt pecoris abundantiâ, conflictabatur) vitam militiámq; minore moleſtiâ toleraret. Neque tamen tam diuturni temporis, ea *Cæſaris*, aut excurſio fuit, aut abſentia; quin illuc, ubi conſediſſe *Pompejum* cognoverat, celeriter & ipſe cum exercitu ſe conferret: juxtáq; poſitîs caſtrîs, & omnibus, die poſt reditum proximô, copiîs productîs, *instructâq;* (ſicut ipſe gloriatur) *acie, pugnandi Pompejo poteſtatem offerret.*

Poſtquam verò, *Pompejum* Cæſar à prælio vidit alieniorem; &, ad *Aſparagium* immotîs ſtativîs

 tivîs

tivîs perſeverantem, *Dyrrhachium* (ut is ſanè jam à principio facere cœperat) adhuc in dies commeatum omnem, ac totius apparatum belli, cum pecunia comportare,(cùm interim ipſe, cunctîs illîs è regionibus, quas antè paullò memoravi, ſpe ſuâ longè minus *frumenti* coacervâſſet; & inſuper *re nummariâ* non multùm, ne poſt tot quidem rapinas, abundaret): rem ſui fore compendii credidit, ac præclaram neceſſitatis illiùs utriuſque corrigendæ ſibi prębitum iri facultatem; ſi Pompeji *caſtrenſe promptuarium* illud (*Dyrrhachium*, inquam) occupaviſſet: aut ab eo certè *Pompejum*, clauſtrîs obicibúſque, quàm poſſet, firmiſſimîs arctiſſimîſque, diſcluſiſſet. Itáq; fecit, utì conſtituerat: *Aſparagiiq;* relictô tractu, diverſum admodum ingreſſus iter, perinde, tanquam remotas in regiones aliquorſum, frumentationis cauſsâ, profecturus; operoſô permagnôq; circuitu, quin & anguſtîs callibus, exercitum trahens, iter nocturnum diurno junxit: *Pompejúmque*,(ſeriùs per exploratores inceptô *Cæſaris* cognitô, caſtra demum moventē, hoſtéſq; prę-venire viarum compendiô maturantem) prævénit ipſe; primô cum diluculô locum, *Dyrrhachii* pomœriis ſubjectum, occupando. quem

locum

locum etiã, caſtrîs illic poſitîs, inſedit. *Pompejus* autem, cujus primum jam agmen *Cæſariani*, delati Dyrrhachium, eminus conſpiciebant, excluſus opportunitate loci primâ; commoditatis proximæ locum, collibus ſuſpenſum, cui *Petræ* vocabulum erat, caſtris ſuis delegit: ad quæ, navibus & commeatibus, ab omni longè latéq; marî, (quod *Pompejanis* claſſibus eripere *Cæſar* nunquam potuit) aditus undequaq; liberrimus pateret. *Dyrrhachium* autem ipſum, inter mare paludéſque mediô ſitum ſpatiô, *Pompejanô* (ſicut ex ſuperioribus intelligi poteſt) *præſidio* tenebatur. *Cæſari* verò, cui præciſa facultas expugnationis erat, propter *Pompeji* viciniam, & oppidanorum præſidiíq; ſummam in eum vulgò fidem; ſpes una nudâque ſupererat *occultæ* (ſicut mox inferiùs dicetur) *proditionis*.

Ad *Dyrrhachium* igitur jam ipſum, relictô penitùs *Aſparagio*, caſtra tenebant: eáq; locîs uterq;, tam inter ſeſe propinquîs; ut alternîs colloqui milites amborum poſſent. Commeatum autem *abunde* Pompejani; *peranguſtè* verò Cæſaris exercitus, habebant: quippe, *Pompeji claſſium* diligẽtiâ præcluſîs ei frumentariarum ex *Italiâ* navium ſubſidiîs, ab omni littorum

Adria-

Adriaticorum parte: *Graciâ* verò *Macedoniâque* jejunè ſubminiſtrante. Quæ *Cæſaris* incommoda,cumulabat ipſum inſuper anni tempus: utpote,*frugibus*, quoad *æſtas* ad maturitatem ſata perduceret, ad victum humanum, in tempus adhuc utcunq; longum,infructuosîs. Ne verò *Pompejus*,pabulari ſaltem, & aquari, per equites, quibus abundabat, ſemper,& ad arbitrium ſuũ, poſſet; útq; propterea, viciſſim ipſe quoq; rerum quarundam ad penuriam adigeretur: aſperos editóſq;, quibus *Pompejana* caſtra cingebantur,colles, præſidiîs primò,deinde caſtellîs, & unâ munitione continuâ, *mille ducentorúmq; ſtadiorum ambitum* comprehendente, ſic *Cæſar* occupavit: ut,ab unâ parte *maris*,ad partem aliam, ductô *muro* (ſicut opus illud *Appianus* appellat), *centum & quinquaginta circiter milliariûm amplitudine*, Pompejum,(cum copiîs omnibus velut in cuſtodiam, *terrâ* tenus, compactum), coërceret: nec illis ulla,niſi *maritimarum excurſionum*, libera facultas exitúsque ſupereſſet. Paullatim quoque, *poſt hac*, (quatuor enim ferè menſium iſta fuit, ſiqua *Suetonio* fides eſt, obſidio), *fluvios* Cæſar univerſos,ac faciliùs *rivos*, & *fontes*,aut avertebat, aut operibus ac molibus obſtruebat; vel, quibus

bus deniq; modîs poſſet aliîs, obturabat, & in ſiccum redigebat: nequid facilè *ſiti* Pompejanorum, præter *maris* amaritiem, aut,ſubvectam aliunde navibus,*inſulanam* præparcámque lympham, ſubveniret. Quod ipſum tamen induſtriæ fortunæve beneficium,paucas admodum in horas, ac tot potionis illius *corrivalibus* ægerrimè ſuffecturum erat: neque diu *fontanis* etiam è *ſcatebris*, à militibus Pompejanis effoſſione laborioſâ repertîs, duraturum; propter *Solis* ardores,qui celeriter eas exſorbebant. In hac porrò,*tantæ molitionis*, re, *Cæſar* non id modò ſpectabat, quod paullò ſuperiùs dixeram;ut ſcilicet *equitatum Pompeji,* (ſi pabulum intrà munitiones illius,aquatióq;,deficerent) inutilem ad ſupportationes efficeret: ſed illud etiam; utì,ſeu procederet ipſi quidquam ad rei ſummam, ſeu ne, tanti tamen, & antehac tam inauditi, conatûs gloria,caſtrorúmq; tam ingentium rumor, poſteris quoq; monimentis ac ſæculis proderetur: & ut (quod de ſe confitetur ipſe Cæſar) *Ducis tanti, quantus Pompejus Magnus erat, auctoritatem, qua vir ille potiſſimùm exteras apud nationes niti videbatur, imminueret: cùm fama per terrarum orbem percrebuiſſet*; A CÆSARE POMPEJUM OBSI-

DE-

DERI: NEC ISTUM AUDERE PRÆLIO DIMICARE.

Prudentiſſimè nihiloſecius *Pompejus* (ut poſtea *Cæſar* etiam agnovit) primùm omnium, iis, in quibus tunc erat,ſe caſtrîs, ad *Petram*, continuit: certus, nec à *mari*, quod ejus copiis alimenta ſubvehebat, nec à *Dyrrhachio* (cujus intrà muros, ac ſinum, arma, tela, tormenta, bellíque totius apparatum univerſum, contuliſſet) quantiſper in propinquo *Cæſar* eſſet, unquam abſcedere. Deinde, quò magìs *Cæſarianos* diſtineret & fatigaret, ipſéque *ſativi compaſcuique ſoli* plus aliquantò complecteretur; laxare caſtrorum ſuorum, proferréque, ſpatium,inſtituit: nec tantummodo *colles* quàm plurimos, ac terræ tractus ampliſſimos, præſidiîs obtinere; ſed, *caſtellis* aliîs ex aliis, ad numerum *pluſquam viginti quatuor* (utì *Juſto Lipſio*, contra *Cæſaris* Commentariorum *vulgatam* hodie lectionem, viſum eſt) exſtructis, regionis ambitum occupare *quindecim millium paſſuum*: hoc eſt (ut *Lucanus* hiſtoricè, veréq; doctiſſimorum quorumq; judiciô,ſcriptum reliquit);quantô paſſuum intervallô *Româ* diſtabat *Aricinæ Dianæ nemoralis lacus*. quod ſanè viæ ſpatium,& *Dionyſii*, *Philoſtratiq*, priſcorum teſti-

teſtimoniis,*centum viginti ſtadiorum*; &,è noviſſima quoq; *Philippi Cluvierii, Joannisq. Bunonis*, dimenſione,tabulâq;,*milliariûm* (etiã hac tempeſtate) *quindecim* eſt. Tot enim millia paſſuũ, è *centum* & *viginti* menſurâ *ſtadiorum*, emergunt. Et ideo,ſolius *ſemihora* viâ minus, quàm, *milliariûm Germanicorum vulgarium quatuor*, caſtrorum Pompejanorum circuitus ille, ſpatiúmque, fuiſſe deprehendetur: intrà quod *ſeri, meti, paſciq.*, poſſet.

Quantò productius igitur, quámq; multis partibus amplius, atque capacius, eſſe ſolum illud, illúmq; regionis tractum omnem, oportuit (uti meritò ratiocinatur, hîc quoque, *Lipſius*); quem, *muro perpetuo, caſtellíſque collium, ac præſidiis* militum,*Cæſar* (quaſi cingulô *Pompejanos*, qui locum interiorem tenebant, circumcludens) inſedit? cùm apud *Arnoldum Montanum*, in Cęſaris tertium de Civili bello librum, ſint, qui, nullâ controverſiâ dubiôq;,verè putent ab *Lucano* dictum eſſe; MAGNO RECESSU TESQUA, SALTUS, SYLVAS, CÆSAREM CASTRIS ILLIS SUIS INCLUSISSE: nec falsò ſpatium illud,ab eodem auctore,comparatum fuiſſe cum terris illis, quas *Orontes* Syrorum, aut *Tigris* Aſſyriorum,

rum, amnes, ambiunt: immò, QUÆDAM ORIENTIS ILLORUM TEMPORUM REGNA, STATIVIS ILLIS UTRIUSQUE ROMANORUM DUCUM, AMPLIORA VIX FUISSE. quod equidem, de *Phœniciæ* ſaltem *Chanaanitidisq;* regnis aliquot, eſſe certum indubitatúmq;, reor.

Cùm porrò *Duces*, de quibus agimus, inter ſeſe quotidie contenderent, alter alterum, operibus ad laſſitudinem adducere; *Cæſar* quidem, ut quàm arctiſſimè *Pompejum* includeret: *hic* autem, ut ſe, quàm poſſet ampliſſimè, prolatîs caſtrorum finibus, & aliîs ſuper alios collibus, ulteriùs ſemper ulteriúsq; *Cæſari* præripiendîs, extenderet: crebra fiebant, ſed citra belli ſupremam aleam, inter utroſque, prælia: *ſagittarúmq;* multitudine, ſicut & *fundibulariorum* importunitate, *Pompejus* Cæſarianos vehementiſſimè, jam à principio, fatigabat, & affligebat. Quodam etiam die, cum *nona* Cæſaris *legio* (quam, ad *Placentiam* antehac tumultuatam, ac de dimiſſione decimationéq; periclitatam fuiſſe, dixeramus) præſidium quoddam, occupatum à ſe, vallare cœpiſſet: à *Pompeji* funditoribus, ſagittariis, ac levis armaturæ militibus, & tormentîs, ex omni repentè parte, medium

medium inter opus, circumcluſi milites *nonani*, cladem inſignem, judiciô *Pompeji*, Cæſaréq; vix ipſo dubitante, non effugiſſent: ni receptum eorum, qui per declive capiendus erat, *Antonii*, (cui tunc *nonani* parebant) virtus ac præſens animus, tubâ datò ſignô, maturâſſet: ſimùl autem, & in collem erectâ ſuorum multitudine, *Pompejanos* rejeciſſet; eorúmq; compluribus (ut inquit *Cæſar*) interfectîs, ſuos omnes reduxiſſet incolumes. Vincebat porrò militum multitudine, copiâq; rerum omnium, *Pompejus*: quorum utroque multò *Cæſar* inferior, militem ſuum *laboribus* atterebat. Ejus autem exercitûs *labor* ſupremus, & continuatus, erat *Fames*: eáq; tam ingens, ut *Cæſar*, conſumptô longè latéque, quidquid natum in agris eſſet, ſummîs (etiam ipſiúſmet confeſſione) verſaretur in anguſtiis. Nec reſtabat quidquam, quod ſupremæ ſeu deſperationis, ſeu deditionis, neceſſitudini moram adferret (uſqueadeo nimirum, *ab obſeſſis obſeſſores obſidebantur!*); præter *Patientiam*, ac, *Pani* ſimile, *panis* quoddam *figmentum* & ſimulacrum, immô pene (ſi Græcâ ſit utendum voce) *metaphora*. Valerii namque, neſcio cujus, è caſtris *Cæſarianis* compabulatores, munitionibus egreſſi, fortuitò

radicis quoddam genus herbæve, vel oleris, invenerunt, quod, *Charam*, Cæſaris hodierni codices, *Caron* verò Dioſcorides, aliíque, nominant: elixúmque, perhibent, ad *paſtinácæ* modum inferri menſis, & in obſoniorum haberi condituris, apud *Barbaros*, ac *Macedonas*, ſolere. Radicis igitur id ipſum genus, conciſum, & contuſum, lactíque, ſolertiâ piſtorum, admixtum, multùm, ait *Cæſar*, inopiam levâſſe: quòdque generis illius ingens eſſet, illîs in locîs, copia, *panes* ex eo, militum ad famem mitigandam, effectos. Eos ab his, inter alterna cum ſuis colloquia *Pompejanorum*, qui famem *Cæſarianis* objectabant, in eorum ora vallúmq; conjectos eſſe; quò ſpem illorum, ad deditionem tandem compellendi *Cæſaris*, imminuerent. Quod cùm *Cæſar* ſcribat, tanquam nemini prudentum non veriſimile; ſcriptoribus verò, vel temporum illorum æqualibus, vel haud multò pòſt ſubſecutis, probatum, ac receptum: miror, *Rhellicánum*, Commentariorum Cæſaris commẽtatorem, in hoc, minimè neceſſariæ contentionis articulô, contra *Cæſaris* auctoritatem, Auctorúmq; compluriu torrentem, erigere pennam auſum; & aſſerere: *Nec è pabulo* (quid autem minus habet *herba*

herba pabulô?) *piſtos fuiſſe panes*; *nec à prætereuntibus Cæſaris militibus eos panes* (ſic enim loquitur) *in exercitum Pompeji jactos*, *cùm hi famem illis exprobrarent*: *ſed, à transfugis, hujuſmodi panes ad Pompejum delatos eſſe*. Quaſi verò non & *Appianus* (quo ſe teſte niti *Rhellicanus* jactat), tam de *Panibus*, quàm de *Panum piſturâ*, clarîs *vocibus* tradat (quas voces, ſiquis, vel è triviô, *Græcas* aſſequatur, negare diſſimularéve non poteſt): & tanquam neceſſe ſit, ideo mentiri *Cæſarem* in univerſum; quòd hic de panibus, *transfugarum manu* Pompejanum in tentorium *illatîs*, meminiſſe prætermiſerit, de *conjectu* verò panum in vallum, tradiderit: cùm horum & *iſtud* factum ſit, & *illud*. Ut proinde, tam *Cæſaris*, quàm *Appiani*, veriloquium (quantum ad hoc attinet) criminationis expers eſſe, conveniat. In eo potiùs ſtupendus, militum tam inhumanus paſtus fuerit: quòd *Pompejus*, oblatô ſibi *Panum* ejuſmodi, *monſtro* potiùs, quàm *ſpecimine*, ſpargi rem inter plures, vetuerit: ne, militum *Cæſarianorum*, ferinâ potiùs, quàm indolis ingenuæ Romanæq́;, tolerantiâ, ſub conſpectum adductâ; *Pompejani*, de tam *invicti roboris* expugnatione, deſperarent. Ac profectò, *milites Cæſaris* (licèt eorum vultus,

ac genæ, propter diuturnam eſuriem, *ſpeculari pæne lapide pellucidiores* apparerent); frequenter *Pompejanis*, inter colloquia, vigiliáſq; nocturnas, affirmabant: *Arborum ſe corticibus victuros, priùs, quàm, concluſum ſemel Pompejum, in libertatem emiſſuros*. Erat hoc nimirum *Cæſarianorum* dictum Pompejanis, pro *Labieni* trucibus illis, in *Apſi* ripa, minîs, & effatô; *Pacem ipſis, niſi Cæſaris relatô capite, nullam eſſe poſſe*.

Multùm, inter hæc, nihilominus *Cæſariani* premebantur, *nocturnîs* præſertim incurſibus, à multitudine *ſagittarum*; quas, *univerſas ſimùl*, Pompejani (ſicubi cohortes inimicas, è caſtrorum ignibus animadverterent, ad munitiones excubare) conjiciebant: in vigiliarum ingens malum, ac perniciem. Eam autem *Cæſariani* peſtem, experimentô, quàm voluiſſent, crebriore compertam, *prudentiâ* denique, *ſeriore* quidem illâ, ſed tamen *ſalutarî*, didicerunt effugere: cùm aliô locô *vigilias obire* cœpiſſent; aliô, *nocturnos ignes facere*. Correxiſſe verò captum priùs incommodum, aliâ viciſſim, eâque gravî, *Pompejanis* illatâ clade, videri *Cæſariani* poſſunt: ſi vera ſunt, quæ proximè *Cæſar*, loco quodam libri *Civilium* tertii, valde voraginoſo, neſcióq;, quibus de cauſſis tam hiante, ſubjungit.

jungit. ſuſpicor; *Cæſarem*, cùm eodem illo tempore *proditioni*, de qua ſuprà dicere cœperamus, *Dyrrhachinæ*, beneficio caliginoſæ nubilæq; noctis, inſidiaretur; deceptâ ſpe, ſucceſsúque, prodere poſtea librorum ſuorum verboſis monimẽtîs *affectati Dyrrhachii* mentionem, erubuiſſe: vel certè, ſcriptam jam, poſtmodo tamen, aut per ſeipſum, aut per amicos (Oppium, Balbúmve) ſuſtuliſſe. Sed, quidquid id eſſe, fuiſſéque, vel opinemur, vel opinari refugiamus: noſtrâ non multùm intereſt. Id ſaltem ſatis ad conjecturam probabilitatis habet: Ea, quæ ſubnectit *Cæſar*, Abſente ſe, Publiôque Syllâ vices ejus in caſtris tantiſper obeunte, geſta fuiſſe; non in aliud commodius referri tempus poſſe, quàm in illud, quo, digreſſus ipſe, *deditioni Dyrrhachii furtivæ*, captatîs rei bene gerendæ compendiîs, inſidiabatur: & in ſpem *proditionis*, è præſidio quomodolibet oſtentatam, iminebat. Tunc igitur à *Pompejo*, ſuſpicamur, premi cœptã eſſe legionis illã, quam *Sextam* Tranquillus dicit, cohortem, quæ (ſicut partim is idem, partim & *Appianus*, tradũt), *Minutii Numiciive* ductu, caſtello præerat; *Caſſio Scævâ*, *centurione*, caſtelli portam tutante. Tunc, eam, quam diximus, *cobortem*, opinamur,

unà cum *caſtello*, ſuperventu *Publ. Syllæ*, duarúmque legionum, defenſam, & conſervatam eſſe: rejectósq; *Pompejanos*, ægerrimè ſeſe recepiſſe; quòd, iniquum in locum progreſſi, per declivia ſeſe loca referendo, *Cæſarianos*, è loco ſuperiore ſe ſubſequentes, inſtantésq; ſibi, formidarent. Quo tempore, perhibet *Cæſar*, à *Cn. Pompejo* patre, vix tandem occupatum fuiſſe tumulum, in quo, tuendi ſuî cauſsâ, conſederit: & in quo communitô, copias ſuas omnes continuerit. Quin &, eodem ipſo quoque die, duobus præterea locîs fuiſſe pugnatum: quippe, *Pompejo* plura ſimul *caſtella*, diſtinendæ manûs cauſsâ copiarum *Cæſaris*, tentante; quò minùs è proximis ſtatim caſtellis ſuccurri poſſet. A *Volcatio Tullo*, tribus ſolîs cohortibus, unius integræ *Pompejanorum* legionis impetum tam fortiter fuiſſe ſuſtentatum: ut ea locô tandem depelleretur. A *Germanis* præterea (nam & Cæſari *Germanorum* haud pauci militabant) *Pompeji* militum complures interfectos: cùm ipſi tamen incolumes in caſtra ſeſe reciperent. Ad ſummam: ſex, uno die, facta prælia; tria quidem ad *munitiones*; totidem autem, & ad *Dyrrhachium*. in præliis illis, qui de Pompejanis cecidiſſent, ad numerum duorum millium reper-

pertos à ſuis eſſe:cẽturiones,in his,evocatóſq;, complures: ſigna militaria relata ſex. *Cæſarianorum* autem, omnibus illîs præliîs, non plures *viginti* cecidiſſe: tametſi caſtellani præſidii (quod erat, illa, de qua dixi, *legionis ſextæ* cohors) nemo miles ſinè vulnere diſceſſerit; & quatuor,unius cohortis, centuriones, amiſerint oculos. neque mirum: quippe, *ſagittarum*, quæ *Pompejus* in caſtellum conjecerit, *millibus triginta* poſtea repertîs, atque collectîs; & unius *Scævæ Centurionis* ſcutô, *ducenties tricies* (hunc enim numerum *Cæſar*, ſaltem *exſcriptus*, ponit: alterô tantô minorem *Suetonius*, *Lucanus*, *Valerius Maximus*,& *Græci*) perforatô; Cæſaríſque poſtea, cùm redîſſet, oculis exhibitô. Quæ cuncta, *verbatim* propemodum à nobis adducta, de ſuorum virtute, ſucceſſúque, *Cæſar* conſignavit: vereor, ut, (in *Pompejanorum* præſertim referendis *cadaveribus*) eâ fide, quæ cum veſpillonum Albo cenſúque concordârit. Quibus ſic geſtîs; iterum, *Cæſar*, compoſitionis & concordiæ tentatum à ſe negotium, memorat: ad *Scipionem*, Pompeji ſocerum, (cum exercitu ſuo, jam in *Macedoniam* ex Oriente reverſum) *Aulo Clodio* quodam ablegatô. quem Pacis inter-

nuntium,cùm eum primìs diebus aliquot haud gravatè Scipio viſus eſſet ad aures,& colloquium, admittere; poſtea, ſenſim aditu prohibitum, infectô negotiô revertiſſe: Marci Favonii (qui, *Scipionis* facilitate ſeverè caſtigatâ, rem omnem disjecerit), culpâ, mentíſq; pertinacis intractabilitate.

Poſt hæc autem, *Pompejum* (refert idem) magnîs adjectîs, ad priores, munitionibus,extructis turribus,effectis vineis, firmatîſq; caſtrorum portis, ad arcendum inhibendúmque *Cæſarianorum* aditum; poſt diem quintum,nocte ſubnubilâ, ſilentiô, veteres in munitiones, ac nimirũ, *Petræ* proximas,exercitum ſuum reduxiſſe. Quem in caſtra vetera *Pompeji* reditum, non niſi prudentiſſimô ſummi peritiſſimíq; ducis conſiliô ſuſceptum, (ut videlicet, quam minimè longè *Pompejus* à *mari claſſéque* ſuâ diſcederet),hæc tamen narrans *Cæſar*, ejus non nulli timiditati,latenter callidéq;, tribuere videtur:ſicut & alia mox quędam ejuſdem, intrà munitiones, acta, paullò manifeſtiùs auſus eſt vellicare. quale fuit: *Cùm Cæſar* (ut ipſe de ſe tradit, ac loquitur,) *omnibus deinceps diebus exercitum in aciem, æquum in locum, produceret*; *Pompejum* quidem, *ut famam & opinionem homi-*

hominum teneret, (qui cæteroquin eum, caſtrîs ſe, ſuóſq;, clauſos tenentem, formidinis accuſaturi forent)*pro caſtris exercitum ſuum conſtituere* fuiſſe ſolitum;*ſed, ut acies* ejus *tertia vallum caſtrorum ſuorum contingeret: exercitúſq;* Pompejanus, quaſi prælio paratus *inſtructúſque*, ſuorum tamen, *è vallo jactis, telîs protegi*, quoſvis in caſus *poſſet*; cùm ad manus interea nunquam veniretur. Quale præterea fuit, quòd memoret: Aditibus inſuper duobus exitibúsq; pabulationum *Pompejo*, per nova *Cæſarianorum* opera munitionésq;, clausîs & obſtructîs; eum intrà caſtra ſuum *equitatum* omnem, navibus circumportatum, recipere coactum fuiſſe: propter excurrendi pabulandíque facultatem eis ademptam. quò factum fuerit; ut, eorum equi macie corrumperentur: utpote, quorum in alimentum, (ob defectũ fœni graminíſq;, diu navibus onerariîs antehac ex *Acarnania Corcyrâq;* ſupportati,) deſtringi proximîs ex arborib⁹ folia, teneráq; velli radices arborũ, debuerint; iiſque, præter conſuetudinem aliorum temporum, aut caſtrorum, calonum manibus hordeum immiſceri. Poſt quæ, talibus denique, veluti diſſimulanter præmiſsîs, cauſsîs, id *Cæſar* accidiſſe, colligit: ut, cùm à ſe, præter *duos* no-

viſſimè *fures*, ac *ſtipendii circumſcriptores*, equites, eorúmq; *paucos* clientes, nemo nec *pedes*, nec *eques*, ad *Pompejum* unquam tranſierit; ad ſe tamen à Pompejo *pæne* quotidie perfugia fierent. Quaſi verò perinde laboratum *inopiâ pabuli* ſit, apud eos quoq; milites, quos in *Ætolis*, & *Epiro*, cæteríſque finitimis regionibus, à Pompejo priùs conſcriptos, etiam ipſos ad ſe denique defeciſſe, *gloriatur?*

Cæterùm, hanc *Cæſaris* lætitiam, de redactô, neſcio, quas, & quàm probabiles in anguſtias, *Pompejo*, temperare tandem dilueréq; *Deus* aliquô videtur luctu, voluiſſe: ne (quod *Benadádo* quõdam renuntiari juſſerat *Achabus*) *æquè* ſemper *gloriari* pergeret *accinctus*, *ac diſcinctus*. Id autem, ſi *Cæſarem* audiamus, in hunc ferè modum, per compendium, evénit. Meditabatur *Pompejus*, ad pabulationem vicinioribus in locis expediendam, è caſtris ſuîs eruptionem. Erant porrò, quàm longiſſimè diſtantes à *maximis* Cæſaris *caſtrîs*, munitiones, ad mare pertinentes: quibus *Cæſar*, cum illa, *fatalî* ſemper, & aliquando rebellî, *legione Nonâ*, quæſtorem ſuum præfecerat, *Lentulum Marcellinum*; eique, quòd is incommodiùs eo tempore valeret, *Fulvium Poſthumum*, adjutorem ſubmiſerat. Illic

Illic porrò *valla* fuerunt duo, contrariam in partem inter ſe locata; *majus alterum*, & in altitudinem pedum decem, cum aggere valli, totidem pedes latô; cúmq; foſsâ prædu&#x1d;ctâ, pedum undecim. *alterum* autem *vallum*, quod converſum in contrariam partem dixeramus, erat ſitu munitionéque, paullò, quàm primum illud, *humiliore*. Cæterùm, inter hoc, alterúmq; vallum, *ſpatium* interjacebat pedum ſexcentorum; vacuum, & ab opere munitionum adhuc intermiſſum. Id *ſpatium* contra mare procumbebat: ac proinde, ne, navibus circumvectus *Pompejus*, illàc, quà munitionum opus vacabat, expoſitum militem Cęſarianis, eorũ incom̃odô magnô, poſſet immittere; rectè *Cæſar* meditabatur, ac jamjam cœperat, *vallum novum* per trãſverſa ducere: quod *vallum, ſexcentorum pedum intervallum* illud expleret; munitionésq; duas, exadverſum invicem oppoſitas, conjungeret: ut aditum *Pompejanis* præſtrueret. Sed operis magnitudo, ſpatiúmq; circuitûs munitionum, rem cœptam haud perinde celeriter *ad finem perduci*, quàm *inchoari fierique*, permittebant. Quo fiebat; ut, dierum adhuc multorum reſtare negotium, donec ad ſupremam manum perduceretur, hiatus ipſe, vacánſque muni-

munitionum *intercapedo*, Cęſarianis *intus* oſtenderet: nemóq; non perſpiceret, ſiquo caſu vitium illud munitionis *foràs* ad adverſarios efferretur; id ſinè grandî malô non eventurum. Sed nemo tunc *perfuga*, *delatórque*, timebatur: & utrumq; tamen horum facti ſunt, occaſionem ſpeculati clandeſtinę tranſitionis, *Allóbroges duo*, fratres, quibus *Ægo Roſcillóque* nomina fuerunt; quíque, ſtipendiorum equeſtrium grandis ac diuturni furti recèns apud *Cæſarem* poſtulati, pœnas in futurum, ignominiámq; militarem, metuebant. Ex his duobus igitur transfugis, munitionum illô, de quo dicebamus, vitiô, cæterîsq; quibuſdam bene gerendæ rei facultatibus, cognitîs; *Pompejus* militibus ſuis (quorum numerum permagnum ei, quam confecturus erat, rei deſtinârat) edicit; ut è *viminibus* ſibi quiſque *galearum* tegumenta contexant: aggerem comportent: eum, nocturnîs tenebrîs, in ſcaphas, actuariásq; naves, inferant. Navibus autem iiſdem, numerum ingentem ſagittariorum, ac levis armaturæ militum, imponit: & has, cum *navibus longis*, ad *Dyrrhachium* tunc ſtantibus, mari circummiſſas, agi jubet, ad eam munitionum partem, quam partem, ſuprà memorabamus, ad mare

per-

pertinuiſſe: *Cæſaris* à caſtris maximis quàm longiſſimè remotam. De media præterea nocte, viginti *Pompejus* cohortes, eundem ad locum, ducit. Quidquid autem militum terrâ mariq; rapiebat, ad id, quod animo deſtinârat, opus; id omne *galeatum*, ac præterea *vimine* prædensô *ſupra galeas* contectum, erat.

Diluculum aderat: & ecce! cum eo pariter, à continente, *Pompejanæ viginti cohortes*: nihil horũ, nec ſomniantibus iis, qui de *Nonanis Cæſaris* militibus intus erant in munitionibus; neque ſuſpicantibus illîs, qui tunc in excubiis erant. Eodem verò temporis veſtigiô, malum *foris* inexſpectatius: ſagittariorum, inquam, cum levis armaturæ militibus, numerus ingens, ac denſus; navibus omnes circumvecti: nec minùs, in navibus, *aggeris* immenſa vis. Magnis hi niſibus, foris foſſas invadunt; aggeréq; completas, ſuperant. munitiones, & vallum, incurrunt; ſcandunt; revellunt. *Foris*, unô tempore, ſimùl inſtare ſagittarii; magnâ ſuî ſagittarúmq; denſitate: nec minore numerô, vique, manus alia ſagittariorum *intus*, qui cum *cohortibus Pompejanis* irruperant; &, ex omni parte circumfuſos *Cæſarianos*, premebant. neq; languidiores, *à terra* continente, *Pompejani* ſeſe

legio-

legionarii præbebant : qui legionis *nonæ Caſarianæ* milites, munitionis interioris propugnatores, applicitîs ſcalîs, conjectîs telîs, exoneratîs tormentîs , quaquaverſum graviter urgebant. Defenſores autem munitionum, etſi lapides, *ſaxorúmq;* vim magnam, (unicum tunc illis propugnationis telum) in aſcendentes ſubeuntésq; *Pompejanos* jácerent, atq; devolverent: propter *viminea* tamen *galearum*, de quibus dictum eſt, *tegumenta*, jactu fatigabantur, & ictu, nihil ad cladem hoſtis, ejúſque depulſionem, proficiente. Quapropter, & *intus* obruentibus eos *Pompejanis cohortibus*, (quæ vel ſolæ, plus nimiô negotii *Cæſarianis* faceſsîſſent); & *forìs* inſuper averſos adurgentibus omnî jaculandi, ſcandendi, perrumpendíque valli, contentione, ſagittariîs, ac levis armaturæ militiâ: *nonani* Cæſaris demum ſuccumbunt; &, ex utraq; munitione deturbati, terga vertunt. loci poſſeſſionem hoſti relinquunt. Neq; fugæ remedium afferre *Marcellinus* quæſtor potuit: dum (jam ante fugam tumultu nuntiatô) cohortes mittit, quæ laborantes ſublevarent. Hęc quippe ſubſidia, cùm in ipſum è caſtris fugientium conſpectum, occurſúmq; propemodum, incidiſſent; nec à fugâ, ſemel cœptâ, retrahere

moni-

monitîs exemplôq; trepidos commilitones po-
ſuerunt: nec, in ſe ruentem, vim hoſtium i-
pſa ſola ſuſtinere. Terga dantibus igitur,& hîs,
& aliîs ſuper alia,ſubſidiîs, quæ quæſtor ſub-
miſerat: terror, ac fuga, quæ ſemel *priores* in-
ceſſerat copias, *poſteriorum* etiam agminum a-
liud ex alio, velut afflans, & inficiens, inutiles
reddebat omnes à *Marcellino* ſuppetias. eôq;
deducta res erat; ut, (propter refugientium
turbas, ac multitudinem, oppletîs caſtrorum
portîs) etiam *receptui* deeſſe locus inciperet:
ùtq; nec *eques* aliquid,nec *pedes*, ad opem pro-
ficeret; *Pompejani* vehementer inſtarent; *aqui-
lifer* moriens, equitibus *aquilæ* tutelam com-
mendaret; útq; primæ cohortis Centuriones,
præter unum ſolum, omnes interficerentur;
Pompejus autem, Cæſarianorum ingentî cum
cæde, *Lentuli Marcellini* caſtris immineret; ac
terrore non vulgarî *cohortes* etiam *reliquas* con-
ſternaret.

Jámq; non multùm ab amiſſione caſtrorum,
& *ſtrage* Cæſarianorum *internecinâ*, res abeſſe
videbatur, in tanta fortiſſimi cujusque tre-
pidatione: cùm, ab exercitûs utriuſque mili-
tibus repentè, de loco caſtrorum ſuperiore,
cum *cohortibus duodecim* deſcendere conſpe-
ctus

ctus *Marcus Antonius*; & *Pompejanorum* impetum inhibuit,& *Cæſarianorum* timorem allevavit. Quibus cùm & paullò pòſt *Cæſar* ipſe, (cui periculum tam ingens, fumô per caſtella factô, ſignificatum erat), cum cohortibus aliquot præſidiariîs, ſuperveniret: animadversô, *Pompejum* caſtra ſecundùm mare poſuiſſe; juxta *Pompejum* (quoniam, illius penitùs includendi, ſucceſſu potitus non eſſet) muniri juſſit: quò propinquioribus ſaltem è locis eum coërceret, & inſtringeret. Et verò *Pompejus*, è munitionibus *Cæſaris*, poſt illam, etiam *Cæſaris* hoſtis confeſſione magnam, cædem editam, in ſuas regreſſus munitiones erat: præter alias, conjecturîs potiùs, quàm argumentîs firmioribus, probabiles, cauſſas, id ſpectans; ne fortè *Cæſar*, ceu vir, artium belli callidiſſimus, in caſtris, tantâ latitudine circuitúq; diffusîs, adverſùm ſe ſuóſq;, certaminis ardore progreſſuros, inſidias alicubi collocâſſet. Sed, non contentus *Cæſar* abſceſſu *Pompeji*, quódq; graviorem (ut fieri potuiſſet) cladem non accepiſſet: dolore ſimùl ac pudore ſtimulatus tantæ ſuorū jacturæ, tantæque trepidationis; eodem adhuc ipſo die, tam explendæ vindictæ, quàm reſarciendi damni, quærere locum facultatémq; cœpit.

cœpit. Eam autem inveniſſe ſe,ratus eſt; horæ vix unius, à locatis jam juxta Pompejum munimentîs, interpoſitô decurſu: quando ſpeculatores, *poſt ſylvam vicinam apparere cohortes, quarum numerus referret ſpeciem legionis*, renuntiârunt; *quam legionem in vetera*, dicebant, *Pompeji caſtra duci: quippe, ſignô jam legionis illuc illatô*. Sui temporis igitur, & opportunitatis, ad rem bene gerendam, id ratus eſſe, *Cæſar*; perinde, ceu munitione necdum perfectâ, (quę perfecta tamen jam erat)cohortium ſuarum duas in opere relinquit; quæ ſpeciem eminus *Pompejanis* facerent, quaſi totius exercitûs, permuniendîs adhuc caſtrîs occupati: ne cuiquam, vel tenuiſſima, ſuboriri ſuſpicio poſſet *Cæſaris copiarum*, eô præſertim die, tam præliô, quàm muniendi labore,fractarum; tanquam eæ, commovere ſe, vel adversùs *Pompeji* victorem exercitum, vel contra munitiones hoſtiles, eſſent auſuræ. *Duabus* igitur, ut dixi, *cohortibus* iîs, eô fallendi ſtudiô, relictîs, ut operis perficiendi celeritatem contentionémque, quoad poſſent, adſimularent: ipſe, diversô prorſus, & alienô *Pompejanis* caſtris, itinere, quàm licuit, occultiſſimè taciriſſiméque, *cohortes* ſecum *triginta tres* rapit: & ad

Pompeji legionem illam, ejus opprimendæ ſpe ſtimulatus, circuitúque viarum uſus, acie bipartitâ ſic ducit; ut in ejus cornu lævo curet ipſe. Tantò majorem porrò, legionis illius hoſtilis, priuſquam à *Pompejo* ſuccurri poſſet, obterendæ, ſpem *Cæſar* conceperat: quòd, inter *caſtra vetera*, (quò deductæ fuerant, à ſylvæ tergo, cohortes illæ) *Pompejique caſtra noviſſima*, quo tunc locô *Pompejus* erat, dimidii milliaris interjacebat viæ-ſpatium. Pervénit *Cæſar*, quò voluerat: latebat *Pompejum*, utì voluerat: aggreſſus caſtra cornû lævô ferociter, propugnatores indè dejecerat: *ericium* militarem, aculeatîs ramorum apicibus portarum aditus arcentem, exſciderat; & irruperat: legionem, cum defenſoribus, in fugam conjecerat; ínque caſtellum ſeſe recipientem, aliquot eorum interfectîs, oppugnare cœperat: & quidem hæc omnia (quod maximè quæſierat) priùs, quàm eorum quidquam *Pompejus* ſentire poſſet. Corrupit autem victoriæ ſperatæ curſum, *dextri cornû Cæſariani* locorum ignorantia: quod cornu, dum, duce viarum-gnarô deſtitutum, in munitionem, penitùs alienam, ac diverſam ab ea, quam cum *lævo cornu Cæſar* perruperat, impingit; & portam,

(quæ

(quæ nuſquam illic ulla) quærit: vallum tamen conſcendit; &, obſtante nemine (nec enim ibi quiſquam propugnabat) univerſum poſt ſe *Cæſaris* equitatum, unà miſſum, trahens, ibi pugnare parat, ubi nihil, præter flumen, & locum vacuum, erat. ad flumen enim ea munitio, non ad certaminis locum, pertinebat. At *Pompejus*, inter hæc, longô ſatis interpoſitô temporis decurſu, caſtrorum *veterum* ſuorum (dum in *novis* ipſe verſatur) intellectô tantô periculô; *quintam* ab opere *legionem* rapit: eámque ſuppetias ſuis ducit. Hanc, accelerantem, contentione magnâ conſequitur & equitatus ejus. inſtruitur, pro *Pompeji* caſtris *novis*, ſimùl acies: imminent equitibus Cæſaris equites Pompeji: conſpicantur, è *caſtris* Pompeji *veteribus*, cohortes *Cæſarianæ*, cohortes *Pompejanas*, adversùm ſe tendētes; & earum aciem, eminus in ſe directam. Vertitur illico color *Cæſarianis*: & animus illis, ad manum conſerendam, defluit. At, à contraria parte, conſpectu ſuorum, ac propinqui ſpe ſubſidii, Pompejanæ cohortes, quæ ſeſe receperant in caſtellum, & ad *portam* caſtrorum veterum *decumanam*, recipiunt animos: ínque *Cæſarianos* jam ultro capiunt impetum. Fu-

giunt ex aggeribus, jam ſcandi cœptîs, *Cæſaris equites*, timore pallentes: fugiunt & dextri cornû *pedites*, equitum exemplô fugâque perterriti. qui tamen, dum retrò ſe recipere conantur; metu gravioris cladis, in *foſſas* ſeipſos, *decem pedes altas*, præcipites jaciunt: ac cæteris, per eorum corpora peſtem evadere properantibus, conculcandos ſe præbent. Eadem autem mala timentes *lævi* cornû *Cæſaris* milites, &, hinc quidem inſtantem à fronte *Pompejum*, illinc autem, à tergo prementem ſe, *legionem Pompejanam*, intuiti; paſſim denique fugientes *Cæſarianos*, conſpicati: relictîs omnibus, ac pars, etiam abiectîs armîs, & ne *ſignis* quidē vulgò retentîs, eripere ſe telis hoſtium, omnî pernicitate, contendunt. Ubique pavor, ubique clamor, fuga, tumultus, luctus, ac deſperatio: paſſim imperii (tametſi *Cæſare* revocante, prehendentéque,) contumax detrectatio: cædes autem, à *Pompejanis*, fugientium, reſtitantium, in caſtris deprehenſorum; & omniū indefeſſa laniena: quoad *Pompejus* ſineret, neque receptui cani juberet.

Jámque paullùm admodum aberat, quin *Cæſaris* univerſus ille *triginta trium cohortium* (in quibus, & tunc, infelix ille *nonanus miles* erat)

erat) *exercitus*, in munitionibus, in foſſis, in fluminis ripis, in fugæ pavidis erroribus, anguſtiſque viarum callibus, occidione deleretur: niſi *Pompejus*, (etiam hôc, ad plenam victoriã tam opportunô ſibi tẽpore, ſuas ad inſidiarum-ſuſpiciones abuſus) appropinquare munitionibus, eáſq; perrumpere, cunctatus eſſet. Quam ad moram, etiam *equitum* ejus acceſſit cunctatio: qui (portas, & adituum anguſtias, *Cæſarianis* conſtipantibus) penetrare munitiones, aut cohortes hoſtiles inſequi, negotium eſſe vix operis humani, judicabant. Quò mirandum minùs eſt, tantô diſcrimine Summæ rerum ſuarum perfunctô CÆSARI, mox excidiſſe vocem: VICTORIAM ILLIUS DIEI, PENES POMPEJANOS; INTERNECIONEM, PENES SUOS, FUISSE FUTURAM: SI VINCERE POMPEJUS DIDICISSET. Eum nihiloſecius, ob hæc etiã, quæ retulimus, tam animosè geſta, *ſui*, non *Victorem* modò, ſed & *Imperatorem*, conſalutârunt. *Cæſar* autem, *arrogantiæ* ſuæ tenax, ſe, pro *planè-Victô*, ne *tum* quidem, habuit; neque *poſtea*, ſuîs in *libris*: cùm præſertim tam multîs rem omnem narrationis ambagibus involvat; tot *ſe*, ſuáſque *cohortes* fugitivas, argumentîs ac rationi-

bus extra culpam, amiſſæ tunc *palmæ*, colloca-re contendat: ut perſuadere lectori credulo (ſiquem inveniret adeò facilem) nitatur; Copiarum ductorem illum, aut exercitum, *victum* non eſſe, cuj locorum obſtiterit error; cuj legionum iminutio; cuj militum paucitas (etſi ſanè *cohortes triginta tres*, ac *numeroſus equitatus*, videri paucitas nemini debēt); cuj munitionum præoccupatæ portæ, tramites, anguſtiæ; cuj multitudinis, arctè conſtipatæ, labor & compreſſio; cuj progreſſus in locum iniquiorem, & receptuum difficultates, ac diſcluſa copiarum inter ſe cornua, mutuóq; ſibi ſubveniēdi facultas erepta, nocuerint: cuj militū, in foſſas, ac flumen, præcipitium; & exercitûs deniq; pavor, fortuna, fatum, belli communis caſus, & alia talia, præceptam jam animîs, & opinionibus expeditam, *Victoriam* interſciderint, & in *cladem* converterint. Quibus omnibus *Cæſar* ratiuncularum, accerſitîs pro ſe, *coloribus*, aliud non proficit; quàm, *ut, tam accuratè celatum detrimentum, credatur, tantò fuiſſe majus*: & EXCUSATIO, NON PETITA, SUI LATENS ESSE VIDERI POSSIT ACCUSATIO.

Revera namque, *duobus* illius diei præliîs, amiſit

miſit *Cæſar* (*ſuapte* ſaltem *confeſſione*), ſigna triginta duo; præſtantes equites aliquot; tribunos militum, ac centuriones, triginta; militum cæterorum, nongentos ſexaginta: veteranorum item, à *Pompejanis* captorum, numerum memorabilem. quos mox omnes *Tit. Labienus*, à *Pompejo* precibus impetratos, & ad ſe productos, poſt exprobratam eis contumelioſè *fugacitatem*, in exercitûs conſpectu trucidavit.

Secundùm hæc, Pompejanos *Cæſar*, ſuîs in commentariis, dicteriîs, haud obſcurîs, irridens, *Quaſi verò virtute viciſſent, nec ulla rerum commutatio poſſet accidere: ſuper illius diei ſucceſſu gloriatos*, ait, *ac Victoriam, per terrarum Orbem, famâ litteriſque concelebrâſſe. Tantum quoque fiduciæ ſumpſiſſe ſibi, ſpiritûſque* tantum: *ut jam deinceps non de belli* porrò *gerendi ratione, ſed de victoriæ (quaſi jam partæ) fructu, cogitarent: eò, quòd Viciſſe jam Sibi viderentur:* ipſo Pompejô, ſibi tributam, *Imperatoris* appellatiónem admittente: *tametſi, nec in litteris, nec in faſcibus, imperatorium inſigne* (lauream) *præferret*. Quod quidem *Cæſaris* adversùs *Pompejanos* ſcomma, *parte duntaxat illâ*, qua *fiduciam eorum immodicam* ſuggillat, iniquitatis nihil habet. merebantur enim; ad extremum,

etiam iſtius peccati, pœnas exſoluturi. Sed irriſionis illius *altera pars*, quâ jam iteratò, tertióque, *Viciſſe Pompejanos illô die*, negat, ac pernegat; quopiam (me judice) derìdiculô, vanitatéque, non omnino caret. Si namque Cæſar, *illo quidem die*, Pompejanis è caſtris non diſceſſit *Inferior*: cur *Marcus Cato* (quod *Plutarchus* aſſerit), foſſas ac munitiones, cadaveribus *Cæſarianorum* oppletas, conſpicatus, illacrymavit? cur, obvelatô capite lugens, quoniam tantũ ſanguinis civilis flumen profuſum eſſet, habitu deteſtantis hæc talia, diſceſſit? Cur proximè ſubſecutam noctem in tanto *Cæſar*, quantum & inferiùs exprimemus, *mærore* traduxit? VICTOS igitur *aliquos* fuiſſe, manifeſtè conſtat. VICTORES autem, *utros* putemus? Eóſne, qui poſt pugnam exultabant? An illos, qui *flebant*, ac *deflebantur*?

XXVII. Quæ dicta ſunt adhuc, à primo præſertim *Cæſaris* in *Epirum* ac *Macedoniam* adventu: ſunt ea ferè, *Cæſaris* ipſius è ſerie, fidéque *Commentariorum* illius, expoſita. Quam eorum *fidem*, cùm alio ſuperiùs locô dixerimus, nec *ipſius* quidem *amicis*, univerſim, & *in omnibus*, ratam haberi potuiſſe; partim, ob auctoris nimiam in iis, quæ peregre nuntiabantur,

bantur, credendîs, *facilitatem*; partim, ob *calliditatem*, qua nævos, & delicta, (quæ vehementer ipſe tamen, & acriter, in *Lentulo*, *Scipione*, *Pompejô*, cæteriſque, crebrò perſtringit) in ſeipſo, licèt plerumque graviora, prætérit, atque diſſimulat; aut, ſicubi celare non audet, elevat & extenuat: ob has, quas dixi, cauſſas, AUDIENDA meritò PARS eſſet ETIAM ALTERA: quíque de *Græcis* ſubinde, *Romaniſque*, neutrarum partium ſtudiô laborantibus, diversè res narrant, in medium producendi forent.

Sed videlicet, In *Hiſtoria* nihil eſſe mihi, vel importunius videtur, vel moroſius, ingratiúſque lectu: quàm, *identidem*, & *ad ſingula quæque* rerum enarrandarum capita, percenſere (*verbîs* præſertim *alienis*, & iis ipsîs ad ſyllabam litterámq; tranſſumptîs); Quid quiſque Scriptorum, ab altero, pluribúsve, diſſonum, interdum autem & pugnans, atque contrariũ, adducat: cùm, inter hæc tamen omnia, quæ tot aliunde laboribus corraſa fuerant, & ad apicum uſque ſcrupulum exſcripta; nihil ille, qui *nomen* ſuum operi præfigit, auctoritate ſuâpte dicat, nihil cenſurâ propriâ (quam ſinè dubio ſobriã eſſe, modeſtámq;, cónvenit)

ſecernat, aut decîdat. Ut proinde dici *Cōportator*, veriùs, quàm hiſtoriæ Cōpoſitor, mereatur. id, quod, meâ memoriâ, Vir, cæterà ſanè laborioſus, eruditus, & inſignis, tum in aliis operum ſuorum partibus, tum in Hetruſci pręſertim *Vatis* combuſti *rebus*, poſteritati tradendîs, fecit; non ſinè lectorum quorundam (& inprimis *Ariſtarchicorum*, ac *Sectariæ* gentis,) impatiēte ſtomacho, quorum nonnemo; *Quid hic* (inquit) *lectori dictum eſſe vult*, aut, *è libris ſuis* retentum, & creditum: quod nec ipſe, *Se dicere*, vel *tenere*, *noviſſe*, *crederéve*, profitetur? *Dicat, per Cœlum! in unaquaque tandem re, non, quid Alii ſolùm, ſed quid Ipſe potiſſimùm, vel neget, vel affirmet! nec, ſe morétum, putet, ſed Librum, concinnare: cujus* VERITAS ESSE, SINE DISSIDIO, SIMPLEXQUE, DEBET.

Verùm, ſit ſanè tali *Scriptorum* generi, conſtétque, ſua quædam, ac certa, ratio, legitimáq; cauſſa! *Cuivis eſſe certè non debet: & ſiquando debet; nec cum moleſto fiat lectoris delicatioris abuſu; neque cum immodicâ ſuppoſititiæ narrationis (in re præſertim intricatâ) diffuſione*. Cùm enim in nullo facilè ſermonis-hiſtorici *torrente*, decorum ſit, effluere: multò minimè conveniens erit, in *turbido*. Quod igitur tum antè paul-

tè paullò dixi,tum,in hujus ipſius ingreſſu *Ruinæ*, ſubindicavi curſim; id repeto. *Statuat*, *quiſquis ſcripturus eſt*; *quidnam*, *rebus maturô judiciô diſcuſſis atque ponderatîs*, *è plurium*, *aut certè graviorum*, *auctorum conſenſu*, *ſequendum ſibi judicet*: *animique Suimet ſenſum ponat*; *non Aliorum perroget*, *atque numeret*. ID enim ESSET, NESCIRE; QUIDNAM SCIRE LECTOREM VELIS?

Sed, quanquam hæc ità ſe,quemadmodum dictum eſt, habent: *in hôc* tamen *duntaxat belli Civilis Pompejo-Cæſariani* progreſſu, non omnino repudiandum nobis illud ipſum, quod *generatim* improbamus, narrandi devium genus, inſtitutúmque, viſum eſt: tanquam res, è lectoris, præſertim cupidioris, commodô futura; ſi pateat, *Quid* nõ modò *de ſe Cæſar*,ſed &, *de Cæſare quid alii*, prodant, ſuper tranſmarinâ potiſſimùm illius,ad *Dyrrhachinum* uſque *prælium*, expeditione: nequis, *Julium* (*ſibi ſemper æquum & clementem*)in hôc rerum geſtarum forô judiciíſque, putet, regnare ſolum oportere: verbáque *Cæſaris*, verborum *Pythagoræ* debere pondus & auctoritatem habere.

Sit ſuus igitur & *Appiano*, *Dioni*, *Plutarcho*, *Tranquillo*, *Lucano*, *Ciceronique* nonnunquam,

(qui

(qui caſtris & ad *Dyrrbachium*, & in campis *Theſſalicis*, interfuit) locus, ac fides.

Cæſar (ajunt), cum copiis, quas in terram, è navibus Brundiſinis, ſub noctem expoſuerat; *Oricum*, Ionii Sinûs littoralem urbem, per aſperorum colliũ anguſtos tramites, petit: eámq; deditione ſpontaneâ ſuam in poteſtatem redigit. Ad eundem modũ, Apolloniâ quoq; potitur. Ex quo loco, cùm ſatis militum ſecum nõ haberet, eò, quòd exercitûs quoq; veterani pars magna, tot expeditionum impatientiâ fatiſcẽs, querulè tardiúſq; *Brundiſii* coiret: navim ipſe, *duodecim remis* agilem, ſervili cõtectus habitu, conſcendit: ut, quod in *Italia* militum adhuc aberat, ipſe deduceret; & in *Macedoniam* tranſportaret. Et *ventis* autem, & *undis* maritimis, flumen pariter, ac navem, ab ipſo ſtatim oſtiô repellentibus; vix tãdem permiſit gubernatori *Cæſar*: ut, reflexô curſu, navem (aquâ jam multâ receptâ, demerſioni propinquam) in ſiccum reduceret; indéque ſe, rebus infectis, exercitui redderet: graviter expoſtulanti, quòd, aut militis, quem ad *Apolloniam* tunc haberet *Cæſar*, deſpexiſſe vires, aut diffiſus eſſe fidei, videretur: *tanquam verò, ſinè copiarum Italicarum cunctabundîs illîs, & tantùm non refractariis, ſupple-*

ſupplementis, agi nihil in acie poſſet! Præterquam, quòd, in illo tanto rerum bellicarum articulo, qui præſentiam imperatoris vel in primis expopoſciſſet, ducis ſummi prudentiam nonnulli requirerent; caput ſuum procellis, ſalutémque legionum hoſtibus, exponentis. Hoc totum preſsè *Cæſar*, ſuis in *Commentariis*, (jactantiæ, credo, ductus odiô) tacet: qui tamen idem, *Catonis, imparatam in Sicilia rerum bellicarum adminiſtrationem; qui Pompeji geſta quædam inconſultiora; qui, Lucii Domitii clandeſtinis receſſibus & cõſiliis obmurmurantem, in præſidio Corfinienſi, militem,* non tacebat.

Apolloniâ porrò progreſſus *Cæſar*, animum & curas omnes intentas habebat occupãdo *Dyrrhachio*; dum indè *Pompejus* adhuc abeſſet. Quod cùm *Pompejum* non lateret; idipſum intentiorem etiam eum, adminiſtrandis cum induſtria feſtinationéque rebus, fecit. Quamobrem, ut *Cæſarem* anteverteret; è *Macedonia* raptim profectus in *Parthinos Illyricos*, concædes ubique locorum ſaltuúmque, per quos tranſitus eſſe commodior hoſti *Dyrrhachium* poſſet, *Cæſaris* remorandi cauſsâ facit: commeatum flammîs corrumpit: agros evaſtat: pontes interſcindit: *Dyrrhachium* hoſti præripit: ad muros oppidi caſtra ponit: *Oricum*, à *Cæſare*

Cæſare primulùm deditione captum, immiſſâ claſſe, recipit: maris *Ionii* cuſtodiam acuit, ac denſat: *Apolloniæ* quoque recuperandæ ſtudium intendit: & ad *Apſum* flumen contentione magnâ properat. Quòd autem eodem & *Cæſar* jam pervenerat; ipſe, caſtra cis flumen, ac *Dyrrhachio* propiora, conſtituit: *Cæſarem* autem, in ulteriore ripâ ſubſiſtentem, ac, propter copiarum numerum (*Pompejanis* adhuc inferiorem) *pacis* iterum negotium, temporis ducendi cauſsâ, per internuntios tractantem, ipſe, fraudis intellectô conſiliô, nec refutat, nec recipit: ſed diſſimulabundus, pugnæ ſe parat; ac, (priuſquam, ex *Italia* ſuperveniens, *Antonius* exercitum *Cæſaris* augeret) *Apſum* amnem tranſire conſtituit. Cæterùm, ponte, quo fluvium ipſe conſtraverat, ob multitudinem tranſeuntium, diruptô; cùm præſertim & ſuorum quorundam, qui jam anteceſſerant, & ſubſequentium auxiliô deſtituti *Cæſarianorum* in manus inciderant, jacturam *feciſſet*: hôc rerum eventu, tanquam *futurorum omine* quopiam, *Pompejus* abſterritus; cœptô, tunc quidem, abſtitit: & contentus equitum parvulîs quibuſdam ultrò citróque certaminibus, quæ partis utriuſque damna compendiáque

vici-

vicibus propemodum æqualibus alternarent: ſub adventum tandem *Antonianarum* (uti ſuprà relatum eſt) navium atque copiarum, retrò, *Dyrrhachium* versùs, ab *Apſo* copias abduxit. Ad *Dyrrhachium* autem, ut antè fecerat, (etſi diversô nonnihil ſitu) repoſita caſtra, præaltis factîs, ad munimenta firmiora, foſsîs, defixîſq; trabibus, præſepſit. Quem ipſum tamen, tam latè validéque munitum, caſtrorum locum, operibus *Cæſar* clauſit, ac munitione *mille ducentorúmque ſtadiorum*: quorum menſura *Centum circiter, & Quinquaginta*, conficeret *milliarium Romanorum* ambitum. Ibi, poſt longam denique cunctationem, non *Cæſarianîs* ſolùm in caſtra Pompeji, ſed *Pompejanis* demum & in caſtra Cæſaris, irruentibus; pugnatum ſummîs, à parte *Pompeji*, viribus eſt: &, hoſtibus antrorſum retrorſúmque *Cæſarem* prementibus, ínque caſtris ejus vix remanere quoquam auſô, *Cæſar* ipſe ſupremum in vitæ ſalutíſq; ſuæ periculum eſt adductus. Dum enim ſuos, paſſim fugiẽtes, & arma, tela, ſcuta, ſigna, projicientes, injectâ manu retinere (quibusdam etiam contortô collô) conatur: quidam ex his miles, robore corporis formæque dignitate ſpectabilis, ei, moranti fugam,

gam, & *in hoſtem obvertere ſe* jubenti, gladiô (quod Plutarchus ait) *diſtrictô* minatus mortem; opere minas explêſſet, (quippe, rerum extremâ confuſione perturbatus): niſi *Cæſaris* armiger, eum præveniens, illius, ictum jamjam inferentis, brachium amputaviſſet. Ad ſummam. CERTATUM *fuiſſe* tunc, *Appianus* ait, CÆSARIANORUM INGENTI CUM CLADE. quam, licèt ad *mille* duntaxat *cæſorum* numerum, præter-propter ſupputare *Plutarchus*, in Vita Cæſaris, videatur: reſtringit tamen hanc ipſam *occiſorum* ſummam (haud utique contemnendam) ad eos ſolos, qui tunc IN ACIE ceciderunt. *Viniverſim* enim, & in *pugna* tunc, & in *fuga*, caſibúſque, connexîs illi pugnæ, *Cæſarianorum millia duo* ſtrata; generatímq;, *præluſtri dimicatione Pompejum* exercitûs hoſtilis totius profligati victorem fuiſſe, Scriptor hic idem, *in Vita Pompeji*, tradit. Conſtat autem, ipſiúſmet *Cæſaris* è commentario: *Cæſarianos* ſibimetipſis, anguſtiâ locorum, ac multitudinis compreſſione, *majus* (hoc eſt, *numeroſius*,) attuliſſe detrimentum; quàm id fuerit, quod accepiſſent ab *hoſte*. Conſtat item, ejuſdem illius confeſſione, *magnam eorum*, à *Pompejano* ferrô, *fuiſſe*

fuiſſe eadem: magnam eorum partem in foſſa, munitionibus, ripis fluminis, (uti dictum ſuprà fuit) *oppreſſam, etiam citra vulnus ullum interiiſſe.* refertas pręterea cadaveribus interemptorũ foſſas, fletum extorſiſſe. *pumicine* dicã? an *Catoni*? Nam, in *uno* quidem homine, reor, *ambobus*. Ad *undam* enim ex ſe profundendam, tam propemodum idoneus ab natura *pumex* erat; quàm, ad ploratũ, à conſuetudine ſuâ, *Cato*: quippe, quem *flere*, nulla facilè, ne *puerum* quidem, coëgiſſet unquam cauſſa, vel calamitas; ac ne præcipitationis quidem, ex alto quondam loco domûs, in ſubjectum atrium, comminatio: quãdo *Popedius* quidam *Silo*, Latinorum Legatus, illum, extra conclavis editi feneſtras apertas elatum, aliquotiéſque manibus ventilatum, quaſi dejecturus, librabat: eôque factô, *puerum Catonem* adducere conabatur, ad aſſentiẽdũ in aliquo ſibi, quod is in eâ jam ętatulâ minùs è Republica futurum eſſe, ſentiebat. Nihil enim in eo Legatus profecit aliud; quàm, ut tantò ſiccior adoleſcentulus inter minas perſiſteret, quantò propior ei mors oſtendebatur. Et hunc talem tamen, poſt hæc, annorum jam quadraginta ſeptem *Virum*, ad *ploratum* adegit, tam ingens conſpecta, ſub *Dyr-*

rhachino concurſu præcipitiîs oppreſſorum, multitudo. Liquet denique (ne longum faciamus, quod dici paucîs, & ſemel, totum poteſt); minimè gentium *Cæſaris* animo conſcientiæq; *puſillam* fuiſſe viſam *cladem* illam: poſt quam, ipſe *noctem* traxit, omnium vitæ ſuę *noctium* amariſſimam. quando, ſolitudine ſe, tentoriôq;, circumcludens, cogitationibus turbulentiſſimîs æſtuabat; ac, tam malè tunc geſtæ rei, ſeu *conſilia*, ſeu *ſucceſſum*, aſſiduô gemitu ſuſpiriîſq;, damnabat. Potiſſimùm autem omnium, primum illud ſuum, ſuſceptæ contra *Pompejum* expeditionis, conſilium identidem incuſabat, ac deteſtabatur; quô conſiliô, *Pompejo*, (maris, navium, commeatûs, ac rerum cæterarum omnium, opibus affluenti), tunc in *quartum* jam *menſem*, ipſe macie cum ſuis, inopiâque, confectus, aſſidére ſuſtinuiſſet: nullô ſuarum rerum compendiô, profectûq;; detrimentô verò, dedecoréq; laudis antè-partæ, longè luctuoſiſſimô. cùm tamen, aliò, *frumentarias* in *regiones*, rerúmq; cæterarum omnium abundantiâ refertas provincias, avertere bellum, licuiſſet; ac poſt ſe *Pompejum* trahere, revulſum à portuosîs *Adriæ* littoribus, & à maris *Ionii* poſſeſſione: quâ totâ nunc

hoſtes,

hoſtes, per tantum jam temporis ſpatium, quaſi pleniſſimâ quadam Dictaturâ piraticâ, cum rerum omnium ſubvectione, potirentur. Hæc Cæſar, eâ, quam dixi, nocte, lamentabatur. Unde ſanè patuit, NON, QUÆCUNQUE GLORIOSIORA VIDEANTUR, PARITER ET UTILIORA SEMPER ESSE: ſpecioſumq; *Ducis, Ducem-Obſidentis*, nomen, in turpiorem nonnunquã *Abſcedentis* ignominiam exſpirare. quod utiq; *Cæſari* tunc evénit. Quò minùs proinde mirandum ſit; *Pompejanos* quoq;, dictîs, ac ſcriptîs ſuîs, *per terrarum orbem ſe geſsiſſe pro Victoribus*: & *Pompejum* ipſum, *Imperatorem* appellari ſe, minùs dolenter tuliſſe: *Macedoniæ* denique *Græciæq́.* civitates nonnullas, ac magiſtratus, ab amicitia ſe *Cæſaris* alienâſſe. cujus averſionis culpam *Cæſar* in *Cn. Pompeji* litteras conjicit, *ad omnes provincias, ac civitates, ab eo miſſas*; & (ſicut ipſe loquitur) *elatiùs inflatiùſque multò, quàm res erat geſta*, de prælio *Dyrrhachino, conſcriptas*: unde, *motîs*, alióq; translatîs ab eo, caſtrîs, fama percrebuerit, *Pulſum fugere Cæſarem, omnibus pæne copiîs amiſsîs*. cùm *Dio Caſsius* interim, contrariâ prorſus aſſeveratione, *neget, Orationem ullam inflatam habitam à Pompejo; vel laurô faſces involutos: aut*

litterarum quidquam eum in Vrbem, multóq; minùs ad Rempublicam, de rebus, à ſe geſtis, (quod tamen è Gallia Cæſar *quotannis*, per omne *novennium*, facere ſolitus erat) *dediſſe*. Quin etiam addit his *Dio*; Pompejum *nec Italiam deniq; (quam illico tamen recipere, nullâ difficultate, potuiſſet) poſt certamen illud tentâſſe: propterea, quòd inter indigna, minimèq; convenientia, numeraret; Aut de Civibus victis quemquam efferre ſe Civem: aut, adventu Cæſaris armatô bis jam conſternatam, Italiam, tertiâ* quoq; jam expeditione, quantumvis pacatâ, perterrefieri.

Sed illud in confeſſo tamẽ eſt, ne *Dione* quidem id inficias eunte: *Perſuaſum habuiſſe Cnejũ, jam ſe debellâſſe; Pompejanóſq;* (quod, & *Cæſarem* ſcripſiſſe, ſuprà vidimus) *Viciſſe* ſibi, *victoriâ conſummatiſsimâ*, fuiſſe viſos. Quæ res ipſa *Cæſarianis* fortunis, cæteroqui jam pæne conclamatis, ſaluti fuit: cùm, ab eo die, contemptiùs omnia *Pompejani*, præcipitantiúſq;, deſpectu viriũ hoſtilium, agere; *Cæſariani* contrà, cautiùs, expenſiúſq;, cœperint. His igitur, cepiſſe detrimentum, emolumento fuit: *plagáque*, vertit in *novum* animorum *robur*.

XXVIII. *Cæſari* namq;, paullò pòſt, unô tempore præſidiis omnibus, è caſtellis munitio-

tionum ſuarum, deductîs, &, tam obſidione, quàm oppugnatione caſtrorum *Pompeji*, ſolutîs; pro concione, milites omnes, in unum contractos locum, alloqui, viſum eſt operæ pretium. Id verò dum agit; eóſq;, partim de clade, recèns acceptâ, conſolatur, partim autem, & à præteritæ fortitudinis exemplîs, ac fructibus, ad audenda deinceps ac ſperanda paria, potenter inflammat: ibi, ſummi ſimul infimíque, non in *futurum* modò tempus, & locum, ſed jam tum, in *præſens*, & in ejuſdem loci veſtigiô, magnîs acclamationibus *Cæſaris* aures, & animum, impleverunt: junctîſq; vocibus ac manibus, ad acceptum incommodum corrigendum, cladémq; reſarciendam, alacres ei ſeſe, nec ſinè juramentô promptitudinis ad difficillima quævis, obtulerunt. Quorum *Cæſar* uſus animorum calore magìs, quàm operis ac pugnæ ſubitâ repræſentatione; poſtquã, cæterorum ad terrorem, in *ſigniferos* aliquot, è belli legibus, animadvertiſſet, eóſque, propter turpiter amiſſa ſigna, cum ignominia locô moviſſet: caſtella dejecit omnia: munitiones evertit; *impedimenta*, cum *una* legione, noctis initiô, caſtrîs, *Apolloniam* versùs, emiſit: *duabúſq; legionibus* in caſtris ſibi reſervatîs, cęteras omnes,

de *quarta* noctis vigiliâ, diverſis exitibus pariter eductas, eódem, quò miſerat impedimenta, ſequi juſſit. poſt paullum verò, vaſa conclamans, ac ſtatim, cum relictis ſecum legionibus, ſubſecutus; caſtrorum è conſpectu, quãtâ potuit, celeritate, ſeſe proripuit. *Non fefellit Pompejum* Cæſaris abitus; idipſum facturum eum, jam antè per conjecturas, animô præcipientem: quòd ſciret, eum, non dolore modò duplicis ad *Dyrrhachium* unô die calamitatis aditæ, ſed inſuper extremâ quoq; commeatûs ac ſtipendiorum inopiâ, prætereáq; militum (ex inſolẽtiâ victûs) adversâ valetudine, conflictari. Quas ipſas ob cauſſas, cùm hic conſideret, breviſſimô tempore, vel fame morbíſq; confectum iri *Cæſaris* exercitum; vel, priuſquã conficeretur, ultrò defluxurum ab eo: rerum omnium ipſe copiâ circumfluens, extrahere bellum, conſtituit. Ab rerum ſummâ, ſub unius certaminis articulum præcipitandâ, nec parùm, nec imprudenter, abhorrebat. Eadem autem *Marcorum* etiam *duorum* (etſi diversîs utriuſq; de cauſſis) erat ſententia: *Ciceronis*, inquam, ſi fortè *Pax* adhuc iniri poſſet; & *Catonis*: ut civilis multitudinis ſanguini, ruinæq;, parceretur. Ac, præter hos, nec *Lucii* qui-

quidem *Afranii* (ſi, porrò quoq; perſeverandum in armis eſſe, *Pompejo* videretur) inconcinnum erat conſilium: *Navium* videlicet *multitudine*, palantem inopémq; *Cæſaris* exercitum (ut, qui quaquaverſum jam in trāſmarinis circumcluſus teneretur) quaſi *ferā* quandā *ſylveſtrem*, caſſibus circumſeptā, agitandum videri: quoad is, rerum omnium extremâ deſperatione ſubactus, vel victorum arbitrio ſeſe permitteret; vel, belli producendi laſſitudine, cōcideret. Addebat his item *Afranius*; Placere ſibi, *Pompejum* ipſum, remensô mari, cum terreſtribus copiis, *Italiam*, Cæſarianô tunc milite vacuam, repetere; *Gallias Hiſpaniáſque* recipere; *mox* deinde *Romam*, occupatu perfacilem, *belli* totius *arcem* conſtituere: ſicq; *Cæſaris* factionem, ſtudia, conatus, evertere.

Suadebant hæc iſti, quos dixi. nec *Pompejus* abhorrebat à conſiliis *ſalubrioribus*. Sed *ſpecioſiora* cæteri, quotquot in caſtris ferè tunc erant, præferebant omnes; utpote, quibus plena rerum *Cæſarianarum* everſio, non longius, quàm unius diei, negotium videretur: & omnis pugnæ noviſſimæ meditatio, *triumphi certitudo*; mora verò temporis ad pugnam, *Annus* eſſe, judicaretur. Quo proinde factum eſt; ut,

(contrà, quàm *Appianus* ac *Dio*, ſentire viſi ſint), inſequi Cæſarem *Pompejus* non prætermiſerit: ſed, urgentibus ad erumpendum ſuis, (ipsômet teſte Cęſare) *moram ad inſequendum nullam interponeret*: &, ſpe conceptâ, perterritos impeditóſq; *Cæſarianos* deprehendendi, caſtrîs exercitum univerſum educeret: primum autē omnium, *equitatum*, quem habebat expeditiſſimū, præmitteret; qui *Cæſaris* agmini noviſſimo moram injiceret. Cæterùm, agmen id, quod eques Pompejanus inſequebatur, ad *Genúſi* fluminis impeditas ripas aſſecutus hic; à *Cæſaris* anteſignanîs expeditîs, *quadringentîs*, & ab ejuſdem equitatu, repellitur: amiſsîsq; cōpluribus, ad ſuos ſeſe recipit. *Genúſum* porrò *Cæſar*, magnâ celeritate, tranſgreſſus, in *veteribus* ſuîs, contra *Dyrrhachinum Aſparagium*, caſtrîs; nec minùs (in tergis ſtatim adverſariorum hærens, ac ſuperveniens,) *Pompejus*, in ſuis & ipſe, nuperrimè relictîs, caſtrîs, utrimq; conſederūt. Et ſanè, percom̄odè, *Pompeji* caſtrorum adhuc integræ ſtabant munitiones. Sed, quòd ab iiſdem *Pompejanorum* multi, lignandi, pabulandi, ſarcinas & impedimēta repetendi, cauſsâ, longiùs (& quidē inermes) abirent: idipſum *Cæſar*, fore, ſuſpicatus; ne, ſibi tam opportunā, è *Pom-*

peji

peji manibus elabendi, facultatem amitteret, priuſquam ullô modô revocari coiréq; *Pompejani* poſſent, ſub meridiem ferè, nec tamen *ſilentiò*, ſed priùs *datô profectionis ſignô*, caſtrîs exercitum educit: *Pompejum*, ſequi conantem, ſed, propter abſceſsũ militum ejus, conatu dejectum, itineris ipſe labore duplicatô, multùm antevolat, eundémq; , nihiloſecius (ac magnîs quidem itineribus) inſequi feſtinantem, paribus ipſe ſemper, ac plerumq; majoribus, caſtrorum ſpatiîs, anteveniens; tandem, irritô perſequendi ſuî labore, ſub quartum ferè diem, ſuperſedere, cogit. Quę rerum incommoda nullius alterius magìs, quàm *Pompeji ducis*, accidêre culpâ: cujus officii fuiſſet, Reputare ſecum illud, omnibus ſemper imperatoribus inculcandum, *caſtrorum oraculum*: NULLUM ESSE NOCENTIOREM HOSTEM, QUAM, VICTU FACILEM; ET, OB HOC, INOBSERVATUM: neque pati; militem vagum, ſarcinarum cauſsâ, vallum relinquere: locóque militis, *Arma*, *ſinè Viris*, intrà tentoria requieſcere. Nam illuc Arma (caſtrorum inſignî cum dedecore) ſepoſuerant ii, qui, numerô maximô, retrorſum in caſtra, *Dyrrhachinam* ad *Petram* collocata, res

ſuas repetituri, recurrerant. Hac igitur *Pompeji* facilitate, negligentiâve, *Cæſar*, in ſuum cōmodum aversâ, non *Apolloniam* modò celeriter pervénit; ubi ſaucios, ac reliquam ægrorum turbam, cum præſidio quatuor cohortium, depoſuit: ſed, utì quàm primùm *Domitio Calvino*, ſuarum partium legato, (priuſquam is à *Pompejo*, ſe præventurô, multitudine militū obrueretur) ſeſe conjungeret, curas omnes intendit. Cuj quò laboraturo maturè ſubveniret; feſtinatione maximâ, per *Epirum*, *Acarnaniam*, & *Amphilochos*, pérq; flumina *Thyamum*, *Acherontem*, *Arachthum*, *Achelóum*, ac montium *Pindi* fauces, in *Theſſaliam*, obſtante remorantéve nullô, *Cæſar* pervénit.

Spectabat autem *expeditionis* iſtius *Theſſalicæ*, præter cæteras, hanc etiam *Cæſar* rationem: utì *Pompejum*, ſe ſubſecuturum, ab *Ionii* maris & *Adriæ* viciniâ, littoribúſq;, quàm poſſet, longiſſimè, *continentis* in regiones avelleret: procúlq; ſubvectionum annonæ quotidianis opportunitatibus abſtractum, aliquando, *famem ſecum* in caſtris, doceret, atq; compelleret. Deinde: ne ſemper, poſt adverſa certamina, vicinas ad naves refugiendi, facultatem locus ei, littoráq;, concederent.

Pom-

Pompejus autem, inter hæc, qui (*Plutarchi* teſtimoniô) *Marcum Catonem*, faſtidiô monitorum ejus, cum cohortibus quindecim, ad *Dyrrhachium*, tutandę cum impedimentis claſſis potiſſimùm cauſsâ, reliquerat: inſequi *Cæſarem* perſeverabat. Et hujus quidem, (ſub idem ipſum tempus, ad *Scipionem ſocerum*, in *Macedoniæ* finibus cum exercitu jam agentem, properantis), expeditum erat, & incitatum, iter: ne vel præveniretur ab hoſtium celeritate, ſi, *Scipionis* opprimendi, conſilium, impetúmque concepiſſent: vel, intercipiendi (ſi poſſet) *Domitii Calvini*, facultatē è manibus amitteret. *Cæſar* autē, ab nullis, poſt ſuum ab *Apollonia* diſceſsū, urbibus atq; populis receptus adjutúsve, (propterea, quòd, *victus* ad *Dyrrhachium*, fugientis & *proſtrati* ſpeciem præ ſe ferre videretur,) *Gomphos* interim, *Theſſalorum* opulens, ac generum omnium annonâ refertum, oppidum, pervenerat. Ibi *Theſſaliæ* prætor, *Andróſthenes*, agebat. Hic, poſt Dyrrhachinam cladem, cum civibus omnibus, à *Cæſaris* amicitia fidéq;, (quanquam ultrò quondam expetitâ, datâq;,) defecerat: ideóq;, quod urbes priùs aliæ fecerant, venienti, portas ipſe quoq;, cum ſuis, præcluſerat. Acciderat autem,

tem,

tem, ingentî commodô *Cæſaris*; ut, haud antè multò, quàm ad *Gomphos* Cæſar exercitum adduceret, ad *Ægynium*, (Theſſaliæ finibus oppoſitum, oppidum,) occurrens ei *Domitius* etiā *Calvinus*, ſuas cum ipſo copias conjungeret: & unum jam uterq;, nec parùm *Prætori* Theſſalo formidandum, exercitum conſtituerent. Eò verò debebat eſſe formidabilior uterq; ducum illorum oppido Gomphorum: quòd & aliquātò longiùs adhuc *Scipionis* exercitus *Pompejanus*, quàm, ut ſubſidium in tempore ferre poſſet, aberat; & Pompejus necdum Theſſaliæ viciniam intrârat. Quòd autem Prętor ſatis, tum oppidanis, tum, ex agris etiam in urbem undique coactæ, multitudini, confideret; &, quòd præterea ſpei non minimum in muris altiſſimis, & in celeri *Pompeji Scipioniſque* (quos periculi ſui, per nuntios, admonuerat) adventu, repoſitum haberet: in *excludendi* Cæſaris inſtitutô, conſiliôq; primô, verbîs, ac factô, perſeverabat. At cunctationem *Cæſar*, utì ſemper aliâs, ibi tamen vel inprimis, incommodam rationibus ſuis arbitratus; actûmque, de famâ ſimul, & ſpe ſuâ, ratus, niſi, priuſquam à *Pompejanis* dextrâ lævâq; ſubſidium ſuperveniret, oppidum expugnaretur: militem, ex *fame* longâ,

gâ, plus pæne *cibo*, quàm ulli *prædæ*, vel opibus aliis, inhiantẽ, cohortatione, brevî quidem, ſed, quę generis omnis commeatuum abundantiam polliceretur, tam potenter & acriter, ad invadendum oppidũ, incitavit: ut eodem ipſo, quô venerant, die, permunitîs jam caſtrîs, poſt horã diei *nonã*, ſcalîs, muſculîs, & cratibus, oppugnationem aggreſſi; *Gomphos*, ante Solis adhuc occaſum, expugnârint. Hac vi, promptitudineq; captum oppidum, diripuerunt: & (quod, ſuîs in Commentariis, ſummô *Cæſar* ſilentiô prætermittit, clarâ verò voce *Dio Caſſius*, aliiq; promulgant), *magnâ Gomphenſium editâ cæde*, vaſtârunt: uti nempe, *Theſſaliæ* cæteris, ad quas eos venire poſthac contingeret, urbibus, detrectatæ receptionis exemplum atrox, punitæq; cõtumaciæ *cruentum theatrum*, in oculis *Cæſar* defigeret.

Idem autem, & hoc illius expugnationis diſſimulat memorabile monimentum; quod nec *Appianus* tamen, nec *Plutarchus*, ſilendum putârunt. Rerum videlicet omnium illic (inprimíſq; vini potentioris) inventâ copiâ, milites *Cæſarianos*, poſt longam multorum menſium *famem*, affatim *epulîs* implêſſe ſe: póſtque collectam, ex itineribus, & expugna-

tione

tione laborioſâ, *ſitim*, poculis certatim exhauſtîs, ſomnóq; ſubſecutô, *ſepeliſſe* ſe. cujus *vinoſi certaminis*, Appianus indicat, *principatum* eos tenuiſſe, qui ſub *Cæſare* tunc militabant, *Germanos*. Nam ſanè *Cæſar*, & ab Rege *Noricorum* miſſos *equites*, & alios, aliunde, gentiũ illarum, *Germanos* habebat: *robur* quidem illos (ac præcipuè, certîs quibuſdam in incurſibus,) *Cæſarianæ* militiæ; tunc autem, *ebrietate* ſtatum corporis ac vim mentis enervante, ridiculos prorſus: & tantiſper ad armorum inutilitatem redactos. Quo fit, ut tunc quoq;, *ſcriptor*, quem attulimus, *Alexandrinus*, negligentiæ, neſcio tamen cujus, (*Quis enim mortalium, omnia poſſit, ex omni loco, conſpicere?*) præteritæque rerum bene gerendarum occaſionis, *Pompejo* culpam impingat: quippe, qui, *temulentis* tunc (uti *Cyrus* quondam, Maſságetîs occiſis, fecerat) oppreſsîs, *magnum quid, ac præclarum, ad belli ſummam, efficere potuerit*. E contrario verò, *grande* quid interim à *Pompejanis* effectum eſſe, *Plutarchus* affirmat: quos, ait, *comiſſationibus* hîs *Gomphenſibus*, ac per vias poſtea repetitîs bacchationibus, vitium diſcuſſiſſe, corruptæ jam dudum, valetudinis, è *Dyrrhachinis* radicum illarum ſegmẽtîs, de quibus ſuperius dixi-

diximus, in alimentum converſis. Sed fuerit ſanè (ſicut, fuiſſe, reor) militum illa Cæſarianorum *Gomphenſis* intemperantia! Quid eſt, quòd urbis illius expugnationi, ſuis in *commētariis*, ſubjungit Cæſar: *Statim ab oppido caſtris motis, Metropolim* (& ipſam Theſſalorum oppidum) ſe veniſſe? *Statim*, inquit. Num ergo, temporis unô veſtigiô, *Cæſaris* milites, & *epulari* poterant, ac *vinô*, ſomnóq; proſterni per domos? comiſſari, bacchari, vagi titubare, per vias? & adigere tamen, eodem ipſo pæne momentô, *Metropolin* ad deditionem? An verò, *Gomphorum* deletorum fama præcurrens, & ſimilis exitii *metus*, potiùs eos, quàm *miles*, ac *Cæſar*, ſupervenientes, ad obſequii celeritatem adduxerunt? Immò verò: *prævénit* Cæſar ipſe potiùs *Gomphorum exitii* nuntios, atq; famam. cúmq; *Metropolitæ* quoque, ſicut urbes aliæ, *Cæſarianarum* virium, ex acceptâ clade *Dyrrhachinâ*, contemptores, portas eis præcluſiſſent; omnémq; circumquaque murum propugnatoribus armatîs impleviſſent: productîs *Cæſar* ad mœnia captivîs *Gomphenſibus*, qui ſuæ civitatis caſum incolis narrarent; *Metropolitas*, ad aperiendas, ſinè mora longiore, portas, *Cæſariſque* recipiendum exer-

exercitum, adduxit. Ut adeò *Cæſaris* illa *repentina, Gomphorum* ex oppido, diſceſſio, *latitudinem temporis* aliquam inſigniorem non admittat: ideóq; neceſſe videatur, *temulentorum* multitudinem illã, exercitu temperantiore præcedẽte, nonnihilô tardiùs eſſe ſubſecutam; ſicut in defatigatis illîs *Curionis* equitibus ad *Uticam*, & in inquietis querulíſq; *Cæſaris* peditibus, in *Italia* nuper, ad *Brundiſium*, acciderat. Aut deniq;, ſi copiæ *Cæſaris* ſimùl univerſæ, ſobriæ pariter, ac vinô turgidæ, Gomphîs *Metropolim* profectæ ſint; dicendũ id profectò ſit, quod de ſuis ipſe *Cæſar* militibus dicere ſolebat, *Suetoniô* teſte: *Suos, etiam unguentatos*, (quantò magìs, vinô juxtà, ferrôq;, furioſos?) *bene pugnare poſſe. Metropolis* igitur urbis, ultrò ſe *Cæſari* permittentis, & ob id ab eo conſervatæ, felix, in eo formidinis genere, conſilium, exemplúmque, cæteræ quoq; *Theſſalorum* (præter unicã *Lariſſam*, à *Scipione* præoccupatam,) ſecutæ ſunt urbes univerſę; *Cæſare* receptô; præſidiis ejus intromiſsîs; frumentô, commeatibúsque, largè ſuppeditatîs. *Cæſar* locô, caſtris aptô, nec minùs principiò frumentationibus, pabulationibus, ac (ſi res ità, neceſſitáſq;, ferret) pugnæ congruô, conſedit, ad *Pharsálum*. (ΦΦ.)

Theſſa-

Theſſaliæ porrò gemina fuit, & utraq; circa locum unum, eundémq; ferè, ſed altera poſt alteram, (χχ) *Pharsálus* urbs; ut è Strabonis, (Auguſtæô, Tiberianôq;, ſæculô florentis,) Geographicis monimentis eruimus. Ab oppidorum illorum utroque, terræ tractus, qui circùm eſt, *Pharsáliæ* nomen habuit: & campi, caſtra, conflictúſque civilium armorum, *Pharſalici* dicti ſunt.

Cæterùm, haud perinde *diuturna*, quàm adventu primô *felix*, fuit *Cæſaris*, in locis illis, *potentia*: quippe, *Pompeji*, paucis in diebus, repentinô ſuperventu, priſtinas ad difficultates, & inopiam, relapſa. Nam & vires *Pompeji* majores erant: & ad *Pharsálum* itidem, ac propiùs eam, caſtra, non plus triginta ſtadiis à *Cæſarianis* remota caſtris. *Pompejo* quoque copia rerum ad victum amplior: & urbium circà, populorúmq;, propenſius, in partes ejus, ſtudiū, ac voluntas; poſtquam eſſent à *Cæſare* relapſi. *Relinquebatur* ergo *ſoli ſuæ ſpei, virtutiq;*, *Cæſar*; cùm interim in poſſeſſione famæ, benevolentiæq; populorum, ac præjudiciô conſummandæ victoriæ, Pompejus regnaret. Nec, aut ipſe *Pompejus* hanc ſuî fiduciam, aut qui cum eo tunc in caſtris erant, *imaginarium* victoriæ *præguſtum*,

guſtum, diſſimulabant: inflati, tum aliis complu- ribus exſpectationis, tam arrogantis, cauſsis, & imaginibus; tum verò præcipuè, *Scipione* quoque jam, per dies illos, generi ſui caſtris conjunctô: parîq; propemodum imperiô, parî prętoriô, parîq; claſſicorum cantu, potiente. *Duorum*, partis unius, *exercituum*, (& quidem *grandium*) erant *una* caſtra, vallum *unum*, ambitúſq; munitionum *unus*. Ideóque *liberiùs* inter ſe, *præſidentiúſque*, *de futuris, tanquam jam præſentibus, tranſactîſque, loquebantur*: ſed jactantiâ, *Græcis* ab auctoribus, &, inter *Latinos*, à *Cæſarianis* etiam *Commentariis*, præter conſuetudinem *amarè, facetéque ſimùl*, irrisâ: *Ciceroni* verò, perfectô tum demum bellô, *deploratâ*.

Pompejus, omnium primò concionatus, apud ſuos, ac *Scipionis*, milites, unum in locum convocatos: *illis* quidem, pro navatâ tot menſibus ad *Dyrrhachium* operâ, próq; noviſſimi præſertim *prælii duplicis* unô die *victoriâ*, gratias agit. *Scipionis* autem exercitum, ad *Victoriæ* (ſiquâ tamen Victoriâ porrò videretur opus eſſe) prædam, ac fructũ, invitat. Adeò nimirum, *laboris*, in poſterum tempus, nihil; *trophæorum* autem *triumphorúmq;* plena, ſibi fingebant, omnia. *Cæteri*, de magiſtratibus, Sacerdotiis, Præturis, Con-

Conſulatibus, loquebantur: quos jam tum in anteceſſum, & annos, nullo populi ſuffragiô definitos, ſecumipſis definiebant. In urbem alii (nec ii, parvô numerô) mittebant; qui, Conſulatus ac Præturas inituris, ædes ad forum Romanum ſplendidiores, ac Roſtris imminentes, conducerent, in proximè ſecuturos annos. De Cæſaris *Pontificatu Maximô*, (quem is, redemptîs immensâ quondam largitione ſuffragîis, *Iſaurico Catulóq;*, competitoribus ſuis, præripuerat) quiſnā, extinctô profligatôve *Cæſare*, prior eum occuparet; *Scipio* (Pompeji ſocer) ac *Publ. Lentulus Spinther*, & *Luc. Domitius Ahenobarbus*, non ſinè verborum inter ſe contumeliîs, rixabantur. *Lucium* inſuper *Afranium*, (eum, qui *Pompeji* nuper *Legatus*, cúmq; *Marco Petrejo* ſuperatus à *Cæſare*, lege pactionéque deditionis, decedere, tam *Hiſpaniis*, quàm legionum *imperiô*, coactus erat) *Actius* quidam *Rufus*, ut eum gratiâ præmiîſque præcurreret, apud imperatorem *Pompejum*, exercitûs Hiſpanienſis (tanquam ab eo tunc *Cæſari* venditi) poſtulabat. *Lucius* præterea, quem modô dixi, *Domitius*, tabellarum *judicialium* ſuaſor erat, iis dandarū; qui, bellô confectô, judicaturi forent de civibus, *Romæ* tunc remanētibus, aut

intrà *Pompeji* præſidia, princeps idem, & (ut *Suetonius* in *Nerone* tradit) *ſolus* aliquando, *Pompejo*, perroganti ſententias, inſtabat: ut, qui medios, neutriúſque partis, eô bellô ſe geſſiſſent, *hoſtium habendos numerô*, decerneret. Alii, ſuorum inimicorum inſectationes: domos item, & hortos; villas, pecunias, fortunas, honoréſque, ſibi petebant, eorum omnium, qui *Cæſaris* intrà caſtra, per ea tempora, fuiſſent. Ad ſummam! (quod ad Atticum *Cicero* poſtea, reverſus è *Pompejanis caſtris*, perſcripſit); *nondum nominatim, jam autem generatim, informata proſcriptio tunc erat: ut prorſus omnium eſſet judicio conſtitutum; Omnium veſtrûm bona, prædam illius eſſe Victoriæ.* Sub quæ; *Veſtrûm*, (addit Cicero, Pomponium Atticum affatus,) *veſtrûm planè, dico! Nunquam enim de Teipſo, niſi crudeliſſimè, cogitatum eſt. Fannius ipſe (cujus tu caſum deploras) pernicioſa loquebatur de manſione tuâ. Lucius Lentulus, Hortenſii domum ſibi, Cæſaris hortos, & Bajas, deſponſas habebat.*

Quamvis autem *hæc eadem*, &, (ut his epiſtolæ ſuæ verbis ſubnectit Tullius) *eodem modô*, Cęſarianorum ex parte, fierent: illud tamen (Pompejanorum) *prædandi proſcribendiq; machinamentum, erat infinitum*. Omnes enim, qui remanſ-

manſiſſent in *Italia*, numerô, dicit, hoſtium habitos fuiſſe. Præceperunt igitur hæc animis, aliáq; plura talia, *Pompejani*; qualia poſteris etiam, (utinámq; nunquam, & noſtris!) tempeſtatibus, ſæpe *duces, exercitúsq; : ſpe, fiduciâq; ſui, quàm rebus ac ſucceſſu, validiores. Victorias enim ſuas, adhuc in manu Regis Exercituum poſitas, denſis, & immenſis*, (heu! *non unam fortaſsis ante cladem*,) *poculis prælibantes*, & epulis; in ſomnum poſtea, crapulam, languorem, ac fugam, eas efflabant.

Cæterùm, *gaviſus* erat *Pompejus*, ac fortaſſe *gloriatus* etiam; in eum res *Cæſaris* adductas eſſe locum: ut is, neq; *bellans*, alimenta; neq; *victus*, ac profligatus, à navibus præſidium, ad effugium, haberet. Sed, eheu! nõ viderat tunc *Pompejus*, poſteáq; ſerò nimis didicerat; Sibi quoq;, ſuperato, naviculam vix unã in propinquo; ſuis autem exercitibus, à ſpatio terrarum longiſſimô, diſtare *maris Ionii*, claſsíſque, refugium. In altum autẽ intemperantiùs efferentes ſe, DEUS deprimit, ac *demergit*. Ut *Arrogantia* proinde, nimis inſolens, ipſam etiam *Cauſſæ* melioris *Æquitatem*, facere videatur *Iniquam*; & *Jus*, *Injuriam*. Id autem hîc accidiſſe; *prælii*, quod intramus, Pharſalici *tempeſtas* oſtendet.

XXIX. Cæterùm, ne tunc quidem, cùm ad *Pharsálum* jam utriuſque partis exercitus, velut in procinctu, ſtarent, prorſus intentatum manſiſſe *compoſitionis*, ac *Pacis*, quoquo modô conciliandæ, negotium; *Dio Caſſius* eſt auctor: dum affirmat, *miſſos utrimque tractationis illius internuntios, effectu caruiſſe*. Cujus rei *cauſſam* ipſe quidem hanc aſſignat: quòd (ut, ex aliquâ parte, *Lucanus* quoque, *Civilium* ſuorum principiô, memorat) NEQUE POSTERIOR ULLO MORTALIUM POMPEJUS; ET, OMNIUM PRIMUS, ESSE CÆSAR VOLEBAT. Exæquationem igitur alienæ Dignitatis, cum dignitate ſuâ, (ſi vera *Dio* dicit) *Pompejus* admittebat; altiorem tantummodo ſuâ potētiam in altero recuſans. *Cæſar* autem, æquari ſpernens, vel nihil; vel *ſummum, & omnibus aliîs excelſiorem*, locum, expetebat. *Pompejum* denique, *Dio* notat, *honorari, gaviſum eſſe, queſiſſéque; ſed, ab ultrò volentibus: Cæſarem verò, præeſſe*, contendiſſe, *vel Invitis; eáque propter, Infenſis ſibi, ſervitiúmq. detrectaturis*. Quocirca, diſcuſsâ *Pacis*, etiam tum (& quidem, ad deſperationem uſque,) conciliatione; *Cæſaris* miles, inprimíſq; veteranus (utpote, jam olim annis, ac tot expeditionum labore, fractus) *decretorie certa-*

certaminis cupiditate fervebat: malens, aut debellare ſemel, aut ſtatim, & in perpetuum, ſuccumbere; quàm, ulteriùs cum inopia conflictari ſubſidiorum vitę. quæ ſubſidia, non abſque ſingulari *Marci Catonis* induſtriâ, *Pompejano* militi, perpetuîs adhuc à mari ſubvectionibus, affluebant; *Cæſariano*, (quod Appianus ait) non niſi quotidianîs è comportationibus, iíſq; pertenuibus, &, in ſummam, *ex rapto*, ſed, *in diem* ac tardè, procedebant. Ob id igitur *hi*, quaſi rabie quadam, quam præcipuè *fames* exaſperabat, ferebantur, in ſummi diſcriminis fortunam periclitandam: *ex ipſa rerum aliarum omnium deſperatione, ſpem meliorum, tanquam è ferro flammáve cibum, petituri.* Qui *Cæſarianorum* ardor, extrema periculorum auſurus, quorſum tandem (ſi locus ei daretur) evaſurus eſſet; id minùs *Pompejum*, (utpote, *Ducem, prudentiâ præcellentem*,) quàm quemquam aliorum ex ejus caſtris, fallebat. Itaque, quod alibi dixi, reſumptîs primi ſui conſilii cogitationibus, bellum *trahi*, quàm *præcipitari*, rectius fore, cenſebat. *Poſſe, fame vetere vexatos, Cæſarianos, aliâ fame novâ, quam mora temporis eſſet aggravatura, tanti adduci demum ad maciem; ut nihil ferrô ſanguinéque, ſed veſpillonibus tantùm, aut buſtîs, vel deni-*

que dedititiorum acceptatione, futurũ ſit opus. Quare *Cæſari*, quamvis pro caſtris quotidie copias producenti, ſuorúmq; decertandi promptitudinem *Pompejanis* oſtentanti; *Pompejus*, preſſis, intráq; vallum cohibitîs, ſuîs, nihil æquale, vel audace bellatore dignum, reponebat: *præter equeſtre* prælium *unum*, pæne neceſſitate tandem (ut ignominiã, notámq; meticuloſi ducis, vitaret) expreſſum. in quo tamen conflictu, ſuperiores fuiſſe ſuos, *Cæſar* affirmat. Ad hanc ipſam verò, tametſi *parvulam admodum*, depulſúq; perfacilem, opinionis bellicę *labem* abſtergendam, ne tum quidem dimoveri ſe *Pompejus* à ſententia paſſus eſſet: ut, non in incepto prudentiorem, quàm in perſeverãdo conſtantiorem, ſeſe ſuis oſtenderet.

Sed tanta fuit *omnium*, in ejus cunctatione reprehendendâ, tum *dicacitas*, tum & *importunitas*: ut alii quidem, mordaciter eum, *Agamemnonem* vocitarent; qui, *decem annis* trahere bellum velle, videretur, quod *decem* ſanè poſſet *horis* patrari: quidam autem, amarâ calumniâ, *Regem* eum *Regum* appellaret; *qui, caſtrorum immodicô gaviſus imperiô, quàm longiſſimum id ſibi facere ſtuderet: propterea, quòd eum pompa delectaret, tot, ab ejus arbitrio nutúque pendentium, principum,*

cipum, tetrarcharum, ac Regum; tot quotidie belli ducum, virorum conſularium, ordiniſq; prætorii pro-cerum: ſalutandi cauſſâ prætorium ejus frequentantium. Marcus quoque *Favonius* (ut Plutarchus obſervavit), vir, *Catonianæ* loquendi *libertatis* æmulator, ſed plerumque *dicacior*, quàm *tempeſtivior*; more malè-ſani, quiritabatur in circulis, ac cœtibus; *Indignam rem! propter unius hominis ambitioſum, in imperio militari retinendô, pruritum, non priore licuiſſe, non annô, tunc procedente, liciturum eſſe, ficubus in Italia Tuſculanis veſci!* Quaſi verò Favonio, libertatem imitari *Catonis*, aut in *Italiam* (etiam imperfectô bellô) reverti velîs, ac remîs, aliter conceſſum non fuiſſet; niſi, *maximum* apud *Imperatorem*, ſummîs tunc belli curîs æſtuantem, dicere *ficum* fuiſſet auſus *ficum, ſcaphámq; ſcapham?* Idem autem hic, etiã antehac *Pompejo*, primîs belli civilis motibus, in promittendâ copiarum multitudine (velut alibi dictum à nobis eſt) nonnihilô verboſiori, petulanter illuſerat: quãdo, deficiente poſt hæc illô, quem omnes ſpe ſibi præceperant, militum affluxu, coràm palámque, ceu monitoris aſſumptâ fronte, dicere ſuſtinebat; *Iret nunc! (jam enim tempus id poſcere): ſupploderet pede ſolum-Italiæ! terrâq; ſubitò pro-*

 gna-

gnatum, armatúmque,ſicuti Cadmus feciſſet,*exercitum ſuſcitaret!* Uſqueadeo nempe, *pleriſque promptius eſt,linguâ dimicare, quàm manu.* Sed, omnium inſolentiſſimè *Pompejum* tunc, velut *Cunctatorem*,(ſic enim eis loqui lubebat) *Equites* querelîs ſuîs incurſabant. qui, numerô *ſeptem millium* ordinis ſui, juventâ vegetâ, conſpicuîs aurôq; politîs armîs, equîs decôris ac ſaginâ nitentibus,tumentes & feroces;*Cæſarianum*,non niſi *mille* virorum,*equitatum*,& eorum *ſtrigoſos* caballos, deſpiciebant: eíſq; concurrere, plenô tandem, & non præludente ſolùm, præliô, geſtiebant.

Cum hiſce talibus ergo conflictantem ingeniîs, *quibus bellum ludus, ac ludus bellum, eſſet*, quid adeò mirandum eſt, *Pompejum*, ingratiîs quamvis, & adversùs omnem animi ſui ſenſum, conceptâ demum ſententiâ deceſſiſſe? prælióq; (quod,ſibi juxtà,ſuíſque,ſupremum fore, conjectaret) fortunam ac fata *Romanæ* commiſiſſe *Reipublicæ?* *Tandem enim & gutta teredóque, ſi finem illabendi rodendíque non faciant*,ſaxum quercúmq; cavant.

Quamvis igitur (ut dixi),calamitatem ultimâ inſtare ſibi ſuíſque, ſi congredi feſtinaret,animô *Pompejus* præciperet: ac *prodigia* ſimùl,*oſtentáque*

tàq; terreſtria venturæ cladis,eum à certaminis impetu retraherent: videbatur tamen impar tanto,tot comilitonum, aciem expoſcentium, furori futurus; niſi ſiderum etiam, cœlíque, terrores eum dehortarentur. Et hi denique non defuerunt ei. Nam & in ejus caſtra de cœlo *fulmina*,non rara, deciderant: & ingens ex alto labentis flammæ tractus, in aëre, *Cæſarianas* ſuprà munitiones, effulgens; celerî, per ſubluſtrem noctem, tranſcurſu, decumbere conſpectus erat in caſtra *Pompejana*. Quo fiebat;ut jam minoris æſtimarentur,quæcunque, per eos antehac dies, ominoſa Pompejanis eveniſſent. Cujuſmodi fuerant; Signis eorum militaribus examinatim apes inſidére: frequẽtes hoſtias, altaribus jam admotas, manibus admoventium elabi; profúgere; fugæque ſuorum, præludere: cæteráque generis ejuſdem monſtra rerum. Verùm,nihil hæc omnia, cupidas & obfirmatas apud mentes,profecerunt. quin &,in contrarium prorſus valuerunt:quãdo cœleſtem illum, de quo dictum eſt, ardorem,è caſtris *Cæſaris* in *Pompeji* caſtra tranſgreſſum,non cladis & vaſtationis, ſed *illuſtris victoriæ gloriæq́; translationem*, interpretari cœperunt.

Pom-

Pompejus igitur, ex edito tandem, in quo caſtra collocârat, locô, propellentibus eum univerſis, exercitum ad radices *collis* demiſit. Cúmque *Cæſar*, continentibus diebus & ipſe, propiùs identidem, propiúſque, *collis* ejuſdem radicibus ſuam aciem admovens; elicere tamen *Pompejum* in locum, aliquantò ſibi viciniorem, non poſſet: deſperatô tandem concurſu, decrevit, mutare locum, & caſtra. Quocirca, retrorſum aliquantò reductis agminibus; *Scotúſam* urbem, à *Pharsálo* longiuſculè, *Zephyrónotum* versùs, recedentem, ſe petiturum, oſtendit. Præmiſerat porrò ſub *noctem* eam, quæ profectionem futuram antecedebat, non modò calones, ac jumenta; ſed & pariter, *pabulandi frumentandíq;* cauſsâ, *legiones tres*: eorum adhuc, quæ jam tum *hoſtes*, ultimô decretô, facere conſtituerant, penitùs ignarus. Conſtituerat autem, *die*, noctem illam præeunte, *Pompejus*, de conſilii quoque ſententiâ; poſtridie *Cæſarem* (quocunq; locô, vel *occurrentem* ſibi, vel *recedentem*, nactus foret) adoriri; ſupremôq; cum hoſtibus preliô contendere. Quod ipſum *prælium*, uti, felicitate minimè dubiâ, ſuis proveniret: *equitatui* ſuo (qui, ſicut pluſquam ſemel diximus, *ſeptem millium* erat,) univerſo,

locum

locum in unum conductо, precepit ac perſuaſit: ut, ſimulac ad aciem hoſtilem propiùs accedi cœptum eſſet, priuſquam telum ullum altrinſecùs adigeretur; ipſi Cæſaris *cornu dextrum* invaderent, ab aperto latere: circumventámq; retrò (per eos, quibus id ipſe præcepturus eſſet) hoſtium aciem, validiùs, tumultuoſiúſq;, perturbarent: eôq; maximè modô, toti commilitonum ſuorum exercitui victoriam, propemodum incruentam, in manus traderent. Nec enim Equitatum hoſtium (ut, qui ſextuplô minor ſit) laboris multũ eſſe ſuis exhibiturum. Poſtquam equitatum, his, quæ dixi, monitis ac præceptis, *Pompejus* inſtruxit: legionibus deinde, copiíſq; ſuorum cunctis, in diem poſterum, cum incitamentis virtutis, premiorúmque promiſsis, pugnam denuntiavit. Hunc *Titus Labienus* (ut Cæſar ipſe memorat) oratione ſuâ ſubſecutus; vetuit, quemquam commilitonum ſuorum, *Cæſariani* militis *veterani*-virium metu, vel auctoritatis opinione, cunctantiùs in aciem procedere. *Nec enim eoſdem, qui ſecum, & ſub ſe, quondam in Galliis meruiſſent; nec ejuſdem eos (poſt tot annos, ac labores,) roboris, eſſe.* Palàm deinde, *Se, niſi ſtratis hoſtibus, in caſtra non rediturum,* juravit: & exemplô, cohor-

hortationéq; ſuâ, cæteros quoque, ne dubitarent idem facere, pertraxit: præeunte cunctis, ſicut auctoritate, ſic & jurisjurandi facilitate, *Pompejo Magnô.* quod ipſe tamen *juramentum* poſtridie verſurus in *perjurium* erat.

Jámque Pompejanorum omnium erant, in proximæ lucis pugnam, arrectę mentes: & hęc eorum erant, in Caſtris, pridie commiſſi certaminis, acta fortiter, atq; dicta; ſed ſuô paullò pòſt effectu, conſtantiâque, caritura. *Cæſaris* autem, ad prælium iſtud, animi copiarúmq; pręparationem ut in conſpectu ponamus; neceſſarium eſt, ejus ipſius *Commentariorum*, ac *cæterorum* (præſertim verò *Græcorum*), hac de re poſteritati commendata, ſcripta, nos *in concordiam*, hôc maximè, quem adferemus, modô, redigere. quô tamen, ſi verè liquidóque commodiorem obvius quisq;, (nedum, eruditus) invenerit; ei libens, & congratulans, acquieſcam.

Oportuit igitur (ut in *Speculatoribus* emittendîs accuratiſſimus erat *Cæſar*, & ſe ſecuturis Ducibus ad exemplar proponi dignus,) odorem ei ſaltem aliquem conſilii propoſitique *Pompejani*, (ſicut erranti viatori *fumum*, hoſpitalium tectorum indicem), eâdem adhuc *nocte*,

ſte, quæ pugnæ diem antecedebat, afflatum fuiſſe. Cùm namq; (ſicut antè paullò dictum eſt) *ſublustris* ea *nox*, à ſuî præſertim dimidiô jam peractô, faciliorem copiis exituris viam progreſsúmq; daret: utendum eâ *Pompejus* occaſione ratus, paullatim à *colle* caſtrorum (qui *collis*, à *Cæſaris* caſtris primîs, longiùs aliquãtò, quàm *unius* horæ *ſemiſque* viâ, diſtabat) demittere militem ſuum cœpit: ínq; *Cæſarem* lentè juſſit eũ, cúmq; ſilentio, procedere. Non fefellit hæc emiſſio, progreſsúsq; *Pompejanorum*, exploratores *Cæſarianos*; ex equis, & abditô locô, quidnam rerum hoſtis ageret, accuratiſſimè diſpicientes. qui proinde, *Cæſaris* copiarum animadverſô tam propinquô diſcrimine ſalutis, nihil, ad moram omnem abrumpendam, reliqui ſibi faciunt: ſed, in curſum effusîs equîs, ad *Cæſarem* contendunt. Is, eodem ipſo noctis tempore, detendi tabernacula juſſerat; colligi vaſa; ſignum edi profectionis, *Scotúſam* versùs. hîsq; celeriter, utì præceptum ab eo fuerat, expeditîs; educere portîs agmen primum, de quartâ ferè vigiliâ, parabat. cùm, ecce, ſub illud ipſum temporis momentum, ſimùl & ii, qui ſtabant in editioribus munitionum locis, animadvertunt, ad *Lunæ* ſplendorem,

rem; *Pompejanam* aciem, à vallo, præter dierum ſuperiorum conſuetudinē, longiùs progreſſam, versùm ſe moveri: ſimùl autem, & *ſpeculatores*, hæc eadem *Cæſari* renuntiantes, adſunt. Ibi *Cæſar*, ad eos, qui portìs exibant, converſus; *Scotuſſam versùs, nobis iter* (inquit) *omittendum hodie, milites, eſt: & in certamen potiùs expediendæ manus. En! habetis, quod per omnes hos dies, universi, tam ſæpe, me flagitâſtis: dimicandi tempus; opportunitatem ſummam; locum æquum; me ducem & commilitonem; veſtram virtutem, victoriæ præclaræ genitricem!* Hæc *Cæſar*. Acclamantibus autem in hæc alacriter universìs; *Mandaret! duceret! ituros ſe!* mittit è veſtigio, qui, profectas frumētatum, *legiones* revocent: alios, qui partem agminis, jam caſtrìs egreſsâ, inhibeant: & cohortes (ut ipſe ſcribit) *duas*, quæ caſtris interea, dum aliud imperaret, præſidio ſint, ordinat. Ipſe, pro tabernaculô ſuô puniceæ togæ ſignô ſuſpendi juſsô; ſimùl *Marti, Venerique Genitrici*, ſacrificat: ſimùl, *Ædem in Vrbe ſe poſiturum Deæ*, vovet; *ſi, Romam Victori ſibi redire contingat*. In hæc peracta, legiones & equitatum caſtrìs educit, *Pompejum* versùs. *equitibus* (uti diebus ſuperioribus plerumque fecerat) juvenes, manu fortes, &, tam ex anteſignanis expeditis *electos*, quàm

quàm ad pernicitatem exercitatos, immiſcet: quos ipſe, jam antehac, & aſſiduè, docuerat, inter *equites* præliari. Mox, ad inſtruendam aciem, ſe convertit.

Eadem, ex altera parte, facturus *Pompejus*, exercitum ſuum, deprehendit, cadente jam nocte, *timore Panicô* conſternatum. quem is metum, dum, contubernia circumcurſando, diſcutere conatur; animóſque militum ad ſpem rerum meliorum erigere: fatigatus ipſe, ſub exortum ferè diluculi ſopitur. Excitatus verò demum ab amicis, *ſomnium* eis narrat; idémq; narrari militi, per tribunos ac centuriones, ad omnium confirmandos animos, jubet. Id erat ejuſmodi, *Luciferi* (ſine dubio), *tenebrarum regis*, & mentium humanarum, per genus omne mendaciorum, excæcatoris, operâ *Pompeji* ſenſibus immiſſum. Imaginatus erat, *Eſſe ſe Romæ; Veneriq; Victrici dedicare, lætis ſollemnibúſque cærimoniis, Ædem. In Theatro præterea, quod, à ſe nominatum, ipſe quondam exſtruxiſſet, à populo ſpectatore plauſum ſibi datum.* Hæc *Somniorum* nugæ, neutrâ ſui parte veritatem aſſecuturæ; ſicut fuerant ipſæ *vanæ*, ſic ſpe certitudinéq;, (*Victoriæ* de Cæſare reportandæ,) *vaniſſimâ*, totum implêrunt ejus & animum, & exercitum:

tantâ quidem vi furoréq; ſuperſtitionis; ut liberti, vernæ, ſervíq; paſſim, ut calones, ac lixæ, per caſtra, non invitîs herîs ac patronîs, diſcurrentes, tanquam *triumphi* quodam, & non potiùs futuri *certaminis*, apparatu, res præſentes adornarent: cùm (pròh dedecus!) recentî ceſpite tabernacula ſuorum inſternerent: cùm triclinia, lectulos, vaſa, ſupellectilémq; menſarum, exponerent: cùm paſſim deniq; pinſerent, coquerent, frigerent, aſſarent; merô cratéres implerent; omniáq; tentoria, quibus hedera laurúsq; deeſſent, myrtô coronarent: in heroum, ex acie reverſurorum, epulas, ac *genialia* quaſi *Sacra*. Sacella certè *Daphnea*, *nemoraliáve* potiùs *lararia*, quàm *tentoria* caſtrorũ, *Lucii Cornelii Lentuli*, cæterorúmq; nonnullorũ, *tabernacula* videri poterant: partim hederæ foliis, innexîſque corymbîs, circumveſtita: partim laurô denſâ, *Victorum* Inſignî, redimita: multùm interim hæc averſante, ſibíq; talia fieri detrectante, *Pompejo*. Nec immeritò. PRVDENTIS enim eſt, *Etiam* diluculi, *quantumvis* sereni, *futuram tamen* Veſperam *habere ſuſpectam*; ceu Tempeſtatum *vehiculum*.

XXX. Cùm autem, ſub eundem ipſum temporis articulum, *Pompeji* mentem ſubîſſet fata-

lis

lis quidam, venturíq; mali præſagus, torpor: triſtes hic ei voces elicuit; *Eum diem, utercunq; victurus eſſet, infortunatiſſimum populo Romano futurum eſſe.* Quibus è verbis, ſuſpicaces quidam, ac malevoli, colligere ſibi viſi ſunt; *Ne Pompejum quidem, à victoria, quidquam, niſi crudele, ferox, ac Syllanum, eſſe præſtiturum.* Sed, utut iſta ſint, fuerintque; non apparebat alii cuiquam eorum, qui tunc in caſtris, alibíque, *Reipublicæ partium* erant (extra *Pompejum* ipſum, & *Ciceronem, Catonémque,*) vacillare ſuccumberéq; ſpem *Pompejanorum* poſſe: tantîs præſertim viribus copiîſque, tanti, tótq; ſecundîs quondam præliîs florentis, *Imperatoris.* Ut enim de *claſſe* Pompeji ſileam, quâ, planè formidandâ, portus ille, littoráque, maritimorum *Sinuum*, ac tractuum, adeò prætexere circumquaque, compleréque, potuiſſet; ut nullum *Cæſarianis* effugium in *Aſiam Africámq;*, nullum reditûs oſtium in *Italiam*, facilè ſuperfuturum fuerit: erant inſuper in exercitu Pompeji, (ſi *Cæſarem* in Commentariis, & *Appianum* ac *Plutarchum* Græcos, audiamus) *quadraginta quinq;* circiter *millia*, ſi *ſeptem* equitum illa *millia* connumerares: cùm, è diverſo, *Cæſari*, niſi *viginti duo millia* militum, univerſim non eſſent: in i-

tinere verò,cum *Cornificio*,legiones adhuc duę cum *Fuſio* quoq; *Calenô*,quę circùm *Athenas* adhuc, & ad *Mégaram*,erant, cohortes *quindecim* etiam ipſæ *Cæſarianis* cæteris, ſed tardiùs, ſeſe conjuncturæ. De quibus interrogatus à *Cæſare*, pro concione, miles Pharſalicus, *Placerétne, donec & abſentes copiæ ſupervenirent, differri prælium?* unâ voce reclamavit univerſus: profeſſus, & jurans, *Etiam citra commilitium illud, ſe pulcram, aut victoriam relaturos, aut mortem.*

Fuerunt nihilominus auctorum veterum nonnulli,quibus (*Appiano* teſte) placuerat; *Ad Pharsálum, ſolius Italici generis, non adnumeratis Auxiliis, concurriſſe millia ſeptuaginta.* Sunt &, qui prodiderint; *Vniverſim, & utrimque, millia* cccc. *conflixiſſe.* qui pugnantium numerus (niſi tamen *ſpectâſſent* plures, ut dicetur, quàm *pugnâſſent*,) fidem,aut nihil,aut non adeò multùm, excederet: ſiquis in eum copias *omnes*, etiam *auxiliares*, includeret. Quamvis enim *pro Cæſare*, vix aliæ nationes in armis tunc, & caſtrîs,eſſent,præter *Equites Gallos*, & alios *Gallos* tranſalpinos, *pedeſtres* ferè; *Noricos* item, ac *Germanos*, & levis armaturæ *Græcos*, *Ætólos*, ac *Dólopes*, & *Acarnánes*: labor tamen eſt,gentium illarum inire numerum, & vel *nomina* recenſere,

ere, quæ,tot ex Inſulis, è regionum Græciæ edibus, è Minoris ac Majoris Aſiæ, totiúſque propemodum Orientis, provinciîs, in *Pompeji* claſſem & caſtra confluxerunt: quarúmq; nos *Indicem* ſuperiùs contexebamus. Unde neceſſe ſit; *Pompejanorum* longè maximum, *Cæſarianiſque* pluſquam ſeſquiduplô numeroſiorem, exercitum, ad Palæ- Pharsálum *ſtetiſſe*: donec *fugiendi* tempus eſſet.

Aciem porrò *Pompejus*,in hunc habebat modum inſtructam; eámq; jam tum in procinctu conſtitutam, cùm necdum legiones ſuas *Cæſar* (tametſi *Pompejo* tum vel maximè propinquans) coordinâſſet. *In cornu ſiniſtro*,legiones locârat duas; quas, ſub initia diſcordiæ civilis, è Gallia *Cæſar* ei, velut *Parthicum* ad bellum ituras,tranſmiſerat: de quibus dictum eſt locô ſuô. Cum his legionibus (in quibus *Lucius Domitius* curabat) ipſum quoque *Pompejum* initiò *Cæſar*,Commentariorum ejus librô tertiô teſte, vel vidit, vel *videre ſibi viſus eſt*; inſtantis prælii curîs oculorum ejus aciem confundentibus. Id, quod acutè, neceſſarióque, *Lipſius* etiam,ac *Montanus*, obſervârunt. nam *Græciæ* ſcriptores, cum *Lucano*, paſſim à *Cæſaris Commentario* diſſonantes, *Pompejo* cornu *dextrum* attribuunt.

In *cornu* verò *Dextro* (quod is ab impeditis *Enipei* rivi ripis munitum habebat) *Cilicienſem* legionem collocârat; cui cohortes Afranianas, ex *Hiſpania* quondam reportatas, aſſociârat. Iis præerant, *Lucius Cornelius Lentulus*, & *Pompejus* inprimis ipſe. Qui, cùm, principiô ſtatim miſcendi certaminis, in *ſiniſtro* ſe cornu videndum exhibuiſſet: poſtea tamen, ejus inſpectô ſtatu, *dextrum* quoque cornu crebrò petebat, ac repetebat. Quę planè mens eſſe *Plutarchi*, cęterorúmq; , quos indicavi modò, videtur. In *Acie* præterea *mediâ*, Q. *Cæcilius Metellus Pius Scipio*, Pompeji ſocer, cum legionibus Syriacis, erat. Poſt hos, quod legionum ſupererat, *mediam* inter *aciem*, & *cornua*, ſic interjectum Pompejus diſtribuerat: ut *cohortes* omnino *centum* ac *decem*, quas in *Cæſarem* rectà duceret, paratas haberet: in quibus, è *beneficiariis* ejus, *evocatorum* cohortes circiter *duæ*, totâ ſtabant acie diſperſæ. Cohortes alias, numerô ſeptem, aut (ut *Appianus* loquitur) *legionariorum millia quatuor*, præſidio caſtris, & vicinis *Pharsálo* caſtellis, reliquerat. *Equitatum* autem ſuum univerſum, ſic ad illud *cornu*, quod dextro *Cæſaris* oppoſitum erat, conductum inſtructúmque tenebat; ut, hoſtium exercitum à tergo ſe circumventu-

rum

rum eſſe, cæſurúmque, ſpem exploratiſſimam, propter equitum ſuorum multitudinem, *Pompejus* habere ſibi videretur. Et erat ſanè vel ſolus hic *equitatus*, etſi cætera defuiſſent omnia, primùm quidem aſpectu ſuî, ſplendoréque, Solem provocantis, auri (quod omnium arma decorabat), magnificus, atque minax, deinde, numerô quoq; , tot, tam inſigniter armatorum, terribilis atque formidandus. E copiis autem *auxiliaribus*, multitudine (ſicut dictum ſuperiùs eſt) tam immensîs, Pompejus *Athenienſes* ſolos, & *Peloponneſios*, & *Bœótos*, atque *Macedonas*, tanquam ordinibus, è militari diſciplina ſervandis, ac ſilentio retinendo, magis aſſuefactos; propiùs Phalangem (ut Appiano loqui placuit) Italicam adſtare, cúmque res & imperium ſuum id exigeret, præliari, juſſit. Cæteros *Græcos* omnes, tam *Europæos*, quàm *Aſiaticos*, Orientíſq; barbariem armatam univerſam, extra legionum aciem ſubſidére; ſpectantéſq; cęterorum pugnam, tum demum in pedes & haſtas aſſurgere, voluit, cùm, peractô jam præliô, ſtragis hoſtilis reliquias profligari, *Cæſariſque* caſtra diripi, res hortaretur.

Cæſaris autem *aciei* (ſicut eam librîs ſuîs ipſe nobis conſignatam reliquit) hic fuit *ordo*. Con-

rem; *Pompejanam* aciem, à vallo, præter dierum ſuperiorum conſuetudinē, longiùs progreſſam, versùm ſe moveri: ſimùl autem, & *ſpeculatores*, hæc eadem *Cæſari* renuntiantes, adſunt. Ibi *Cæſar*, ad eos, qui portîs exibant, converſus; *Scotuſſam versùs, nobis iter* (inquit) *omittendum hodie, milites, eſt*: *& in certamen potiùs expediendæ manus. En! habetis, quod per omnes hos dies, universi, tam ſæpe, me flagitâſtis: dimicandi tempus; opportunitatem ſummam; locum æquum; me ducem & commilitonem; veſtram virtutem, victoriæ præclaræ genitricem!* Hæc *Cæſar*. Acclamantibus autem in hæc alacriter universîs; *Mandaret! duceret! ituros ſe!* mittit è veſtigio, qui, profectas frumētatum, *legiones* revocent: alios, qui partem agminis, jam caſtrîs egreſsâ, inhibeant: & cohortes (ut ipſe ſcribit) *duas*, quæ caſtris interea, dum aliud imperaret, præſidio ſint, ordinat. Ipſe, pro tabernaculô ſuô puniceæ togæ ſignô ſuſpendi juſsô; ſimùl *Marti, Venerique Genitrici*, ſacrificat: ſimùl, *Ædem in Vrbe ſe poſiturum Deæ*, vovet; *ſi, Romam Victori ſibi redire contingat*. In hæc peracta, legiones & equitatum caſtrîs educit, *Pompejum* versùs. *equitibus* (uti diebus ſuperioribus plerumque fecerat) juvenes, manu fortes, &, tam ex anteſignanis expeditis *electos*, quàm

quàm ad pernicitatem exercitatos, immiſcet: quos ipſe, jam antehac, & aſſiduè, docuerat, inter *equites* præliari. Mox, ad inſtruendam aciem, ſe convertit.

Eadem, ex altera parte, facturus *Pompejus*, exercitum ſuum, deprehendit, cadente jam nocte, *timore Panicô* conſternatum. quem is metum, dum, contubernia circumcurſando, diſcutere conatur; animóſque militum ad ſpem rerum meliorum erigere: fatigatus ipſe, ſub exortum ferè diluculi ſopitur. Excitatus verò demum ab amicis, *ſomnium* eis narrat; idémq; narrari militi, per tribunos ac centuriones, ad omnium confirmandos animos, jubet. Id erat ejuſmodi, *Luciferi* (ſine dubio), *tenebrarum regis*, & mentium humanarum, per genus omne mendaciorum, excæcatoris, operâ *Pompeji* ſenſibus immiſſum. Imaginatus erat, *Eſſe ſe Romæ, Veneriq; Victrici dedicare, lætis ſollemnibuſque cærimoniis, Ædem. In Theatro præterea, quod, à ſe nominatum, ipſe quondam exſtruxiſſet, à populo ſpectatore plauſum ſibi datum*. Hæ *Somniorum* nugæ, neutrâ ſui parte veritatem aſſecuturæ; ſicut fuerant ipſæ *vanæ*, ſic ſpe certitudineq;, (*Victoriæ* de Cæſare reportandæ,) *vaniſſimâ*, totum implêrunt ejus & animum, & exercitum:

hortationéq; ſuâ, cæteros quoque, ne dubitarent idem facere, pertraxit: præeunte cunctos, ſicut auctoritate, ſic & jurisjurandi facilitate, *Pompejo Magnô*. quod ipſe tamen *juramentum* poſtridie verſurus in *perjurium* erat.

Jámque Pompejanorum omnium erant, in proximæ lucis pugnam, arrectę mentes: & hęc eorum erant, in Caſtris, pridie commiſſi certaminis, acta fortiter, atq; dicta; ſed ſuô paullò pôſt effectu, conſtantiâque, caritura. *Cæſaris* autem, ad prælium iſtud, animi copiarúmq; prępararionem ut in conſpectu ponamus; neceſſarium eſt, ejus ipſius *Commentariorum*, ac *cæterorum* (præſertim verò *Græcorum*), hac de re poſteritati commendata, ſcripta, nos in concordiam, hôc maximè, quem adferemus, modô, redigere. quô tamen, ſi verè liquidóque commodiorem obvius quisq;, (nedum, eruditus) invenerit; ei libens, & congratulans, acquieſcam.

Oportuit igitur (ut in *Speculatoribus* emittendîs accuratiſſimus erat *Cæſar*, & ſe ſecuturis Ducibus ad exemplar proponi dignus,) odorem ei ſaltem aliquem conſilii propoſitíque *Pompejani*, (ſicut erranti viatori *fumum*, hoſpitalium tectorum indicem), eâdem adhuc *no-*

ctis

ſte, quæ pugnæ diem antecedebat, afflatum fuiſſe. Cùm namq; (ſicut antè paullò dictum eſt) *ſubluſtris* ea *nox*, à ſuî præſertim dimidiô jam peractô, faciliorem copiis exituris viam progreſsúmq; daret: utendum eâ *Pompejus* occaſione ratus, paullatim à *colle* caſtrorum (qui *collis*, à *Cæſaris* caſtris primîs, longiùs aliquãtò, quàm *unius* horæ *ſemiſque* viâ, diſtabat) demittere militem ſuum cœpit: ínq; *Cæſarem* lentè juſſit eũ, cúmq; ſilentio, procedere. Non fefellit hæc emiſſio, progreſsúsq; *Pompejanorum*, exploratores *Cæſarianos*; ex equis, & abditô locô, quidnam rerum hoſtis ageret, accuratiſſimè diſpicientes. qui proinde, *Cæſaris* copiarum animadversô tam propinquô diſcrimine ſalutis, nihil, ad moram omnem abrumpendam, reliqui ſibi faciunt: ſed, in curſum effusîs equîs, ad *Cæſarem* contendunt. Is, eodem ipſo noctis tempore, detendi tabernacula juſſerat; colligi vaſa; ſignum edi profectionis, *Scotúſam* versùs. hîsq; celeriter, utì præceptum ab eo fuerat, expeditîs; educere portîs agmen primum, de quartâ ferè vigiliâ, parabat. cùm, ecce, ſub illud ipſum temporis momentum, ſimùl & ii, qui ſtabant in editioribus munitionum locis, animadvertunt, ad *Lunæ* ſplendorem,

rem; *Pompejanam* aciem, à vallo, præter dierum ſuperiorum conſuetudinē, longiùs progreſſam, versùm ſe moveri: ſimùl autem, & *ſpeculatores*, hæc eadem *Cæſari* renuntiantes, adſunt. Ibi *Cæſar*, ad eos, qui portîs exibant, converſus; *Scotúſam versùs, nobis iter* (inquit) *omittendum bodie, milites, eſt: & in certamen potiùs expediendæ manus. En! babetis, quod per omnes bos dies, univerſi, tam ſæpe, me flagitâſtis: dimicandi tempus; opportunitatem ſummam; locum æquum; me ducem & commilitonem; veſtram virtutem, victoriæ præclaræ genitricem!* Hæc *Cæſar*. Acclamantibus autem in hæc alacriter univerſîs; *Mandaret! duceret! ituros ſe!* mittit è veſtigio, qui, profectas frumētatum, *legiones* revocent: alios, qui partem agminis, jam caſtrîs egreſsâ, inhibeant: & cohortes (ut ipſe ſcribit) *duas*, quæ caſtris interea, dum aliud imperaret, præſidio ſint, ordinat. Ipſe, pro tabernaculô ſuô puniceæ togæ ſignô ſuſpendi juſsô; ſimùl *Marti, Venerique Genitrici*, ſacrificat: ſimùl, *Ædem in Vrbe ſe poſiturum Deæ*, vovet; *ſi, Romam Victori ſibi redire contingat*. In hæc peracta, legiones & equitatum caſtrîs educit, *Pompejum* versùs, *equitibus* (utì diebus ſuperioribus plerumque fecerat) juvenes, manu fortes, &, tam ex anteſignanis expeditis *electos*, quàm

quàm ad pernicitatem exercitatos, immiſcet: quos ipſe, jam antehac, & aſſiduè, docuerat, inter *equites* prœliari. Mox, ad inſtruendam aciem, ſe convertit.

Eadem, ex altera parte, facturus *Pompejus*, exercitum ſuum, deprehendit, cadente jam nocte, *timore Panicô* conſternatum. quem is metum, dum, contubernia circumcurſando, diſcutere conatur; animóſque militum ad ſpem rerum meliorum erigere: fatigatus ipſe, ſub exortum ferè diluculi ſopitur. Excitatus verò demum ab amicis, *ſomnium* eis narrat; idémq; narrari militi, per tribunos ac centuriones, ad omnium confirmandos animos, jubet. Id erat ejuſmodi, *Luciferi* (ſine dubio), *tenebrarum regis*, & mentium humanarum, per genus omne mendaciorum, excæcatoris, operâ *Pompeji* ſenſibus immiſſum. Imaginatus erat, *Eſſe ſe Romæ, Veneriq; Victrici dedicare, lætis ſollemnibúſque cærimoniis, Ædem. In Theatro præterea, quod, à ſe nominatum, ipſe quondam exſtruxiſſet, à populo ſpectatore plauſum ſibi datum*. Hæ *Somniorum* nugæ, neutrâ ſui parte veritatem aſſecuturæ; ſicut fuerant ipſæ *vanæ*, ſic ſpe certitudinéq;, (*Victoriæ* de Cæſare reportandæ,) *vaniſſimâ*, totum implêrunt ejus & animum, & exercitum:

tantâ quidem vi furoréq; ſuperſtitionis; ut liberti, vernæ, ſervíq; paſſim, ut calones, ac lixæ, per caſtra, non invitîs herîs ac patronîs, diſcurrentes, tanquam *triumphi* quodam, & non potiùs futuri *certaminis*, apparatu, res præſentes adornarent: cùm (pròh dedecus!) recenti ceſpite tabernacula ſuorum inſternerent: cùm triclinia, lectulos, vaſa, ſupellectilémq; menſarum, exponerent: cùm paſſim deniq; pinſerent, coquerent, frigerent, aſſarent; merô cratéres implerent; omniáq; tentoria, quibus hedera laurúsq; deeſſent, myrtô coronarent: in heroûm, ex acie reverſurorum, epulas, ac *genialia* quaſi *Sacra*. Sacella certè *Daphnæa*, *nemoraliáve* potiùs *lararia*, quàm *tentoria* caſtrorũ, *Lucii Cornelii Lentuli*, cæterorúmq; nonnullorũ, *tabernacula* videri poterant: partim hederæ foliis, innexîſque corymbîs, circumveſtita: partim laurô denſâ, *Victorum* Inſignî, redimita: multùm interim hæc averſante, ſibíq; talia fieri detrectante, *Pompejo*. Nec immeritò. PRVDENTIS enim eſt, *Etiam* diluculi, *quantumvis* ſereni, *futuram tamen* Veſperam *habere ſuſpectam*; ceu Tempeſtatum *vehiculum*.

XXX. Cùm autem, ſub eundem ipſum temporis articulum, *Pompeji* mentem ſubîſſet fatalis

lis quidam, venturíq; mali præſagus, torpor: triſtes hic ei voces elicuit; *Eum diem, utercunq; victurus eſſet, infortunatiſſimum populo Romano futurum eſſe*. Quibus è verbis, ſuſpicaces quidam, ac malevoli, colligere ſibi viſi ſunt; *Ne Pompejum quidem, à victoria, quidquam, niſi crudele, ferox, ac Syllanum, eſſe præſtiturum*. Sed, utut iſta ſint, fuerintque; non apparebat alii cuiquam eorum, qui tunc in caſtris, alibíque, *Reipublicæ partium* erant (extra *Pompejum* ipſum, & *Ciceronem, Catonémque*,) vacillare ſuccumberéq; ſpem *Pompejanorum* poſſe: tantis præſertim viribus copiiſque, tanti, tótq; ſecundis quondam præliis florentis, *Imperatoris*. Ut enim de *claſſe* Pompeji ſileam, quâ, planè formidandâ, portus ille, littoráque, maritimorum *Sinuum*, ac tractuum, adeò prætexere circumquaque, compleréque, potuiſſet; ut nullum *Cæſarianis* effugium in *Aſiam Africámq;*, nullum reditûs oſtium in *Italiam*, facilè ſuperfuturum fuerit: erant inſuper in exercitu Pompeji, (ſi *Cæſarem* in Commentariis, & *Appianum* ac *Plutarchum* Græcos, audiamus) *quadraginta quinq;* circiter *millia*, ſi *ſeptem* equitum illa *millia* connumerares: cùm, è diverſo, *Cæſari*, niſi *viginti duo millia* militum, univerſim non eſſent: in itine-

tinere verò,cum *Cornificio*,legiones adhuc duę; cum *Fuſio* quoq; *Calenô*,quę circùm *Athenas* adhuc, & ad *Mégaram*,erant, cohortes *quindecim*: etiam ipſæ *Cæſarianis* cæteris, ſed tardiùs, ſeſe conjuncturæ. De quibus interrogatus à *Cæſare*, pro concione, miles Pharſalicus, *Placerétne, donec & abſentes copiæ ſupervenirent, differri prælium?* unâ voce reclamavit univerſus: profeſſus, & jurans, *Etiam citra commilitium illud, ſe pulcram, aut victoriam relaturos, aut mortem.*

Fuerunt nihilominus auctorum veterum nonnulli, quibus (*Appiano* teſte) placuerat; *Ad Pharsálum, ſolius Italici generis, non adnumeratis Auxiliis, concurriſſe millia ſeptuaginta.* Sunt &, qui prodiderint; *Vniverſim, & utrimque, millia* cccc. *conflixiſſe.* qui pugnantium numerus (niſi tamen *ſpectâſſent* plures, ut dicetur, quàm *pugnâſſent*,) fidem, aut nihil, aut non adeò multùm, excederet: ſiquis in eum copias *omnes*, etiam *auxiliares*, includeret. Quamvis enim *pro Cæſare*, vix aliæ nationes in armis tunc, & caſtrîs, eſſent, præter *Equites Gallos*, & *alios Gallos* tranſalpinos, *pedeſtres* ferè; *Noricos* item, ac *Germanos*, & levis armaturæ *Græcos*, *Ætólos*, ac *Dólopes*, & *Acarnánes*: labor tamen eſt, gentium illarum inire numerum, & vel *nomina* recenſere,

fere, quæ, tot ex Inſulis, è regionum Græciæ ſedibus, è Minoris ac Majoris Aſiæ, totiúſque propemodum Orientis, provinciîs, in *Pompeji* claſſem & caſtra confluxerunt: quarúmq; nos *Indicem* ſuperiùs contexebamus. Unde neceſſe ſit; *Pompejanorum* longè maximum, *Cæſarianíſque* pluſquam ſeſquiduplô numeroſiorem, exercitum, ad Palæ-Pharsálum *ſtetiſſe*: donec *fugiendi* tempus eſſet.

Aciem porrò *Pompejus*, in hunc habebat modum inſtructam; eámq; jam tum in procinctu conſtitutam, cùm necdum legiones ſuas *Cæſar* (tametſi *Pompejo* tum vel maximè propinquans) coordinâſſet. *In cornu ſiniſtro*, legiones locârat duas; quas, ſub initia diſcordiæ civilis, è Gallia *Cæſar* ei, velut *Parthicum* ad bellum ituras, tranſmiſerat: de quibus dictum eſt locô ſuô. Cum his legionibus (in quibus *Lucius Domitius* curabat) ipſum quoque *Pompejum* initiò *Cæſar*, Commentariorum ejus librô tertiô teſte, vel vidit, vel *videre ſibi viſus eſt*; inſtantis prælii curîs oculorum ejus aciem confundentibus. Id, quod acutè, neceſſarióque, *Lipſius* etiam, ac *Montanus*, obſervârunt. nam *Græciæ* ſcriptores, cum *Lucano*, paſſim à *Cæſaris Commentario* diſſonantes, *Pompejo* cornu *dextrum* attribuunt.

 In

In *cornu* verò *Dextro* (quod is ab impeditîs *l nipei* rivi ripis munitum habebat) *Cilicienſe* legionem collocârat; cui cohortes Afraniana ex *Hiſpania* quondam reportatas, aſſociâra Iis præerant, *Lucius Cornelius Lentulus*, & *Pom pejus* inprimis ipſe. Qui, cùm, principiô ſt tim miſcendi certaminis, in *ſiniſtro* ſe cornu vi dendum exhibuiſſet: poſtea tamen, ejus inſpe ctô ſtatu, *dextrum* quoque cornu crebrò pet bat, ac repetebat. Quę planè mens eſſe *Plutar chi*, cęterorúmq;, quos indicavi modò, videtu In *Acie* præterea *mediâ*, Q. *Cæcilius Metellus Pi Scipio*, Pompeji ſocer, cum legionibus Syriaci erat. Poſt hos, quod legionum ſupererat, *me diam* inter *aciem*, & *cornua*, ſic interjectum *Pom pejus* diſtribuerat: ut *cohortes* omnino *centum* decem, quas in *Cæſarem* rectà duceret, parat haberet: in quibus, è *beneficiariis* ejus, *evocat rum* cohortes circiter *duæ*, totâ ſtabant acie c ſperſæ. Cohortes alias, numerô ſeptem, aut (*Appianus* loquitur) *legionariorum millia quatu* præſidio caſtris, & vicinis *Pharsálo* caſtellis, liquerat. *Equitatum* autem ſuum univerſu ſic ad illud *cornu*, quod dextro *Cæſaris* oppo tum erat, conductum inſtructúmque teneb ut, hoſtium exercitum à tergo ſe circumven

ri

rum eſſe, cæſurúmque, ſpem exploratiſſimam, propter equitum ſuorum multitudinem, *Pompejus* habere ſibi videretur. Et erat ſanè vel ſolus hic *equitatus*, etſi cætera defuiſſent omnia, primùm quidem aſpectu ſuî, ſplendoréque, Solem provocantis, auri (quod omnium arma decorabat), magnificus, atque minax. deinde, numerô quoq;, tot, tam inſigniter armatorum, terribilis atque formidandus. E copiis autem *auxiliaribus*, multitudine (ſicut dictum ſuperiùs eſt) tam immensîs, Pompejus *Athenienſes* ſolos, & *Peloponneſios*, & *Bœótos*, atque *Macedonas*, tanquam ordinibus, è militari diſciplina ſervandis, ac ſilentio retinendo, magìs aſſuefactos; propiùs Phalangem (ut Appiano loqui placuit) Italicam adſtare, cúmque res & imperium ſuum id exigeret, præliari, juſſit. Cæteros *Græcos* omnes, tam *Europæos*, quàm *Aſiaticos*, Orientíſq; barbariem armatam univerſam, extra legionum aciem ſubſidére; ſpectantéſq; cęterorum pugnam, tum demum in pedes & haſtas aſſurgere, voluit, cùm, peractô jam præliô, ſtragis hoſtilis reliquias profligari, *Cæſariſque* caſtra diripi, res hortaretur.

Cæſaris autem *aciei* (ſicut eam librîs ſuîs ipſe nobis conſignatam reliquit) hic fuit *ordo*. Con-

tra *Pompejum* erat ipſe conſtiturus; *Decimæ legionis*, ſicutì ſemper aliàs fecerat, præſidiô (quod *Plutarchus* ait) etiam tunc pugnam initurus. Eam ergo legionem in *cornu dextro* locabat. Huic (ſecundas à ſe partes curaturum, quoties aliorſum eundum eſſet) *Publium Syllam* aſſignârat. In cornu *ſiniſtro*, pugnare juſſerat *Legionis nonæ*, quæ præliis nuper *Dyrrhachinis* admodum imminuta fuerat, reliquias: adjunctâ, pænéq; *nonanis* permixtâ, legionis *Octavæ*, paullò pleniore, firmioréq;, multitudine. Præerat his *Marcus Antonius*. E reliquis deinde legionibus, *aciem* Cæſar *mediam* cõſtituit; quam *Cnejo Domitio Calvino* committebat: ut adeò *cohortes*, in acie locatas, haberet *octoginta*. Relicquit autem ad caſtra (quibus, eſſe preſidio cohortes duas, initiò jam voluerat, uti ſupra retulimus) veteranorum, ætatis affectioris, duo millia; quibus impedimentorum comendârat cuſtodiam. *Auxiliarios* autem, ad *oſtentationem* potiùs quàm *uſum*, productos, nulli trium acierum immiſcuerat, aut adjunxerat. Quòd autem provideret animô *Cæſar*, quantus prælii turbo, quãta rabies, *Pompejanis* ab *equitibus*, in ſuas incubitura legiones eſſet, in tantâ præſertim *equitatûs ſui* paucitate: defectum *multitudinis* exiſti-

exiſtimavit, *arte* ſibi ſublevandũ eſſe. Non tam *Equitem* igitur *equiti*, quàm *delectos pedites*, opponi debere, ratus; repentè *cohortes ſex* ab extremo detraxit agmine: quarum cohortium numerum, *Tria millia* fuiſſe, *Plutarchus*, & *Appianus*, tradunt. Eas, poſt ſigna collocatas, & ab latere dextro converſas in obliquum, objecit *equitatui Pompejano*; ſeorſum monitas, *Quidnam ab iis in concurſu fieri vellet. nec ſe defuturum, cùm tempus ac res poſtulare cœpiſſent, vel eorũ ardori; vel memoriæ, crebrîs admonitionum ſtimulîs reſuſcitandæ. Paucis enim vocibus, crebriùs iteratîs, Omnia ſe dicturum eſſe, quæ dici tunc poſſent, ac deberent*. Id autem, aſtu *Cæſar* mirificô, ſtruebat in *Equitatum Pompeji*: quippe, qui, pleràq; ſui parte, delicatîs, ac nitidæ formæ ſtudiosîs, juvenibus adoleſcentulíſque conſtaret: quóſque, domì choréis, conviviis, ac voluptatibus inſanioribus immergi ſolitos, *Saltatores* Cæſar appellare conſuêrat. Hos, experimentô domeſticô, compertum habebat, pugnâ potiùs exceſſuros eſſe, quàm, cum macula dedecoréq; *venuſtatis ſuæ* Romam ad uxores, ſponſas, pſaltriáſq; ſuas, redituros. Adversùm illos itaq;, tam molles, & pompam magìs ac luxum in armis, quàm Victoriam, ſpirantes, ſex eas, quas dixi, cohor-

cohortes, in *Aciem* Cæſar cõpoſuit: eámq; nominavit *Quartam*; in ſubſidiis, poſt ſigna, donec erumpendi tempus eſſet, ignorante *Pompejo*, quieturam. Simùl verò conteſtatus ſubſeſſores illos Cæſar, *In eorum virtute manibúsq; ſitam illius diei ſalutem gloriámq; fore*: cæteras acies omnes, imperiô gravi, *ne, niſi juſſu ſuô, concurrerent*, inhibuit: *Se, quàm primùm id fieri vellet, purpurei ſagi ſignô propoſitô, mentem ſuam declaraturum eſſe*, profeſſus.

Hîs, in hunc modum ordinatîs, ſuas uterq; ducum copias ad pugnam imminentem exhortari, validîs animorum ſtimulîs, ordiuntur: *iiſdémque* propemodum (quod *Dio* dicit) *verborum argumentîs, alter alterum, ut Tyrannum, ut Patriæ, Legum, Imperiiq; Majeſtatis Hoſtem*, appellantes; ſe, contrà, ſuáſque partes, *Reipublicæ, Libertatis, & Deorum hominúmque Vindice, aſſertorésq;*, prædicabant. Inprímis verò, militaris eloquentiæ promptitudine, *Cæſar*, quantò pejorem fovebat Cauſſam, tantò ſpecioſioribus audaciam ſuam coloribus exornabat. *Meminiſſent, quàm iniquô malevolorum decretô, poſtulata ſua, rationis æquitatisq; pleniſſima, repulſam hucusq; tuliſſent: quâ factioſorum invidiâ, cõtumaciâq;, populi ſibi privilegium ereptum eſſet; Curionis ac Tri*

ac Tribunorum plebis cæterorum, interceſſio ſublata: ſacroſancta tribunitiæ poteſtatis reverentia proculcata, proſciſſa, pulſa, fugata. qua turbidorum hominum impudentiâ preſſi ſint, non ipſe ſolus, ſed, quotquot ſecum per tot annos, ſub pellibus, in extero ſolo, pruinosò rigidòque cœlo, rem populi patrúmq; publicam, Imperii majeſtatem, Vrbis & Majorum ſuorum gloriam, fulſiſſent, ac propagâſſent: cùm inter hæc ipſi tamen, Hoſtes Patriæ, Reipublicæq; perduelles, *quàm contumelioſiſſimè proclamarentur. Redigerent in memoriam, quâ feritate truculentiâque, quotquot extra caſtra præſidiáque Pompejanorum, vel eſſe reſpuiſſent, vel (quod crudelius) eſſe, per incommodum ſuum, valetudinémve, non potuiſſent;* feciſſe contra Rempublicam, *ſint judicati. Quoties, ex parte ſuâ, poſtulatîs colloquiîs, miſſis internuntiîs, interpoſitîs adverſæ-partis-amicorum ſtudiîs, actum de Pace conciliandâ, de bello componendô, de civilis cruoris parſimoniâ, fuiſſe? nec tamen reportatum quidquam tolerabilis reſponſi: ſubindéque ne patientes quidem aures, aut Ducis aditum, vel prætoriani liminis acceſſum, impetratum? Cujus tam fœdæ repulſæ, toties ab illis adverſùs ipſos iteratæ, numquidnon noviſſimè Pharsálum etiam, omnémq; Theſſaliam (in qua denuò fruſtra tractatum Pacis negotium fuerit), eſſe teſtem poſſe?*

poſſe? Númnam igitur dubitare cuiquam licere, quin illis fœderum inimicis, & concordiæ conjunctioniſque Lucifugis, eo die, Venus Genitrix, primogeniæ ſocietatis mater, ac Mars Vltor (quorum honoribus, propinquante diluculò, ſacrificârint), inimicos ſeſe monſtraturi ſint: arbitrôq; Gladiô jus, Jura violantibus, dicturi? Qui tamen ſi (quod fieri nequiret) de cœlo vindictam negligerent, aut differrent: númnam & ipſos, omnes communiter, milites ac commilitones; num, unumquemque privatim, manui ſuæ, cauſſæq́, defuturos? Neminem enim unum (inquit) *veſtrûm, hîc video, poſteaquam legiones has omnes circumſpexi: non me, non legatorum quenquam, aut Tribunorum; non Præfectorum, Centurionum, Equitum, Veteranorum, manipularium, ad noviſſimum uſq; tironum noſtrorum: cujus non bodie, paullò pòſt, jugulum ac cervix (niſi vincimus) ferri Pompejani victima futura ſint. Omnes, omnes, ad unum, unà mecũ, à Labieno, Lentulo, Scipione, Domitio, Pompejo, proſcripti ſumus. Hi, nec ſinè meo (quod ultrò* verbis *jactant), nec ſinè cujuſquam veſtrûm (quod* rebus *oſtendunt) capite relato, vel pacem agitare, vel vitam, poſſunt. Quid ergo, per Deos immortales! quid ſtamus hîc? Cur non gradum aciémq; promovemus? & hoſtiariam illam adverſariorum noſtrorũ ſecéſpitam, ac bipennem, nobis (tanquam*

quam bobus, exitio devotis) impendentes, unius ictu certaminis, antecapimus? Et id, herculè! faciemus. Nam, ſi bene Jus gentium, ſi leges Armorum, novimus; ad id compellimur. Et, ſi veſtram ego promptam in armis manum animúmq; perſpectum habeo: poteſtis, audetis, effectúmq; dabitis. Veſtra belli præterita facinora, pignori mihi ſunt eventuum futurorum: Immò verò, vel maximè, præſentium. Nam hodie, milites, hodie ſuperabitis Ducem unum, Seniô fractum, ſinè milite vegetô; *qui, me duce, me commilitone, ſæpe* milites innumeros, *acerrimósq;, pepuliſtis: & hoſtium acies inſtructiſſimas, ſub Ducibus infeſtiſſimis experientiſſimiſque, primô frequenter concursûs ſpiritu, difflaviſtis. Ità, decimum propemodum in annum, veſtrûm plerorumque dextrîs, veſtrarum virium & animorum ardore, contuſa ferox Helvetiorum gens, perdomiti Galli, profligati Nervii; Britanni, Germaniq;, locô cedere coacti ſunt. Veſtro Marte, Galliis ejectus Arioviſtus; Corfinio, Lucius Domitius; Italiâ, cum Conſulibus, hic ipſe Pompejus; Hiſpaniîs, Afranius, Petrejus, Varro; terrâ marîque, coërcita Maſſilia; bis occupata, Roma: bis, & ſæpius, trajectum, inter infeſtas hoſtium claſſes, Ionium Adriaticúmque mare: captæ maritimorum finium urbes, (quæ, ne nunc quidem, penitùs eſſe noſtræ deſierunt): occupatæ*

cupatæ regiones, Epirus, Ætolia pléraque, pars magna Theſſaliæ; cum urbibus, Gomphorum, Metropolitarum, ac cæterîs, ad Lariſſam uſque. Vobis, mecum unà gradum, viam, aditum, caſtra, prœliáque, facientibus; per decem hos, aut vix multò plures, annos, gentes, ac nationes, in Hiſpaniis, Galliis, Britanniâ, Germaniâ, diversóq; reliquo terrarum orbe, non pauciores quadringentîs, ſubjugavimus. Reſtat autem hodie, ſubigendum nobis, ut rerum exterior imago minitatur, majus quiddam; ut ipſa res eſt, longè minus: ex Orientis, inquam, Occidentiſque terrîs, coactus, capitum quidem nominúmque, grandior apud Pompejum numerus: animorum autem, invictarúmque manuum, (ut mox experturi ſumus) in immenſum inferior. Majorem ego populorum, à nobis ſub jugum miſſorum; quàm vos pedum, in acie Pompejana ſtabilium, Summam inibimus. Tametſi, quid his tam prolixîs, opus eſt, generoſi certaminis irritamentîs, milites? Quamvis enim paribus pares eſſetis concurſuri: vos tamen (ſiquid adhuc fortitudinis veteris, egregiéq; factorum memoriæ, retinetis) poſt Dyrrhachinum nuperum gloriæ veſtræ detrimentum, prœlium aliud (& ultro quidem) efflagitâſtis: juréque jurando ſimùl, omnem veſtram mihi fidem oppignerâſtis, Ex acie, niſi cum Victoria, veſtrûm neminem eſſe rediturum. Qui

pact.

pacta ſi manent, ut debent; agitè, milites! Non Rhodus hîc, non ſaltus; ſed, Pharſaliæ campus, in conſpectu jacet. Exite, (quod DI bene vortant!) exite caſtrîs, etiam, qui nondum prodiſtis! &, ne fortè quondam in eadem redire, vel inviti, violatâque juramenti religione, poſſitis: ſi meî, ſi veſtrî, ſi promiſſorum memoriæ, relinquere monimentum vultis; hæc, en! hæc ipſa caſtra veſtra, diruentes, jam nunc tumulum, ac ſpei veſtræ ſepulcrum, efficite. Vaſtate vallum: foſſas, aggere dejecto, complete. Caſtra ſi vultis alia; vel nulla vobis, vel, hoſtilia ſola, (ſed, victoribus) hic Dies aperiat! Hæc *Cæſar* ad ſuos tunc differebat.

In verba *Cæſaris*, miles (qui caſtrîs nondum univerſus exierat) ſilentiò, velut imperatum erat, disjicere caſtra; convellere vallum; aggere deturbatô, foſſas & ſolum æquare, cœpit: inceptúmque, momentô temporis, perfecit: nequid, vel per umbram illis, niſi *ſpes in armis*, ad refugium ſupereſſet. Non fefellit id, obſervantem eminus omnia ſinguláque, prudentiſſimum *Pompejum*. Unde, cæterîs, qui conſiderabundum ſtipabant, eô *Cæſarianarum* actionum ſpectaculô geſtientibus, & id hoſtium, ad fugam ſe cõparantium, deſperationi tribuentibus, (quoniam, in *diſceſſu*, vulgò *caſtra*, ſicut alibi di-

bi diximus, exſcindi mos ferebat); ſolus ipſe *profundùm ingemuit:* intúſque ſecum hoc facinus expendens, cum ſuſpirio; *DI meliùs*! inquit: *aut periimus! hic enim* (Cæſarem ſignabat), *ad ſtragem noſtram tam deſperatè graſſans, quid non perrumpet? Qui Sua deſtruxit, Aliena cui parcet? En! Nihil ad Vitam ſibi reliquit hoſtis: mirum, ſi ſuorum Hoſtium ulli quidquam relicturus eſt; niſi Mortem!*

XXXI. Itaque pactionis (jam ſaltem, ac denique,) conditiones admiſſurus fuiſſe, *Pompejus* mihi videri poteſt. Sed nimirùm, eò ventum utrimque jam erat; unde retrogrediendi facultas non eſſet. Stabat inter *Pharsalum*, & *Enipeum* flumen, acies Pompejana: *Cæſaris* autem, ex adverſo, ſic; ut ſpatiô dividerentur inter ſe, non ampliore, quàm, quantum concurſui primo, ſinè fatigatione multâ, ſufficeret. Acceperant autem ſuam exercitus uterq;, pro more, *teſſeram*; à Ducibus ſupremis militi, per manipulos, cohortes, legiones, dari jam antiquitus ſuetam: uti ſuô dictum eſt locô. Cæſarianorum vocale ſignum erat, *Venus-Victrix*: Pompejanorum, *Hercules-Invictus*. Cæterùm inſtructas, ac progredi jam orſas, acies, diuturnum mœſtúmque defixit ſilentium; cunctantes

tes,exſpectantéſque, non hinc minùs, quàm illinc, *Ab utrónam exercituum, pugnæ fieret initium?* Oculîs in humum dejectis, ac triſtitiæ torpore quodam ſtupidô pedes ab agilitate progreſsûs retrahente; reputabant animîs: *Quantam, & quàm tragicam, rerum molem aggrederentur? quantum illo die ſceleris eſſent in ſe ſuſcepturi, corporis unius artus, ac membra? civibus cives, & neceſſariis neceſſarios ſuos, adeóque fratres, parentes, filios, conſanguineósq; cæteros, alternâ promiſcuâq; cæde, quaſi gratuitò, trucidaturîs.* Simùl ergo gemitus,& lacrymæ, non *militibus* tantùm, ad mutuã ſignorum ac vocum agnitionẽ, ſed, (quod *Appianus* prodidit) *imperatorum* etiam utrique, prorumpebant. At ubi, diei non parum proceſſiſſe, nec adhuc tamen legiones promovere ſe, ductores animadverterunt: ardoris militaris vereri teporem reſtinctionémq; cœpêre. Præcipuè verò *Pompejus*, cùm, tam tardè moturi ſe certaminis impatientiâ, ſubtumultuari copias ſuas *auxiliares*, ſentiret; paullatímq; laxari diſciplinæ leges & ordines animadverteret: priuſquam inquietudinis ejus exemplô reliquus etiam exercitus inficeretur; antecapere remedia ſtatuit. Quocirca, ne locũ otio (quod inquietos accendit) relinqueret; *ſigna ca-*

nere, juſſit. Secutâq; mox Cęſarianâ quoq; tubâ, *claßicum*, & hinc & illinc, ingenti buccinarũ, cornuum, ac lituorum omnium, ſpiritu concentúque, perſonuit. Obequitantibus autem, ac circùm ordines diſcurſantibus, ſupremîs ducibus, legatîs, ac tribunîs; & militis concurſuri robur, admonitione novâ, reſuſcitantibus: prælium, non, (ut *Dio Caßius* ſcriptum reliquit), *Auxiliares*; ſed, ut Plutarchus, & Cæſar ipſe, tradidêre, *Cajus Craſtinus*, eſt exorſus: vir, inprimis manu fortis; & anni ſuperioris, apud Cæſarem in legione Decima, *Primipili-Centurio*: quíque centum viginti manipulares electos in aciẽ ſecum ducebat. Hic vir, ad *Cæſarem* protẽsâ manu, clariſſimâq; voce *Victoriam* ei, ſe pugnam ordiente, promittens, ac præſagiens: cum ſuis in hoſtem procurrit. quem, magnâ cæde disjectum, vaſtatúmque, dum ulteriùs premit *Craſtinus*, & adurget; per ipſas, ecce! clamantis, ac ſecutores ſuos accendentis, fauces, hoſtilis gladii mucro tranſit: ſursúmq; per occiput illius eminens, ei, cum voce conatúque, vitam expellit. Poſt hunc, cùm militum *Cæſarianorum* alii, ſuper alios, pilîs infeſtîs procurrerent; incurſum primum interrumpere ſubſiſtendo cogebantur. *Pompejus* enim, conſiliô quodam

ſuô

ſuô, rationéq; certâ, ſed *Cæſari* parùm probatâ, quietem ſuis, & immotam in loco ſtationem, præceperat: ut, incurſu præfatigati *Cæſariani*, viribus ſemifractîs in *Pompejanos*, adhuc integros, incidere cogerentur. Hujus inſtituti primùm ignari *Cæſariani*, tanquam rei, vulgò parùm in pugnis uſitatæ; cùm, infeſtîs pilîs in hoſtem verſi, procurrere cœpiſſent: poſteaquam, eos immotô ſtare gradu, ſervatîs ordinibus, animadverterunt; ipſi quoque, nullius ad imperium, ſed tantummodo rationis ſuaſu, defatigationi ſuæ parſuri, reprimere curſum aliquouſque cœperunt: ac ſpatiô ferè mediô conſiſtere. Poſt paullum verò, recollectô per nonnullam quietis intercapedinem ſpiritu, repetere curſûs ardorem; in hoſtes pila mittere; conſumptîsq; pilîs, juſſu *Cæſaris*, gladios diſtringere. *Pompejani* contrà, de præcepto ducis ſui, telorum hoſtilium conjectum ſuſtinere; vim & incurſum adverſariorum excipere; locô non moveri; nullâq; parte ſolutîs ordinibus, & ipſi pila contorta ſpargere; demúmq; gladios, (ſicut hoſtem facere viderant) expedire. Quo tempore, dum hoſtilem impetum, exſpectatione ſubſidiorum à ſuis, generosè ſuſtinent: repentè, *Pompeji* miſſu, ſiniſtrô de cornu

Pompejanus equitatus omnis, cum univerſâ ſagittariorum funditorúmq; multitudine, tanquam tempeſtas, erupit. Is obruere *Cæſarianos*, equorum inſultu, ſagittarum denſô jactu, continuíſque lapidationibus, incipit, uſqueadeo confeſtim, ac ferociter: ut non modò pedeſtris *Cæſaris* acies (quæ *decumanorum* Legionis erat) in longum, ei ferendo malo, par futura non fuerit; ſed & equitatus ipſe, *Pompejanis* ab equitibus circumveniri ſenſim, obruíque, cœptus, aliquantùm cedere locô compelleretur. Tantò vehementiùs igitur, acriúſq;, *Pompejanus eques* aciem *Cæſarianam* urgere: per turmas ſeſe diffundere: rejectíſque paſſim hoſtium alis, ipſius pedeſtris aciei *Cæſarianæ* lateribus, quæ nudata præſidiîs equitum erant, ſeſe circumfundere. Jámque res, (ſpectante, gratulantéq conſilii ſui primis ſucceſſibus, *Pompejo*) non extra *Cæſarianorum* periculum eſſe cœperat: cùm animadversô ſuorum labore, totôque campô volitantium *Pompejanorum equitum* arrogant licentiâ perſpectâ, Cæſar; *conſurgere*, prodiréq jubet è ſubſidiis, *quartam* illam *aciem* ſuam: *ſex* electiſſimorum militum *cohortibus*, hoc eſt, (ut alibi dicebamus) *tribus* veteranorum *millibus* conſtantem. Hanc *aciem*, imperatoris acceptô ſignô

ſignô, morâ nullâ procurrentem, immittit *Cæſar* equitatui *Pompejano*; qui tum, vel maximè, *Cæſarianæ* legionis obterendæ ſpe tumebat, & gloriabatur. dúmque ſingulas cohortes emittit, hortatur eas, ac ſingulorum militum auribus inculcat; ut, relictîs aliîs omnibus corporum membrîs, JUVENCULORUM NOBILIUM *illorum, & calamiſtratorum adoleſcentium, equitúmq; glorioſorum*, VULTUS tantùm, ET ORA, FERIRE, meminiſſent.

Dictum, factum. Imperii ducis ſui memores *ſubſidiarii*, Pompejanorum furibundos, ac ſucceſſu feroces, equites invadunt: &, in eos impetu conceptô ruentes, nec *ſuras* eorum, (ut aliàs) nec femora, vulneribus impetunt; ſed, erectîs in altum haſtîs, in illorum *ora, facies, oculos*, incurrunt: clamante poſt tergum, & identidem ingeminante, *Cæſare*; FACIEM, FACIEM! COMMILITO: FACIEM, ET ORA, FERI! VULTUM, VULTUM, MILES, ET OCULOS, FODE! *Feriebant* igitur illi, *fodiebántque*, ferociter. At illis alteris, ea res nova, vis inſolens, & indigna, videri; militiæq; moribus minimè gentiū uſitata. ſtomachari, fréndere, fremere, quiritaríque: minari perniciem, ſic inſtantibus ſibi, *Cæſarianis*; aver-

vertere facies; obducere palmâ frontem; velare, manibus objectîs, oculos; genas, & ora, quà potè tecta munitáque, mucroni percuſſoris infeſti ſubducere; retrorſum capita flectere, torqueréq;: breviter! deformitatem vulneris talis, (utpote, quondam in cicatricibus quoq; manſuram, & erubeſcendam,) averſari. *Cæſariani*, nihilô minùs inſiſtere mandatis *Cæſaris*: ac *Cæſar* poſt tergum, vocibus clarîs ingerere, FACIEM, miles, ET ORA, FERIRET! *oculóſque nobilium cornicum configeret!*

Dum igitur, inevitabilem vident hanc laniénam, & inexorabiles *Cæſarianorum* manus haſtáſq;, *Pompejani*: nemine jam, nec repugnante, nec remanente, proturbatîs ordinibus, ac diffusîs in fugam turmîs; *ſeptem millium* equitatus ille, *ter mille peditum* hoſtilium fœdiſſimô metu, diſſipatur: altiſſimóſque, qui *Pharſalicis* campis imminebant, montes, pernici curſu petunt. Quæ dum ab equitatu *Pompeji* fiunt: continuò, *funditores* etiam illius, & *ſagittarii*, (jam inermes, ac præſidiô deſtituti ſuorum equitû,) à victricibus illis exercitûs *Cæſariani* cohortibus interficiuntur. *Legiones* deinde *Pompejanas*, (etiam ipſas equitatûs ſui ſubſidiô nudatas), & eques *Cæſarianus* ab aperto

láte-

latere circúmvenit: & *cohortes* eædē, quas diximus, à ſagittariorum funditorúmq; cæde, jam conſumatâ, ſe transferunt eodem: equitibúsq; ſuîs multò terribiliores, manus haſtáſq;, paullò jam antè plurimorum cædibus exercitatas, in reſiſtentes illic *Pompejanos* pedites convertunt. Fit ſtrages ingens. futuráq; major erat; ni *Pompejus*, equitum ſuorum fugâ turpi, magnô cum animi dolore, procùl conſpectâ, cornûq; ſui ſiniſtri diſcrimine cognitô, voce magnâ duces, ac tribunos, monere maturâſſet; *Siſterent gradum legiones!* ac telorum jactum omnem, & incurſum in aciem adverſariorum, inhibentes; ſatìs haberent, retentis ordinibus, ſuô quemq; locô conſiſtere: prætentîsq; duntaxat haſtarum cuſpidibus, connexione densâ, ſuſtinere vim hoſtium irruentium: eámq; veſtigiis immotîs excipere. Profuítque ſalubre *Pompeji* conſilium iſtud; ſed non in longum: ídque, decumanorum *Cæſaris* importunitate, nihil immotum in hoſte, nihil impervium ſibi, ſinentium. Ii namque, jam pridem, ex adverſo, ſummîs viribus in legiones invecti; cum acie Cęſarianâ *quartâ* (quę *Pompejanos* à tergo premebat) prorsùm eas, ac retrorſum, & laterū tenus, concluſas urgebant. proturbandóq; preſ-

ſos, eos loco pellebant; ac profligabant. In hunc modum, *Pompejanorum* ſiniſtrô cornu ſtratô, diſſipatôque; cæterîs etiam in duabus aciebus (*mediâ*, putà, cornûq; dextri,) *Cæſarianîs* illas incurrentibus, variè tela, pila, gladiorum & haſtarum ictus, alternabantur. Vulnera, cædes, gemitus, ac funera, denſabantur: diverſiſſimîs morientium, non ſolùm *affectibus*, ſed & *vocibus*; cùm alii ſimpliciter fremerent, gemerent alii; quidam (utì, contrarius hîc *Appiano*, Dion aſſeverat), inter plagas, ac mortis viciniam, dolerent, indignarentur, ejularent: ut omnia proinde gemitu, clamoréque, complerentur: nonnulli denique, ſuíſmet etiam (dictu miſerandum!) percuſſoribus, extremô ſub halitu, ſupplicarent; & his, ad neceſſarios, ad uxorem, ad liberos, familiámque cæteram, mandata noviſſima, ſupremáſq; voluntates, perferendas committerent. Ad hunc autem modum, per omnes *Pompeji* legiones *Italicas*, ſtrages ambulabat; interfectîs quàm plurimîs: cæterîs autem, quaquaverſum, partim in caſtra, partim ad ignota loca, diffugientibus. Quibus *Cæſar*, & fugâ ſparsîs, & densâ cæde ſtratîs, non ſinè gravi gemitu ſuo conſpectîs; vocibus (ut *Aſinius Pollio* teſtis eſt, qui *Cæſari* tunc aſtabat)

Lati-

Latinis, exclamavit: HOC NEMPE VOLUERUNT! TANTIS REBUS GESTIS, CAJUS CÆSAR, CONDEMNATUS ESSEM; NISI SUBSIDIUM AB EXERCITU PETISSEM!

Cæterùm, *Pompeji* militum *Italicorum*, ea fuit, quam memoravi, clades. *Græcarum* autem gentium, *Orientiſque* populorum, ac Regum, *auxiliares copiæ*, quę, mandatô *Pompeji*, (ſicut dictum eſt) pugnare prohibebantur, quoad prælio ſuprema manus per victoriam imponeretur; ſpectantes interea, deſidéſque, cum Romani conflictûs admiratione magnâ, recubuerant: &, nec impedimenta quidem *Cæſaris* (quæ tantisper à paucis admodum, ſeniôq; feſſis, cuſtodita fuerant) invadere tentârant: cùm tamen, horum ſaltem animosâ direptione, nonnullum *Otii* ſui pretium facturi fuiſſent. At poſteaquam hæc eadem *Auxilia*, parùm auxiliaria, cornu *Pompeji* ſiniſtrum (in quo robur ipſe totius exercitûs ſui conſtituerat) referre pedem, conſpexerunt: *Actum eſt!* (exclamant) *actum de parte noſtrâ! Succubuimus!* Simùl, in hæc, agminatim in fugam effuſa, necnō reliquiis ſimùl, adhuc ſtantium in acie, legionum, exemplô ſuæ formidinis in fugæ ſocietatem pertractis;

ctis; *caſtra* repetunt: eáque, tentoriis dejectis, tanquam aliena, diripientes; ut quæq; cuique via, devia, perviáque, plus habere ſecuritatis videbatur ad effugium, eâ pedibus ſalutem petunt. Et hos igitur conſpicatus *Cæſar* victor; PARCE CIVIBUS! (inclamat ſuis); ABSTINE FERRUM, MILES, A SANGUINE ROMANO! CÆDE PEREGRINOS! In quæ verba, dimiſsîs quaquaverſum præconibus, è numero ſuorum; *Pompejanis-Italicis* univerſis *Teſſeram* edicit iſtam: STA SECURUS! Hac Incolumitatis fide, ſponſionéque, *Cæſar* (qui, ſuis quoque teſſeram hanc communicandam, per tribunos, centuriones, & Optiones, mandârat) id ſummô ſtudiô laborabat: ut inviolati, Salvíque, conſervarentur; quotquot è Romanis adhuc, Italicíſque, ſupereſſent: ſi ſervari tamen ipſi vellent. ídque bonâ fide ſervatum, à *Cæſarianorum* pleriſq; fuiſſe, conſtat. Nam, ut quiſque ſe recipiens ex acie, militibus *Cæſaris* applicaretur, aut ſe miſceret, tametſi noſcitaretur; ſi rogatus teſſerâ, reſpondiſſet, STA SECURUS is, morâ nullâ receptus in fidem, *Securus*, inviolatúſque, *ſtabat*. E contrario verò, quidquid *auxiliarium* Pompejanorum in manus ſuorum inci-

inciderent, concídi, *Cæſar* juſſit. quod & ipſum, eorum immanî factâ ſtrage, *Cæſariani* perfecerunt: universâ *Pharſaliâ* cadaveribus oppletâ; cruoréq; largô natantibus *Enipei* fluminis, tam ripâ, quàm undîs. Itaq; tunc primùm *Ægæi* maris aquas *Sanguis* auxit; illuc, ab uſq; *Tiberi*, profectus.

XXXII. Sed non hîc funera ſubſtiterunt. Ut plura *Pharſaliam* operirent; *Cæſaris* fecit ſtudium, & ardor, in *Pompeji* (priuſquam is denuò ſeſe repararet) ſupremam ruinam. *Pompejus* enim, ne cædi ſuorum, ipſe quoque, ceu, votorū hoſtilium, unicè jam olim expetitum, compendium, *Victimáq; capitalis*, accederet; in acie non permanſit: ſed, ut primùm à cohortibus *aciei* Cæſarianæ *quartæ* ſuum pelli vidit *equitatum*; ab iiſdémque mox, & à *decimæ legionis* hoſtilis *peditibus*, à tergo, fronte, lateribus, ſterni *ſiniſtri cornû* legiones ſuas, (quibus tamen, ut & *equitatui*, plus, quàm exercitui reliquo toti, confiſus fuerat): continuò cæteris legionibus omnibus, ſummæq; rerum ſuarum, diffiſus; circumſpicere latebras, effugiúmque, cœpit. Erat *Pompejus* (utì dictum in ſuperioribus eſt), *Labienô* præeunte, *jurisjurandi* religione conſtrictus; *In Caſtra ſe, niſi cum Victoria, non reverſurum.*

rum. Hujus *juramenti*, cæteri *duces*, qui ſeipſos illó pariter obſtrinxerant, accuratè memores erant.eorúmq; vix quiſquam caſtra repetivit: ſed complures, qui gladium Cæſarianorum, *teſſeræ* fide, clementiâq; *Cæſaris*, evadere potuerunt, aliquouſq; *ſecurè* (ſicut eis indultum erat) *ſtantes*; poſtea, dum, in auxiliis ac barbaris perſequendîs, miles *Cæſarianus* occupatur, diffugiendi facultatem arripuêre: celeritérque, quò cuiq; viſum eſt, catervatim ſingillatímq;, dilapſi ſunt. *Pompejus* autem, juramenti ſui religione ſeipſum, nullô collegii *Pontificalis*, aut auguralis, uſus interprete, laxare ſolveréq; contentus; in *caſtra* ſe recepit. Et quidem, (nequis fortè, *juramentorum* auſterior ac Numanus *exactor*, eum, ceu *Redeuntem*, accuſare poſſet), illuc, quò dixi, non *pedibus* ſuîs, ſed (quod accuratè *Cæſar* in *Commentariis* adnotavit) *equô*, ſe contulit. Ibi *centurionibus*, quibus in ſtatione portæ prætoriæ cuſtodiam, antè pugnam, mandârat, tunc caſtrorum univerſorum tutelam ſedulam palàm commendabat: ſiquid præſertim fortunæ durioris ab adverſariis incidiſſet. Ipſe, reliquas ſe portas, & caſtrorum præſidia, circumire, *verbis* quidem præ ſe tulit: *reipſa* verò, prætorianum in taber-

ibernaculum abdens ſe; rerum cœpit eventum præſtolari. nec id fecit, nullâ, (ſaltem aliquamdiu) melioris pugnæ ſpe: cùm, *Dionis* teſtimoniô, dimicatum admodum diu ſit: *Pompejaniſque* dextri cornûs militibus, & aciei mediæ cohortibus, obſtinatè ſtrenuéq; præliantibus;pugnę fortuna variam ancipitémque ſeſe præbuerit. *Pompejus* interea, *mentis* (ut *Appianus* ait) *inops*;& mœrens, ac taciturnus, in tentorio ſedens: altiſſimos inter gemitus, haud de prælio reſtituendo (quod magnanimum Imperatorem decuerat), ſed de ſpe ſuâ, per *equitum* ignaviam & eruptionem deluſâ, cum indignatione cogitabat. *In magnis autem malis, non eorum, quæ jam emendari non poſſunt, recordatio; ſed inſtantium, præſentiúmque, regimen, ſaluti remedióque ſunt.* SEIPSUM, NON FACTA PRÆTERITA, (QUÆ JAM INFECTA FIERI NEQUEUNT) DEBET ANIMUS, POST CLADEM, REVOCARE. Quod *Pompejus*, dum, inexſpectatô rerum ſuarum caſu, pręter ſolitum excuſſus prudentiæ ſuæ gradu, prætermittit; nec *præterita* correxit: &, quæ *ſupererant*, in univerſum evertit.

Jámque (quod *Cæſar* ait) ad *meridiem*, aut, (quod Græcus *Appiani* loquendi mos ſibi vult) ad

ad *declivem Solis curſum*, perducta res erat: cùm, adhuc ſedente mœrentéq; *Pompejô*, Pompejanîs autem reliquiîs ipsîs quoq; cæsîs, pulſis, profligatis, apud ſe reputare *Cæſar* cœpit: *Quidnam ex ea victoria ſibi lucri proventurum eſſet; ſi, vel Pompejum ipſe de manibus emitteret, quem, in caſtra refugiſſe, ſatìs intelligebat: vel, diſperſum ex acie militem illius, ad cæteros, qui caſtra ſervabant, redire permitteret? Hinc certè, denuò recollectîs in unum hoſtibus, belli finem exitúmque nullum inventum iri.* Per totum ergo diſcurrens exercitum, æſtu præliôq; fatigatum; hortando, rogando, blandiendo, *commilitones* appellando, perpulit ſuos: ut *quoniam illuc eos, & fortunæ beneficium invitaret, & ipſa quoque rerum ultima neceſſitas traheret; unà ſecum, abſolutiſſimæ Victoriæ remoram unicam, caſtra videlicet hoſtium perterritorum, inque caſtris, Pompejum ipſum, oppugnatum irent, & captum.* Impetravit *Cæſar*, quod voluit. Oppugnatum caſtra, veniunt. à *Pompejanis* vî magnâ reſiſtitur. à *Thracibus*, auxiliîsq; barbaricîs, ácriter *Cæſariani* vallô detrudũtur. Hi contrà, ſagittarum multitudine munitionum defenſores premunt. denſabantúrque cominus, eminúſq;, vulnera, cædes, clamor. Ad has voces, ac tumultũ, arrigens aures

Pom-

Pompejus, quærebat de proximis; *Quid rei?* cùm, priuſquam reſponderetur, ex accurrentibus, quæ gererentur, ac geſta jam eſſent, diſcit: nec ſatìs credit. Egreſſus autem, ad rerum certius experimentum capiendum; editiore de loco, disjectas in campo, ſtratásq; legiones ſuas; Cæſarianorum alios ad caſtra ſua ruentes, alios ad vallum jam foſsásq; pugnam cientes, conſpicatur. attonitúſq;, diuturnum poſt ſilentium, demum; *Pròh! ſancte Juppiter!* (exclamat) *Ergóne res, ad caſtrorum etiam oppugnationem, evaſit?* Dum autem ſtupet, & in omnem ſe partem, incertitudine conſiliorum, vertit: *Cæſariani*, deturbatîs, inter hæc, ex aggere propugnatoribus, intrà vallum jam intimum irrupebant. Quo cognitô, *Pompejus*, Imperatoriô paludamentô ſibi detractô, tegumentum, *fugæ* conveniens, aſſumit: *equum*, è pernicioribus ſelectum, conſcendit: ac, decumanâ portâ, de caſtris evolat. Indè, cum amicis primò, non pluribus *quatuor*, Lariſſam Theſſalicam, incitatiſſimô curſu, feſtinans; nocte totâ, fluentibus habenîs, equitat: nec priùs iter interrumpit, quàm illuc, quò curſum intenderat, ſub ipſum diluculum pervénit. Neq; tamen, quantumvis invitatus, *Lariſſam* intravit: nequod, ex offen-

ſenſione *Cæſaris*, oppido periculum, incommodúmque, ſuſcitaret. obviàm autem, ſalutandi gratiâ, progreſſæ civitati, pauciſſimîs verbîs; *Satìs hactenus*: (ait). *Ite nunc*; *& officii reliquias Victori præſtate. Deinceps enim, Cæſarem dominum, ex heſternæ pugnæ fatis, habebitis.*

Eâdem autem formidine, quâ *Pompejus*, ii, qui præſidio caſtris relicti fuerant, neq; vim *Cæſarianorum* oppugnantium ſuſtinuerant; etſi ſaucii pleriq;, milites, centuriones, tribuni, caſtris ejicientes ſe, montium altiſſimorum vicina juga petebant: in foſſis, munitionibúſque caſtrorum, & paſſim intrà vallum, maximâ cæſorum commilitonum, ſervorum, lixarum, calonúmque, multitudine poſt ſe relictâ. Quæ verò *Pompejanis*, circùm caſtra, munitionibus, & caſtellis, ante prælium impoſita præſidia fuiſſe, dixeramus: ea, ſub idem ipſum cæterorum fugæ ſtragíſque tempus, cum dextri cornû Cæſariani legionariîs incurrenti, *Publio Syllæ* ſeſe permiſerunt.

Cæterùm, caſtra cum ſuis ingreſſus *Cæſar*, epularum, ac luxûs, apparatum illum, de quo dictum ſuperiùs eſt, reperit: triclinia, tapetibus pretioſîs inſtrata; vaſorum argenteorum vim magnam; ferculorum, ac menſæ ſecundæ, lu-

xum

xum & copiam: cętерámq; voluptatis intempeſtivæ ſtruem,& inſtrumenta;*prudentibus* quidem ridenda, ſed *Cæſaris*,ejúſq; militum, fami fomenta,perquã opportuna: prædámq;, victoribus jucundam. Neq; tamen his immoratus *Cæſar*;cùm,in pręſens quidẽ,elapſum jam *Pompejum*, ſciret: ne, qui de copiis ejus ſupererant,denuò ſeſe colligerent; eos,quantulocũque numerô reſtarent,exiſtimavit,eodẽ adhuc eſſe die perſequendos,ac profligandos. Quamquam autem in veſperam jam lux inclinabat; ad *montem* tamen, qui *Pompejanorum* plerorumque fugam receperat,copias ducens; eum circumſidendum ſibi ſumpſit: quòd,illum aquarum inopem eſſe, didiciſſet. Poſteaquam autem, ob eam ipſam rei tam neceſſariæ penuriam animadverſam, indè decedere perfugas, *Lariſſam* versùs, *Cæſar* intellexit: ipſe, per viæ compendia, cum *legionibus quatuor*,fugientes, ſuô primùm occurſu; paullò verò pòſt, & acie raptim inſtructâ, prævertens: eos in *montem alium* redegit. Ibi,licèt ingruente jam nocte, *flumen* id, à quo mons ille ſubluebatur, eis inutile reddidit: illúdque, ne per noctem aquandi *Pompejanis* facultas eſſet, à radicibus montis, interjectu munitionis, diſcludens; eos,

qui ſe fruſtra monte tutos fore ſperaverant, mittere deniq; legatos, coëgit; ac, ſublatîs in capita ſcutis, ſe dedere; deſcendere de monte; *Cæſaris* ad pedes arma projicere; protensíſque palmis, ſtratis humi genibus, atq; corporibus & profuſis lacrymîs, petere veniam, ac ſalutem. Eos omnes, leniter increpitos, in fidem recepit: ſuis à militibus inviolatos eſſe, juſſit & illa, quæ fuerant eorum, eis reſtituenda curavit. E *Pompejanis* porrò delectibus quos in vénit; eos univerſos, modò veniâ donatos, mo & in ſacramentum ſuum adactos, legionibus ſuis immiſcuit: ac, ſub hæc, *Lariſſam*, quò ja *Pompejus* anteceſſerat, pervénit.

Iſte *Pharſalicæ* pugnæ fuit exitus. quæ p gna, per terrarum Orbem longè latéq; cel brata, *diem decimum quartum ante Calendas S ptembres* (ψψ) anni, poſt Urbem Conditam, ptingenteſimi quinti (*Salianei*) funeſtavit. ea, *Cæſaris* è militibus interiêre (velut in Co mentariis ipſe ſcriptum reliquit) manipula quidem, haud plures *ducētis*. ſed *centuriones*, tra *Cajum Craſtinum* (quem is inſtar plurim rum æſtimârat) *triginta*; fortes manu viri. V rùm, apud *Appianum* quidam, cùm centurio cæſorum ſummam intactam relinquant, & i

m

motam; *gregariorum* tamen numerum ad *Mille Quingentos* extendunt. (*ωω*). A *Pompeji* verò partibus, etſi *Pollio* tradiderit, in expugnatione caſtrorum *Pompeji* (quæ cæſorum ingentem numerũ hauſit), eorum, qui cecidiſſent, maximam partem fuiſſe *ſervos*; ingenuorum autem militum *Pompejanorum*, haud plures *ſex millibus* interiſſe: quanquam is auctor nonnullis ſit habitus, aliîs quibuſdam in rebus, *oculatus*; in hac profectò tamen nemini rerum æſtimatori ſaniori fidem facit: niſi (quod nobiſcum & *Ciacconio* placuiſſe, jam ſcriptis hîs, deprehendebamus) de *Civibus propriè Romanis*, iiſq; *ſolîs*, explicari ſe *Pollio* velit, aut ſinat. Certè quidem *Cæſar*, totius cladis iſtius auctor, inſpectórque diligens, *occiſorum* exercitûs *Pompejani* militum viſa fuiſſe *millia circiter quindecim*, aſſeverat. quibus tamen ipſis, decem pręterea millia, ſcriptorum veterum quidam, apud *Appianum*, addiderunt: ut adeò, cæſorum, tam in *acie*, quàm in *caſtris*, & extra *vallum*, necnon in *fuga*, diverſîsq; locîs & incurſibus aliîs, *millium viginti quinque* numerus emergat. Quem numerum equidem, ab *Auxiliaribus* potiſſimùm (quorum, Appiani teſtimoniô, plurima ſtrages fuit) exſtructum, & impletum, exiſtimo: non

autem, à *dedititiîs* Pompejanîs, nam horum *viginti quatuor millia*, Cæſar, qui ſuîs in *Commentariis* eos numeravit, idem ipſe quoq; *miſericors victor*, interfectô nullô, conſervavit.

Cæterùm, è *ducentis* illis caſtrorum Pompeji *Senatoribus*, quorum in numero Proconſules, & Conſulares complures, & *Marcus* quoq; *Cicero*, fuerunt; *Cicero* quidem, per corporis invalitudinem, intereſſe prælio non potuit. Evaſit tamen; ut & *Favonius*, *Marc. Marcellus*, aliorúmq;, pars maxima. Ceciderunt autem, in acie *Senatores* novem. *Lucius* item *Domitius*, ille *Cæſaris* antiquus, & acerrimus, inſectator. Hunc, à *Cæſare* Corfinii quondam fruſtrà ſervatum, dum is, è pugna noviſſima, montana prope *Pharsálum* juga, refugii cauſsâ, petit, cum equitibus aſſecutus eſt *Marc. Antonius*, eúmque, laſſitudine confectum, oppreſſit, & interfecit. Cujus *mortem* Cæſar cùm non tacuerit; *homicidam* tamen ſiluit. At hujus nomen, in ſecunda Philippicarum ſuarum, *Marcus Tullius* protraxit. Illuſtriorum demum *Equitum* Romanorum, cecidêre quadraginta. Quorum omnium, eorúmq; præterea, qui recenſiti ſuperiùs, ac nominati ſunt, capita, vitámq;, ferrum hauſit *Pharſalicum*.

Incom-

Incommodi minimi (nec tamen ingenti ſui numerô, dedecoréque, carentis) *ſignorum* jactura fuit, è *Pompeji* parte. *Signa* quippe *militaria* ſunt ad *Cæſarem* ex acie relata, *Centum octoginta*: cum *Aquilis*, ut quidem *Cæſariani* codices depravati tradunt, *quinquaginta novem*, abſurdè, ſupráq; fidem, ac numerum legionum, omnem: ut autem emendatiores libri notant, *novem*, aut *octo*: cùm Pompejanis *Aquilæ* reliquæ *ſeptem* eſſent. De quibus huc aliqui Ciceronis irriſionem illam (potiùs, ac veriùs, quàm ad incomoda velitationum Dyrrhachinarum) referunt: quæ talis erat. *Cicerone* præſente, *Nonius* quidam, quaſi per ſolatium, & oſtentationem *rei Pompejanæ*, nondum in univerſum conclamatæ, gloriabatur in fuga; dicebâtque: *Debere victos bonum animum habere; propterea, quòd, cæterìs quamvis omnibus amiſſis*, Septem *tamen* Aquilæ *caſtrenſes ſupereſſent*. Huic amarùm ſubridens Tullius; *Rectè ſanè, mi Noni, tu diceres*, (ait): *ſi cum* graculis *nobis, & non cum* Cæſare, *bellum eſſet*.

Quod autem ad eorum attinet incolumitatem, aut interitum, qui, de *Pompejanis* prælio *Pharſalæo* ſuperſtites, in manus *Cæſaris* inciderunt: tradit *Dio Caſſius*, Equites illos, ac Sena-

tores, quibus, aliquando captis, aut occaſione qualibet aliâ ſuam in poteſtatem redactis, vitæ gratiam *Cæſar* feciſſet; ab eo, poſt prælium *Pharſalicum*, propter iteratam rebellionem interfectos omnes eſſe: demptîs duntaxat iis, quos exemerant ſupplicio preces, & gratia, *Cæſaris amicorum*, ac *militum*. Horum enim is nulli non *unum* aliquem, *quemcunque quiſque vellet*, liberandum, dono dedit. At illos alios, cujuſcunque conditionis, & ordinis, qui *tum primùm* adversùs ſe, *Pompeji* ſtudiô, tuliſſent arma, (quippe, nullis ſuis unquam, ſed olim *Pompeji* beneficiis, obſtricti), non *periculo* modò ſupplicii, ſed & *timore* periculorum, exſolvit. In his inter *Romanæ* quidem *nobilitatis* dêcora, *Marcu* *Brutus* fuit. Is quondam, ſtringente menten ejus recordatione *Cæpionis* parentis ſui, *Pompej* juſſu (ſicut & alibi ſubindicavimus) trucidati nec ſalutatione *Pompejum* unquã, nec aſpectu dignari conſuêrat. Poſtea tamen ad partes illi us, & caſtra, ſolô *Libertatis* ac *Reipublicæ* ſtudiô ſeſe contulerat. Hunc ergo cùm *Cæſar* (ut mul ti rebantur, *pater* ejus, è conſuetudine quon dam cum *Serviliâ*, matre *Bruti*,) didiciſſet, ar dore pugnæ Pharſalicæ præ cæteris efferbui ſe: cæſum eum in acie, ſuſpicabatur; ac dol

ba

bat. At eum poſtea, præter ſpem omnem, intelligens, repertum, ad ſe perduci juſſit: eíq; vitam, armorúmq; contrà ſe veniam, liberalitate maximâ conceſſit. Fuit in iiſdem quoq;, quos in gratiam, citiùs feriúsve, proceſſu temporis recepit, *Athenarum* civitas. fuit *Sádales*, Thracum regulus: fuêre, Galatarum rex, *Dejotarus*; & *Tarcondimotus*, partis *Ciliciæ* tetrarcha: qui, ſuiſmet corporibus & animis in acie *Pharſalica* præſentes, *pro Pompejo*, diſtrictis adversùs *Cæſarem* mucronibus conſtiterant. His, ut diximus, ignovit *Cæſar*. Ignovit & aliis, haud paucis. Ac, ne plurium in ſe peccatis, vel *iraſci* cogeretur, vel *indulgere*: quàm plurimorum ſuſpectis (tanquam adversùm ſe ſcriptis) epiſtolis, in caſtris ac ſcriniis *Pompeji* repertis, priùs *flammam* & incendium, quàm *oculos*, cauſsâ lectionis, admovit.

Acceſſit autem ad eorum, quibus *ignoverat*, numerum, poſt ſemeſtre ferè temporis intervallum, etiam *Marc. Tull. Cicero*. Cùm namq; *Cæſar*, poſt confectum jam trigeminum bellum, Theſſalicum, Alexandrinum, Ponticum, in Italiam reverteretur: eíq; Brundiſiô *Tullius*, cauſsâ deprecationis, obviàm prodiret; ejus honori reverentiæq; *Cæſar* hoc dedit: ut, eô conſpectô,

ctô, continuò deſiliret equô; *Ciceronémque*, ſine difficultate receptum in gratiã, ſecum multa per ſtadia, ſermonum humaniſſimâ viciſſitudine, deduceret. In qua profectò totâ re, multis ſe partibus faciliorem ei *Cæſar* præſtitit, quàm Pompejanarum partium homines: quorum arma tamen, & cauſſam, *Cicero*, Cæſare fruſtra ſæpe dehortante, ſecutus erat. Ferocitatis eorum argumenta, tum in alios alia, tum in *Tullium* iſtud fuit. Cùm enim ei, poſt acceptam jam cladem, factámq; fugam *Pharſalicam*, Marcus *Cato*, (ceu *Conſulari*, nupérq; *Cilicienſis* exercitûs imperatori,) delatã ſibi *Pompejanæ Claſſis*, exercitûsq; reſidui, ſupremam poteſtatem, ad *Dyrrhachium* offerret; *Tullius* autem, non illud modò *militum* ac *maris* imperium, ſed univerſam armorum in poſterum tractationem, detrectaret: *Cn. Pompejus Junior*, Magni filius, & qui circùm illum erant, eum primò convitiis, omnîq; verborum contumeliâ, ceu *patriæ proditorem*; poſtea verò, gladiis etiam ac telis, invadentes, interfectum ibant: ni *Cato*, conatibus eorum omnî contentione reſiſtens, *Ciceronem* furiis eorum ſubduxiſſet: &, in navem clam impoſitum, in *Italiam* amandâſſet. Hæc eſt igitur illa, compluriun fortaſſis,

ac

ac frequentibus etiã, efflagitata votîs, *Expeditionis Pompejanæ* noviſſimæ, ſtricta *Summa*. quam, è multis *Latii Græciæq;* Scriptoribus, unũ in *Corpus* redactã, efficere *Compendiariam* ſtuduimus BELLI, non aliâ magis re, ſucceſsúque, CIVILIS; quàm, à *Cæſaris manſuetis* (pro temporum lege) moribus: in tantâ licèt *Victoria*, rerúmq; licentiâ, *civiliſsimè* tamen in *Hoſtem* agentis.

XXXIII. De cætero porrò, *Cæſar*, dies haud amplius *tres* aut *quatuor* in *Theſſalia*, (quam libertate deinceps, propter *Pharſaliam*, *Victoriæ* locũ Theſſalicum, donavit) remoratus; *Ægæô* mari trajectô, proſequi *Pompeji* fugam, remorũ velorúmq; miniſteriîs omnibus, inſtitit: in eóque conatu perſeveravit; donec (ut in *Cleopatra* dictum jam eſt, & in poſterioribus quoque repetetur,) extinctum eum in Ægypto, juſſu *Ptolemæi* regis, & *Achillæ* gladiô, didicit. Ille verò *Gladius*, qui *Pompejanas tunc cervices* incîdit, *unâ* pariter, eodémq; vulnere, *Romæ veteris*, à Bruto conditam, Rempublicam, ac *libertatem*, decollavit: eſséq; cœpit HIC IPSE PHARSALICÆ CLADIS, & Pompeji cadentis, ANNUS, Imperii deinceps, ſeu MONARCHIÆ ROMANÆ, (gentium omnium ſcriptorúmq; confeſſione) PRIMUS.

Idq́; mox rerum ipſe ſucceſſus, è voto *Caſaris* fluentium, & ad ejuſdem *unius ſolius arbitrium* conſtitui cœptarum, abundè demonſtravit. *Caſar* enim, ex *Ægypto*, quouſque *Pompejum* inſecutus fuerat, compoſitis illic *Cleopatra* reginæ turbidîs rebus, per Syriam, Pontum, Aſiámq; minorem, ſuperatô quoq; *Phárnace*, rege Ponticô, reverſus in *Italiam*, adultô jam annô (qui fuit, à prælio Pharſalico, proximus): *Roma*, non ſolùm ordinum omnium gratulatione ſummâ recipitur; ſed *Conſul* etiã *in quinquennium*, ac *Dictator iterum*, adjunctâ *tribunitiâ* quoq; *poteſtate*, renuntiatur. *Anno* verò, poſt pugnam Pharſalicam *tertiô*, cùm & in *Africa* Scipionem, Pompejanarum partium Imperatorem, *triginta millibus* ex ejus exercitu cæſis, ac *Petrejum* inſuper, *Jubámq;* regem, & *Catonem Vticenſem*, præliô, diverſísq; caſibus aliîs, ſuperatos, ad necem adegiſſet: reverſus Romam, *Gallicum*, *Ægyptiacum*, *Ponticum*, *Africanúmque*, triumphos ducit: diverſas fert leges: *anni* veteris *errores* faſtîs ordinatioribus emendat: *tertiúmq;* tum, *Conſulatum* ſimùl, ac *Dictaturam*, gerens; *Cenſum* etiam (poſt tantum civilis ſanguinis diſpendium, armîs importatum,) agit. Quo tempore, *cenſa* civium capita *centum quinquaginta millia*,

(*a a a*) palàm fecêre; quantam, paucorum intrà ſpatium annorum, variîs belli ſeditionúmque caſibus, *Romanæ multitudinis* intercidiſſet: cùm, adhuc *Cn.* Pompejo *Magno*, *Marcòque Licinio Craſſo*, *Conſulibus*, Luciô verò *Gellio*, Cnejôq; *Lentulo*, cenſoribus, (hoc eſt, *annis* abhinc, *viginti* duntaxat, *&* *quatuor*,) ſub *cenſum* veniſſent *civium capita quadringenta quinquaginta millia*: (*CCC*) numerus tunc, ſinè controverſia, poſt *Syllæ ſanguiſugæ* proſcriptiones, belliǽsq; ſtrages, admiratione dignus. *Anno* verò, poſt victoriam Pharſalicam, *quarto*; cùm *Cæſar* & in *Hiſpania*, bellô, prælióque, ſibi periculoſiſſimô, *Cnejum*, ac *Sextum*, Pompeji Magni *liberos*, copiis eorum deletîs, & in fuga ſpecúq; *Cnejo* cæsô, profligâſſet; Romam reverſus, *Hiſpanienſem* quoq; *triumphum* egit. Quo tempore, nullas non in aſſentationes effuſa GENS TOGATA, RERUM QUONDAM REGUMQUE DOMINA, TUNC AUTEM CIVIS, ET ALUMNI SUI, SERVA; non ſolùm IMPERATOREM eum declaravit (cognomine, non antehac apud Quirites, præterquam in *bellis*, poſt *hoſtiles ſtratas* legiones, auditô; tunc autem in *Pace* quoque tribui cœptô) ſed etiam PATRIÆ-PATREM, & SACROSANCTUM,

CTUM, & CONSULEM IN DECENNIUM, ac,præter hæc omnia, DICTATOREM quoque PERPETUUM, & *ſalutavit*, & *eſſe* decrevit. Ut item QVINCTILIS menſis, (ad cujus quartum Iduum natus fuerat) ejus poſthac nomine, JULIUS appellaretur: &, UT IN EJUS ACTA MAGISTRATUS JURARENT. (γγγ) Acceptavit autem honores hos *Cæſar*, alióſq; complures, *eâ mentis aviditate;quâ ſemper eos ambierat*: agebátq;,pro ſuo, quidquid viſum eſſet, ac placitum, arbitratu. *Quintùm* porrò jam *Conſul* erat, Collegámque *Marcum* habebat *Antonium*; qui nuper,ſub expeditionis *Africanæ* tempus,*Magiſter equitum*,inductîs in urbem militibus, civium è plebe, tumultuantiũ, *octingentorum* cædem ediderat: ac tunc,*Lupercum* pariter,& *Conſulem*,agens, oblatô palàm *diademate*, Cæſari pruritum, capiendi *nominis* ac *faſtigii regii*, movebat. Quamvis autem is palàm,inq; ſpeciẽ,averſaretur id culmen, quod clam & reipſa cupidiſſimè prenſabat: nec verbis tamen ejus, nec fronti, fidem prudentes habebant: ut, qui cernerent ac ſentirent eum, multa paſſim circa magiſtratus honoréſque novantem; ac multò plura novaturum. Jam ergo ſenſim *immortalium* etiam *bono-*

honoribus adrepere parantem, & *in curia*, non aliô, quàm *aureô* præſidere ſedilî, more *Regum*, auſum; *Idus* deniq; *Martiæ* ſuſtulerunt, annô, poſt conditam urbem, *ſeptingenteſimo nono*. Quo die, *plures*, quàm *ſexaginta cōjurati*, ducibus *Marco Decimóq; Brutis*, & *Cajo Caſsio*, cum telis, ſubter togam latentibus, *Cæſarem* aggreſſi; *triginta tribus*, in Curia Pompejanâ, plagîs inflictîs, eum occiderunt.

Quanquam autem, cum *Dictatore perpetuo* ſublatô, *Dictatura* quoq; mox in *perpetuum* fuerat abolita, *Publiúsq;* Cor. *Dolabella* (qui, *Cæſare* necatô, ſtatim *Conſulatum* invaſerat) *Appiano* teſte (ꝺꝺꝺ), LEGEM tulerat; UT, QVI DIES CÆSARI FVISSET EXITIALIS, IS, IN POSTERVM OMNE TEMPVS, PERINDE, QVASI PRISTINA REDVCTA LIBERTATE, ROMÆ NATALIS ESSET, ET HABERETVR: ea tamen ſpes & opinio, tum *Dolabellam*, tum ſocerum ejus *Ciceronem*, cæteróſq; *legis* illius applauſores, oppidò *falſos habuit*, atque *deſtituit*. Idque primùm eâ cauſsâ; quòd, quem iſti DIEM dicerent, NATÆ ROMÆ, RENATÆQVE LIBERTATIS, eundem ipſum alii pleriq; deteſtarentur; ac, memores *Clementiæ* benignitatíſq; Cæſarianæ,

PAR-

PARRICIDIVM inſcriberent. (ttt) Deinde, multò maximè ſua ſpes Optimates, *Cæſarianâ nece* lætantes, fefellit: quòd, *mox teſtamento* Cæſaris in *nomen* ac *familiam Julianam* inductus, & *Patrum* auctoritate comprobatus, *Cn. Octavius*, Julii ſororis nepos; eàdem omnia, quæ Cæſar *avunculus* tenuerat, (*exceptâ ſolâ Dictaturâ*), quin & longè plura, ſummâ Senatûs populíq; voluntate, conſecutus eſt: eáq, conſtantiſſimè *per annos Imperii*, Principatûſq; ſui, *quinquaginta ſeptem* (ζζζ) tenuit; ac, *proculcata Libertatis* quotidianîs ſpeciminibus editîs exercitavit.

Ille (nequis negare poſſet, eum arbitriô *ſuô* non *alterius* poteſtatis altioris, agere) *Conſulatũ*, annô mox illo, qui proximè *Parricidium* ſecutus eſt, quanquã *ætatis* necdum *vicennio* peractô, non citra terrorem armorum invaſit: & *Collegam* ipſe ſibi, *Quintum Pedium*, adſumpſit. Ille, Cæſaris avunculi *percuſſores*, lege latâ, de cæde poſtulatos, nominatímque *Brutos* duos Cajúmque *Caſsium*; damnandos abſentes curavit. Ille, cum *Marcis Antonio Lepidóque* pace factâ, *Triumviratûs primùm, in quinquennium* ſupremam in republicâ poteſtatem, ſic inſtituit: ut, pro *Dictaturâ* quondam *unâ* ſublatâ, *tr*

un

uno tantopere revixiſſe *Dictatura* videri poſſent; ac tot profectò *tyranni*: Quippe, qui non ſolùm inter ſe potentiam *Romanam* omnem, haud ſecus, ac privatam *Hereditatem* aliquam, partirentur; ſed inſuper ſinguli, *Syllanæ* crudelitatis *exemplô* renovatô (quod C. *Cæſaris* occiſi *manſuetudo* longè refugerat) ſuos quiſq; *proſcriberet* inimicos. Quo proinde nomine, tunc, præter *equitum Romanorum ingentem numerum*, ac *centum triginta Senatores*, Lucius quoque *Paulus*, Luc. *Cæſar*, & *Marcus Tullius Cicero*, periêre, quorum poſtremum, *Octavianus* (id enim nomen jam, *Octavii* depoſitô nomine, *Cæſar Junior* aſſumpſerat) dignitatis ſuæ potiſſimum auctorē, *Antoniani gladii* furiis eripere, laboravit quidem, ſed conatu, minimè, vel conſtanti, vel beneficiis *Ciceronis* reſpondente. Cæterùm, eidem huic, & Antonio, *Decimus Brutus* ad Aquilejam, *M. Brutus* & C. *Caſſius*, cum exercitibus ſuis, (ad Theſſaliæ *Philippos* infeliciter conſertâ pugnâ, victi) procubuerunt: tanquam *percuſſi Cæſaris* Dictatoris *Manibus* victimæ funebres immolati. Mox *iidem*, & *Marc. Æmilius Lepidus*, arrogantiâ *triumvirali*, Romanum (utì diximus) inter ſe terrarum orbem lacerātes; tamdiu ſuas ſinguli provincias exer-

citûs-

citúsq; retinuerunt; quoad, ob ignaviam *Lepidus* in ordinem redactus, *Marcus* autem *Antonius*, amore *Cleopatræ* reginæ perditus, & *ad Actium* navalî præliô profligatus; in *unius* demum *Octaviani* potentiam imperium omne *triumvirale* devolverent. Ac *Lepidus* quidem, privatæ vitæ ſordibus, alienis in terris, ad quas exul ejectus erat, extabuit. *Antonius* verô ſceleſtas ſibimet ipſi manus (ut alibi memorabam) intulit. *Idem* deniq; (Cæſar, inquã, Octavianus) Alexandriâ reverſus *Romam*; triplicîq;, de profligatis bellis, ductô triumphô, *potentiæ* jam *abſolutiſſimæ* Princeps: genus honorum ac magiſtratuum omne, demptâ *ſolâ Dictaturâ*, Regníq; *nomine* (ς), ſupra cunctos antè ſe Romani ſanguinis claros duces, adeóq; *Reges* etiam cæteri terrarum Orbis, recepit. Namq; *Conſulatus* deinceps iniit *tredecim*: quorum *poſtremô* conceptus, natúsq;, CHRISTUS eſt. Per annos *ſeptem ac triginta* Tribunitiam obtinuit poteſtatem. (ηηη) IMPERATORIS *caſtrenſe* nomen, *vicies ac ſemel*; *pacificum* autem, Perpetuum inſedit: quo vocabulô, *poteſtas & auctoritas, in Republica, ſuprema*, non autem, *res bellô* tantùm eximiè *geſtæ*, cohoneſtabantur. (θθθ) Idem, *Poteſtatem* quoque *Cenſoriam*

ſoriam gerere perrexit; ac, quoties libitum fuit, exercuit. Idem & *Pontificatum* arripuit *Maximum*: ac, ſuô de nomine *Sextilem* deinceps menſem appellari paſſus; ne *divinis* quidem honoribus coli ſe, prohibuit: auſus concedere *Pergamenis* in Aſia, *Nicomedienſibus* in Bithynia, *Narbonenſibus* in Gallia, regi Judæorum *Herodi*, prope *Libanum* montem (*111*); uti *templa* ſibi, dum in vivis adhuc eſſet, ſtatuerent. Sed id omnium longè magnificentiſſimum, &, quò neq; *Reges* quidem *Regum*, apud Perſas olim, ac Parthos, omnî majeſtate ſuâ progreſſi ſunt: quòd TRIBUNITIAM *Octavianus* POTESTATEM arripuit; &, AUGUSTI ſibi vocabulum *ſeptimo* ſuo *Conſulatu* delatum à Senatu populôq; Romanô, manibus obviis excepit: exceptúmq;, ſtudioſiſſimè retinuit, eo ſucceſſu felicitatis; ut parem, ejus exemplô, *ſucceſſores* etiam *Principes* expetentes, titulorum illorum utrumq;, cum Imperio pariter, indivulſum ſibi vellent: &, in ſe collatum, avidè (tametſi non iiſdem omnes *licentiæ laxamentis*) amplecterentur. Nec id Romani Principes, ut fieret, adeò contenderunt gratis, ac ſinè cauſsâ: quam cauſſam *Ambitio* præſertim, rationibus ſuis quàm accommodatiſſimam, reperiebat.

Quòd enim TRIBVNITIAM adamarent DIGNITATEM; non erat ea, *vetus* illa *plebejáque*, ſed *excelſioris* longè *culminis*, ac ſplendoris: qualis ne *patriciam* quidem *nobilitatem* dedeceret. Et ex illo vetere plebejóq; magiſtratu nihiloſecius retinebant, ad ſe tractum, *Jus* illud, quod SACROSANCTOS eos, *inviolabiléſque* præſtaret. Ad ſummam! Iſtud gerebant *muneris* ac *faſtigii*. *Tribunitii* genus priſci *Cæſares* quod inſuper *jus* tribueret *eis*; ut iis, quæ ſta tuerentur *à Conſulibus*, aliîſve magiſtratibus, a *Senatuſconſultis*, ſi diſplicuiſſent, *intercedere* fa eſſet. Quòd ſi verò vel unicâ voculâ ſibi per ſtricti viderentur; adeò jurè ſtomachari ſe cre debant: ut, in eos ſibi, qui ſe læſiſſent, tiam indemnatos, & indictâ cauſsâ, capita ſuppliciô liceret animadvertere: quippe, q *Dignitatem Sacroſanctam* imminuiſſent. Tribu natum itaq; Plebis *gerere* dedignabantur Prin cipes: *exercere* verò, geſtiebant.

In AUGUSTORUM autē appellation dici vix poteſt, quàm ampla *Principibus* eſſ poteſtas collata; quámq; magnifica vocis *Au guſtæ* vis: ſeu Græcè quis eam (κ κ κ), ſeu *Roma nè*, proferret. Sunt enim antiquitus *Auguſt.* quæ, *veneratione cultúq; ſuî digniſſima*, quæ *Sa ctiſſ.*

ctiſſima, quæ *ſupra conditionem captúmq; ſunt mortalem:* cujuſmodi, *templa*, ſacratæ *baſilicæ*, *cœlum*, ac *cœleſtes Indigetes*. Denique, ne plura, quę poſſemus, ſuper vocis illius & appellationis vi, diſſeramus; haud è vano, præ cæteris cognomentîs omnibus, *Auguſti* nuncupationem amplexus Cęſar *Octavianus* eſt: quòd eâ, publicè ſibi delatâ, conferri pariter *Exiſtimatio*, viſa ſit, & *Auctoritas*, tanquã *Principis, humanæ naturæ præſtantiam egreſſi*. Cum eodem præterea cognomine (ne, *ſinè vi ſuâ, Titulus grandis, ludibrium veriùs, quàm honos*, eſſet) poteſtatis cujuſdam, in ſubjectos, non modò *campum ſpatioſum* ſe, videbat, nactum eſſe; ſed prorſus *immenſum* (ut ſic dicam) *horizontem* quendam, & *Oceanum*. AUGUSTIS enim, SEMEL LEGITIME RECEPTIS, & approbatis, hâc eádem appellationis operâ dignationéque, permittebatur, *pacem conciliare; fœdera ferire; ſocietates inire populorum; Reges, & Amicos Populi Romani, vel appellare, vel appellatione dejicere; bella gentibus indicere; conſcribere, cogeréve, copias; pecuniam in ſtipendia, ceteráſque rerum neceßitudines, indicere, colligere, conflare; Cenſus agere; nobilitatem, laticlaviam, (λ λ λ), equum, dare; vel, datum adimere. Magiſtratus omnes, aut capere, ſi liberet;*

ret;aut in ſua manu, nequis eos extra voluntatem Auguſti gereret, habere. Pontificatu ſummô potiri; Sacerdotiis omnibus inaugurari: quotiesq; liberet, & quibus viſum fuiſſet, fungi. Collegiorum Pontificalium, & Auguralium, ac Sacerdotiorum; religionum item, ac cærimoniarum, & ſacrificiorum omnium, Faſtorúmq;, jus ſupremum habere. Legis inſuper inviolabilis erat: *Præter Auguſtorum nutum, non provincias quenquam, non exercitus, non cenſus, ac reditus, adminiſtrare: neque ſententias in Curia dicere cum libertate, niſi ſimulatâ. nec omnino denique judicia cauſſáſve (quãtumvis reorum, ac nocentium,) inſciis invitiſve Principibus, agi.* Quod autem formidabilius erat: *Omnium, ex æquo, patriciorum, & equeſtris ordinis, ac plebejorum hominum, vitæ pariter, ac necis poteſtatem obtinebant.* Ex quo proinde celeriter, illa ROMANÆ MONARCHIÆ FULMINA, quæ plurimos perculêre, LEGES inquam, tum *aliæ*, tum præcipuè MAJESTATIS, emanârunt; ac, magnâ multorum pernicie, viguerunt.

Caput autem omnis dignitatis *Auguſtalis*, & (ut ego reor) *Romanæ magnitudinis ſuprema pernicies*, erat hoc: Quòd, in *Auguſtorum* nomen ac dignitatem ſemel aſſumpti, Principes, *Legibus univerſis* (utì *Dio* loquitur, ac potentię præ-

vus

vus uſus monſtravit) *ſoluti*; pro ſuo, quodcunque cuiq; libitum eſſet, arbitratu decernerēt, ageréntque: quippe, nullius poteſtatis excelſioris cenſuræ, vel quæſtioni, ſubjecti (μμμ). Quam in ſententiam, æſtimationémq; ſui verticis, etiam *Tiberium Auguſtum* Salluſtius ille Criſpus, *ſecretorum* Imperii penetralibus admotus, internuntiâ matre *Tiberii* Liviâ, ſubmonuit: MEMINISSET CÆSAR, IMPERII SECRETA PREMERE: NEQUE VIM PRINCIPATUS RESOLVERE; SENATUI RERUM GESTARUM SERIEM, ET CAUSSAS, EXPONENDO. NEC ENIM IMPERANDI CONDITIONEM ESSE COMPENDIOSIOREM; QUAM, ID, QUOD IMPERANTI VISUM ESSET, AUCTORITATE, NON DISCUSSIONE, RATUM HABERI. NEC ALITER FACTORUM CONSTARE POSSE RATIONEM, QUAM, SI REDDERETUR UNI. (ννν) Qua proinde, res omnes agendi decernendíque, *ſupremâ libertate*, ſinè *legum* curâ, ſemel *Imperatoribus Auguſtis* permiſsâ; *continuâque* dein *ſucceſſione*, poſteriores etiam ad *Principes*, tramiſsâ: quid mirum eſt, & *Octavianum*, per *annos* Principatûs ſui *quinquaginta ſeptem*, egiſſe decrêſséque,

que, tam *probanda bonis*, quàm *improbanda*; *fixiſſe leges*, *ac refixiſſe*; conjuges maritis, filiáſque parentibus ſuis, & capita civibus proſcriptis, corúmq; fortunas pupillis, ad ſuas cupidines, avulſiſſe: Cùm, inter hæc tamen, nihilô minùs, in exitu ſuô *gloriosè ſibi vitæ mimum egiſſe*, videretur. (ξξξ)

Quid igitur adeò novum & inexſpectatum erat; *deteriora longè*, *deteriores pleroſque feciſſe*, *poſt Octavianum*, *Cæſares*; *in annos* propemodum *trecentos*, ab ejus exceſſu? præ quorum (in *innoxios* præſertim, & *Chriſtianos*,) immanitate, libidine, cæterâq; vitæ turpitudine, non *Titus* duntaxat, aut *Alexãder Severus*, aut *Numerianus*, Cęſares, ſed etiã *Veſpaſianus*, & *Nerva Coccejus*, & *Auguſtus* ipſe, *puri ſcelerũ*, & inſontes, imò, *Divi* quoq;, fabuloſô ſuô Cœlô digni, ſint habendi. Tegebant enim omnes illi (ſi vèrũ quęrimus) inſolentiam ſuam, ac furorem, hôc *Auguſti nominis* ſcutô: *Semideos* eſſe ſe, *Sacroſanctos*, *mortalitate majores*: &, *quorum ratio factorum*, *alia non ſit*, *quàm*, *ipſa faciendi voluntas*, *ac poteſtas*. Quæ, tot, ac tam enormium, malorum congeries, &, ad uſq; *Conſtantini Magni* tempora, *flagitiorum Auguſtalium* rabies, quaſi torrens, *Imperium* tunc inundans; viderine cuipiam adhuc poſſit

habi-

habitâſſe cum *Romæ veteris*, à *cæde Julii Cæſaris redivivâ, Libertate?* Nóñe verò potiùs, *Libertatis univerſæ ſtrages, Ruina, Sepulcrúmq;* fuiſſe? donec in ejus denique, quam DEUS, HOMO FACTUS, nobis attulit, *liberæ* conditionis poſſeſſionem publicam, *Chriſtiani* nos *Cæſares* introduxerunt. in qua vivendi ſorte, nunc quoque, *ſæculorum*, *jam ferè quatuordecim*, inconvulſam, & orbe propemodum universô defixam, habemus ſedem. Quod interim hac diſſertatione, de *Reipublicæ Romanæ*, poſt *Pharſalicam* pugnam, *ſtatu*, quærebamus; id, nimirum, habemus: Unà cum *Pompejo victo*, *proſtrata* quoq; *Populi Romani priſca Jura*, cum fugiente *Duce*, ſenſim *animam egiſſe*; cum ejus verò reſecto capite, *vivere* deſiiſſe: contentionum & *militarium*, & *tribunitiarum*, ambitioſô ſpiritu ſuffocatô.

XXXIV. Sed nos, è diverticulo, denuò redimus ad *Pompejum*. Ejus fugæ vitæq; (quoniam haud extra rem eſt, id cognoſci, nóſque memoraturos eſſe, ſuperiùs polliciti ſumus) hic fuit exitus, atq; fati ſeries; quam, qualémq; *Cæſar*, *Dio Caßius*, *Appianus*, & alii, ſed inprimis ordinatè, pérque ſingula, *Plutarchus*, tradidêre.

Cùm *Pompejo* tantum adhuc reliquiarum militarium à tergo ſupereſſet; exercitûsq; copiæ, *navales* quidem intactæ, *terreſtres* autem, etſi victæ, ſalvæ tamen adhuc, incoluméſque, tam ingentes; ut ex iis, diligenter poſtmodo per Catonem, Scipionem, Cnejúmque filium, contractîs, *tres* grandes *expeditiones* in *Africam* & *Hiſpanias* inſtruerentur: ille, præproperè nimis ſibi, rerúmq; ſummæ, diffidens, *Lariſsâ*, quò primò (velut dictum eſt) fugerat, porrò fugere pertendit, celeritate magnâ: cujus ſtudiô, ne nocturnum quidem iter intermittebat. Habebat autem in comitatu primùm, uti ſuprà memoravimus, haud plures *quatuor* ſoliis; in quorum erant numero, *Lentuli duo*, Conſulares: *Lucius* videlicet *Cornelius*, anni ſuperioris Conſul; & *Publius Spinther*, Proconſul: ac *Marc. Favonius*. Quem autem *quartum* eorum facit *Glandorpius*, ſuîs in Cæſarem notîs, apud *Montanum*; is, *Dione* Græcô teſte, non in *Theſſalia* tunc, ſed in Lesbo Mitylenis, apud *Corneliam* novercam, erat: Sextus *Pompejus*, Cnej Magni filius. Acceſſerat autem ad hos poſtea (ſed ad maris demum oram, &, *Pompejo* jam vela faciente,) rex Galatarum, *Dejotarus*; & ipſi *Pompejana*, ſicut *militia* nuper, ità tunc *calamitatis*

tatis, aſſecla. Quibus omnibus ſenſim, & *equites* ſeſe, *triginta* numerum haud excedentes, aggregârunt: quoad *Pompejum* adhuc *Theſſalia* tenebat. In ea porrò viâ, laſſitudine confectus, ac ſiti, *Pompejus*, poſteaquam ad *Peneum* amnem venit; in ripam proſtratô corpore, pronus, & inhiantibus aquæ faucibus, è flumine bibit. Indè verò conſurgens, per *Theſſalica-Tempe*, cæteris mortalium pleriſq; peramœnam, ſed ipſi *Lacrymoſam* tunc, *Vallem*; ad littus venit *Thermaici Sinûs*, qui de *maris Ægæi* curvaturâ procurrit. Jam noctis aliquantum proceſſerat: cujus reliquum *Pompejus* ſpatium, (quoniam navis grãdior apparebat nulla; lembulus autem, navigationi nocturnæ, minùs fidus, ac triginta quinq; viris parùm amplus opportunúſq; fore, videbatur); in exigua piſcatoris exegit casâ. Manè, ſimulac Aurorâ cœlum irrubuit; cùm, & hoſtem *Victorem* in tergis hæſurum ſibi, non dubitaret, & *fugienti, tutiora cuncta, quàm moram*, fore, certò ſciret: ſervulos, qui ſupervenerant, remittens, & operam poſthac *Cæſari*, non ſibi, navare jubens; cum *Favonio* (qui, ſub ejuſdem adhuc diei cœnam, *ſervilibus* eum miniſteriîs non dedignatus eſt) cúmque cæteris ingenuis, ſcapham conſcen-

dit fluviatilem: orámq; maris aliquamdiu legens, à *Peticio* deniq; quodam, Romanô, frumentariam in navim, quam is *Amphipolin* versùs agebat, recipitur. Ubi, paullò pòſt, & *Dejotarô*, pedibus ad mare properante, (ſicut dictum eſt) aſſumptô; celeriter omnes *Amphipolin*, Orientalis Macedoniæ maritimum oppidum, attigerunt. Illic porrò, noctem non plus unam, ad anchoram defixâ navî, trahens: evocatîs ad ſe, quibus oppidi nuper commiſerat adminiſtrationem, &, quorum olim uſus hoſpitiô fuerat; *viaticum* ab illis *pecuniarium*, ad vitæ neceſſaria, corrogat: ac, (ſi vera *Cæſaris* eſt, ſeu narratio, ſeu de *Pompejo* ſuſpicio, nulli, quod equidem ſciam, cęterorum memorata) proponi die poſterô, per diſſimulationem fugę longinquioris, ab iis *edictum*, jubet; quo juniores omnes ejus provinciæ, Græci Romaníque, ſacramenti dicundi cauſsâ, novos ad delectus convocentur. Quæ res, opinionem, ac ſpeciem, habuiſſet, & *Pompeji*, non procùl ab iis locis abituri; Macedoniæq;, contra Cæſarem, non ſinè præſidio dimittendæ. Mox autem & Amphipolî *Pompejus*, (ne fortè *Cæſaris*, eum inſequentis, compertiſſimâ celeritate ſuperobrueretur) diſcedens; *Lesbúmque* versùs, *Ægæ* *mari*

maris notiſſimam inſulam, feſtinatione ſummâ vela faciens: *Mitylénas*, ejuſdem inſulæ maximam, Vitruviíq; judiciô, magnificentiſſimam urbem, diebus (quod Cæſar ait) paucîs, advehitur. Eô *Pompejus* locô *Corneliam* quondam depoſuerat, uxorem; cum opibus, & *Sextô*, filio.

Porrò, *Corneliam*, ad eum uſque diem, (ex quo tēpore malè mulctatus à Pompejanis *Cæſar* ad *Dyrrhachium* fuerat) & rumores impleverant; & litteræ, nuntiíq; rerum geſtarum inſolentes, arrexerant, in ſpem *Victoriæ*, tandem aliquando per omnia conſummatæ. Mulieri momenta ſingula (donec lux allaberetur illa, quæ, deletum eſſe *Cæſarem*, adportaret) *annus* erant. In iíſque, tum cogitationibus, tum fortaſſe verbîs etiam, defixam tenebat mentem, ac linguam: cùm à Pompejo, navî quidem jam egreſsô, ſed, *calamitoſorum more, frequentiam vitante*, nuntius in oppidum miſſus, Pompeji, ſinè controverſia, libertus; *Corneliæ* rogat alloquium. Admiſſus ſtatim à muliere (cui cor gaudiô geſtiebat, ad auditum nuntii Pompejani nomen) libertus, lacrymîs infuſus, omnîque ſalutatione prętermiſsâ; PERIIMUS, exclamat, O, PATRONA! NULLI SUMUS!

MUS! *Ad quartum decimum Calendas Septembres, commiſſum prælium eſt: victus, Pompejus tuus: victor, Cæſar: conciſa captáque noſtrorum pluſquam triginta quinq; millia. tenet hoſtis caſtra, prædam, terras, maria, claſſem. Pompejus noſter, mille modò navium dominus, nunc unicâ ſolâ Mitylenês portū intravit; & hâc quidem, alienâ. Stat is in littore, téque forâs evocat.* Hæc (ut *Plutarchus* auctor eſt), *ceu potiſsima malorum, ac pleraque lacrymis magìs, quàm vocibus, effatô* libertô; jam pridem impos mentis, & exanimi propior, humi *Cornelia* jacebat: ab exſpectatione ſummæ lætitiæ, ſupremum in mœrorem, animíq; deliquium, præcipitata. Diúq; ſingultantis animæ tractus ille, luctáque, tenuit; in ſupremum deniq; ſpiritum eruptura: niſi, fomentis idoneis adjutam refectámque, vix tandem, quæ circùm eam ab obſequiis illius erant, erexiſſent. Tanti verò, támq; multiplicis mali, de *Pompejo* ſibi nunciati, ne tum quidem plenam in ſe fidem *Cornelia*, præ mentis ſtupore, reperiebat: donec eam, ad littus deductæ, *Pompeji* ſui miſerabilis aſpectus, UNICÆ NAVIS SOLITUDO, circáque virum TRIUMPHALEM comitum paucitas, implevit, & auctoravit. Ibi mœſtæ conſalutationes, lamenta;

ta, lacrymarum fluxus, & alternus calamitatis
ſenſus; vocem, in ſolatia validam, ægrè reperi-
ens. Verùm, *proſtratam* jam *Fortunam*, non *de-*
plorandi tunc, ſed *erigendi*, tempus erat: im-
minente præſertim, in ſingulos quoſque tem-
porum articulos, *Victore:* cujus *Aquilarum* vo-
latum nemo *deſes* effugiebat. Hujus igitur
promptitudinem cùm compertam *Pompejus*,
nimiô plus, haberet; ab ipſo monita *Cornelia*,
familiam, ac facultates, ex oppido, præcipit, in
onerariam deportari. Quæ dum fiunt; *Mity-*
lenea civitas, & *optimates*, adventu tanti viri, ca-
súq;, cognitô, certatim in littus effuſi, *Pompe-*
jum, reverentiſſimè nihiloſecius conſalutatum,
ſuum in oppidum ſuppliciter invitant: omne
genus officiorum, & ſua quiſque tecta fortu-
náſque, pro ſingulorum omniúmq; facultati-
bus, offerentes. Horum liberalitati *Pompejus*
actis humaniſſimè gratiîs; eâ tamen impræſen-
tiarum uti, recuſavit: veritus, urbem, in ſe tam
propenſam, è ſuî receptione, *Cæſari* reddere
ſuſpectam, & inviſam. Quin & inſuper horta-
tus eſt Mitylenæos: utì Victoris fidei boni-
tatíque poſthac, omiſsô ſe, totos ſeſe permit-
terent. Inter cæteros porrò, qui *Pompeji* vi-
dendi cauſsâ prodierant, cùm in *Cratippum*
quo-

quoque, temporum illorum ſapientiæ profeſſorem inclytum, incidiſſet; eúmq; diſſertatiunculîs, *Providentiam divinam* inceſſentibus, aggredi cœpiſſet, interrogando, *Si Deorum conſiliîs atque curâ mundus regeretur; Cur ergò noviſsimè ſua, tam bona, cauſſa ſuccubuiſſet? adverſariorum verò deterior, triumpharet?* excepta *Cratippi*, Philoſophô digna, vox eſt; *Vitiîs Reipublicæ fuiſſe factum, ut Roma, niſi tandem Ab Vno regeretur, ſtare non poſſet.* Cúmque, qui circumſtabant, urgerent interrogando; *Cur igitur Vnum illum, ſi ſapienter DI proſpicerent, Cæſarem potiùs eſſe, quàm Pompejum, voluiſſent?* in eos quæſtionem retorquens Cratippus; *Et cuinam noſtrûm* (inquit), *veſtrûmque, compertum eſt, Vtē duorum illorum, victrice Fortunâ meliùs fueri uſurus? ac, num Pompejus hic noſter locum Summum Cæſare laudabiliùs impleturus? Cujus, mi herculès, eventûs præſcientia, penès ſolos* (adjecit) *immortales; penès nos, nihil minus, eſt.* Et inter hæc, ne *Pompejo*, ſe pluribus fortaſſis impugnaturo, veridicîs reſponsîs moleſtiam aggravaret, obticuit *Cratippus*; & abivit. *Pompeji* autem, navibus quidem ad abitum comparatîs, & expeditîs, ſed ibidem adhuc *biduum* (ut Cæſar ait), tempeſtatibus retentus; ſecundi

rei

rem auram exſpectabat: ac, die deniq; tertiô, relictâ *Lesbo,* ſolvit è portu. Navigabat autem triremibus quatuor; in quas *Cornelia* ſuas, maritíq;, res impoſuerat: & in quarum prętoriam ipſa, cum utroq; Pompejô, cúmq; primis amicorum, intrârat. Nec tamen cum iiſdem omnibus fugę comitibus, quibuſcum principiò mare fuerat ingreſſus, *Pompejus* pater navigare ſemper perſeveravit. *Lentuli* namq;, quos dixeram, *duo,* Rhodum petierant. ſed, ab *Rhodiis,* tam inſulæ portu, quàm oppidô, prohibiti; juſſíque, (miſsîs ad eos miniſtrîs publicîs) locîs illîs excedere: multùm licèt inviti, tamen exceſſerunt; aliósq;, fortunis ſuis æquiores, ut ſperabant, portus quæſiverunt.

Pompejus autem, inter hæc, *Pamphyliæ* legens littora, primùm omnium ad *Attaléam* naves advertit, regionis ejus urbem maritimam; quæ, cis amnis *Catarrhactis* oſtium, exadversùm objacet inſulæ *Crabúſæ.* Dum eſt autem *Attaléæ,* ſuî ſuorúmq; reficiendorum cauſſâ; triremes ad eum aliquot, &, è fuga terreſtrî maritimâq; denuò collecti, complures militum, cum primoribus *Pompejanarum* partium haud paucîs, convenerunt. Erántq; jam cum eo *Senatoriæ* dignitatis, ordiníſque, *ſexaginta.* Cum his, amico-

micorúmq; cæterâ manu, *Ciliciam* è proximò *Pompejus* petit. ubi tamen, moram trahere, ſuæ ſecuritatis eſſe, non cenſet: *Lentulorum* præſertim (ut ego ſuſpicor) *repulsâ*, quam ab *Rhodiis* per eos dies tulerant, ac proinde ſimilis quoq; *Cilicum* contumaciæ metu, deterritus. Nam, ad claſſem ejus celeriter revertiſſe, *Lentulorum* alterutrum ſaltem, id eſt argumento: quòd, *Lucium* interfuiſſe concilio, multúmq; diſſuadendo valuiſſe, *Lucanus* refert. Sub illud ipſum enim tempus, dum concilium *Pompejus* amicorum habet, ulterioris in Orientem, Meridiémve versùs, profectionis; erant in optione, Syria, Parthorum gens, Ptolemæus Ægypti, Jubáq; Numidiæ, reges. *Syria* placebat, propter Antiochiam, populoſam ac firmam urbem: *Parthia*, propter vires, & potentiam: *Ptolemæus*, ob patrem ejus, operâ quondam copiîsq; *Pompeji* reſtitutum: *Juba* demum, ob partium inſigne ſtudium, & in *Cæſarem* odium. Ac *Juba* quidem, initiò ſtatim, infirmior pleriſque videbatur; quàm, ut ſuîs opibus *tantam* Pompeji *ruinam* poſſet erigere. *Parthorum* autẽ, & *rex*, & *gens*, diſplicebant conſideratioribus: quòd ingens adhuc apud eos *Craſſorum*, &, ob eos, univerſi Romani nominis, gliſceret odium, & ex-

& exſecratio: quódque præterea, libidinoſam apud barbariem, nobilitas, ætas, & forma, *Corneliæ*, non eſſent extra periculum injuriæ futuræ. *Ptolemæum*, & *Syriam*, pars concilii potior, ac major, probabant: *hanc* quidem, priùs, ut *propinquiorem*; dein, ſi fortè falleret hæc, *illam* certè, tanquam reſiduæ claſſis ſupremum portum: nec utiq; receptum negaturam. Cùm hęc igitur omnium ſediſſet animis optatíſque ſententia; maximè verò, præq; cæteris, *Pompeji* voto, quippe, qui *Corneliæ* ſuæ ne conſpectum quidem *Parthis*, ſinè morſu ſuſpicionum, gratificaturus eſſet: diſceditur *Attaléà*. vela fiunt in *Cyprum*; quæ prudentiùs utique data retrò, Corcyram versùs, fuiſſent: vbi claſſem *Pompeji* maximam, & omnium ſuorum ulnas obvias, neq; ſtatim *Cæſarem*, (ſi vel paullò propiùs *Africam* renavigâſſet), inſecutorem, habuiſſet. Nunc, è *Cypro* nihil, niſi rumores, ſibi triſtes; & feſtinationem ad *Ægyptios*, longè pernicioſiſſimam, reportavit. Cùm enim, *Cæſaris* in Orientem iter, *Pompejique* victi ſpes ac fortunas afflictas, fama, per *Syriæ* civitates univerſas, jam longè latéq; diſtuliſſet: in officio viri calamitoſi (quod, etiam felici quondam, animìs invitìs pręſtiterant) gens & urbs manebat nulla:

cùm in earum mentibus,ac recordatione, *Metelli Scipionis*, quem ſocerum eſſe Pompeji ſcirent, exactiones pecuniarum noviſſimæ, multùm intolerabiles, etiamnum viverent. Ferebatur ergo, totâ paſſim *Cyprô*, multorúmque nuntiîs ac litterîs confirmabatur; *Antiochēſium*, ac civium quoq; Romanorum, illic negotiantium,unâ mente manúq;,captam eſſe jam urbis *arcem:* & eandem, ad excludendum Pompejum,armatorum inſeſſam præſidiô,teneri. Nec vanus is rumor erat. Id enim *Antiocheni*, cum conventu negotiatorū Italici generis,adversù Pompejum revera fecerant. Iidem præterea, tali tantôq; *Ducis* ſummi deſpectu, velutíq; proſcriptionis ſpecie, nondum contenti; nuntio inſuper ad oppida,locáq; cætera finitima, circummiſerant: per quos, iis omnibus, qui de numero *Pompejanorum* illuc è prælio perfugiſſent, *Antiochenorum* verbîs & auctoritate de nuntiaretur; ut ab aditu civitatis ſuæ, capiti propoſitô ſupremô periculô, ſibi caverent. Quibus talibus, aliîsq; generis ejuſdem pluribus,*Syrorum* motibus, ac minîs, certò compertîs: Pompejus, jam nihil illi confidendum eſſe provinciæ, meritò ſecum ſtatuens, aſſumptâ quantam à *Cypriis* pro fortunâ præſente coge-

re po

re poterat,*mutui* nomine, pecuniâ; nec non *æris*, in uſus bellicos, grandî mole, militúmque collectitiorum *duobus millibus* unà ductis: è *Cypro*, petere cœpit *Ægyptum*. Et ipſe quidem, cum uxore, filiô, familiariſſimiſque, *triremi* vehebatur *Seleuciensi*. Ponè verò, comitiſque, ſequebantur eum naves, tum *longæ*, tum *onerariæ*: quas *Pompejus* armatorum illâ, de qua dixi, multitudine complêrat. *Ægypti* verò petendæ conſilium, *Pompejus*, ac rationem, quam & ſuperiùs ſubindicavimus, eam habebat. Is, qui regnum tunc obtinebat, *Ptolemæus Dionyſius*, Junior, tredecim haud ampliùs annorum adoleſcentulus; filius erat *Ptolemæi Dionyſii*, cognomentô *Majoris*: quem eundem & *Auléten Ægyptii* ſui nuncupârant. Eum (velut in *Ruina Ptolemæorum* diffuſiùs eſt expoſitum) ſui tumultuantes, regnô pepulerant. At eundem, exilia ſua terrâ mariq; diu ſatis circumferentem, auctoritate ſtudiôq; *Cn. Pompeji*, Gabinius, parte copiarum ejus adjutus, in regnum demum, & *Alexādriam*, reduxerat. Hôc igitur tam inſignî *meritô*, quo regem *Ægyptium*, patrem, in calamitate ſibi *Pompejus* devinxerat, obſtrictus ſinè controverſia *regulus* item *filius*; videbatur, ſic officii rationibus exigentibus, debere patris

 ſui

ſui reſtitutori, vicem alternam rependere. cùm is præſertim, & aliîs jam ſignîs indicâſſe cenſeretur *agnitionem* Pompejanorum, in domum regiam, meritorum: quando proximè *Pompejo*, claſſis ejus corroborandæ cauſsâ, *naves* ad Epirum *quinquaginta*, non imprompte, ſubmiſiſſet. Quem proinde, ne ſupremô quidem illo tempore, rebus ſuis, quantò magìs tunc afflictis, tantò miſericordiâ dignioribus, defuturum eſſe, *Pompejus* confidebat. Nec imprudens ea videri fiducia debuerat; *Si Beneficia, collata regibus, ad ſucceſſorum quoque memoriam ſemper, ejuſdemque conſtantiam, tranſirent: ac, ſicuti laudem vivorum, ſic &, à mortuorum poſteris immortalitatem, haberent.*

Pompejum porrò, memoratas ob cauſſas, *Ægypto* remîs ac velîs inhiantem, *perveniſſe Peluſium*, Cæſar ſcribit. cui *Plutarchus* etiam, ac *Dio Caſsius*, aſſentiuntur. neq; negat, in Pharſalia ſuâ, *Lucanus*. Solus propemodum *Appianus*, Peluſii mentione prætermiſsâ, narrat: *Veluti genio quodam dirigente, ferentèque, navim* illi littorum tractui, qui circa *Caſium montem* eſt, *ſtatim* adfluxiſſe. Quæ nos tamen, nullâ mox difficultate, vel ex ipſo *Lucano* (verſui ſuo fidem interruptam miſcente) conciliabimus: ſi priùs, verbîs

verbis pauciſſimis, etiam *anni tempus*, quo geſta ſunt hæc, indicaverimus.

Erat autem *Autumnale* tunc *Æquinoctium*, & *Octobris menſis* (annô videlicet necdum, *operâ C. Cæſaris*, ad leges ſuas reductô) principium. (ooo) Hoc *itaque tempore*, cùm, breviores jam dies, æſtivæ longitudinis exceſſum amiſiſſent: *Pompejus*, è *Cypro*, Palæſtinam Phœnicii maris oram legens, *Caſium montem*, nocturnô (quod *Lucanus* ait,) lumine prætervectus, non tenuit: ſed *pugnaci* (velut addit) *velô*, nimirùmque, venti reflantis violentiâ, *vix infimum tetigit Ægypti littus*, eâ parte, quâ *Nili* ſeptimum *Oſtium*, Oriẽtem versùs, in *Ægyptiacum* ſe *pelagus* effundit; & adeò, quo loco *Peluſium* oppidum erat. Id autẽ, à *monte Caſio*, Sirbónidis paludis interpoſitâ reſtagnatione, non parùm, ut & *Pentaſchœno, Gerrho, cæteriſq; locis maritimis*, diſtabat. Poſteaquam igitur, *Caſium*, quem dixi, *montem* Pompejus (ante noctis etiamnum finem eum præternavigans) *Eurónotô* ventô repugnante, prehendere nequicquã conatus eſſet: appulſu deſperatô, *Peluſium* petit, huc, illô *noctis* exiguô, quod ſupererat, ſpatiô, magnâq; temporis antemeridiani parte, curſum intendit. Ac *Peluſium* quidem *Pompejus* tandem acceſſit. Appul-

ſuro verò, narrabatur; *Ptolemæum* Regulum, caſtra tunc adversùs *Cleopatram* ſororem (ut alibi dictum eſt) habentem, ad eum ipſum, unde claſſis veniebat, *Caſium montem*, cum amicis, & exercitu, ſeſe tenere. Quod ut didicit Pompejus; ad eundem locum illum retortô navigationis curſu (ϖ ϖ ϖ), juvantibus etiam ejus vota ventis, in *Caſii*, caſtrorúmq; regis, conſpectũ, *poſt meridiem*, adhuc ſuffecturô diei lumine, pervénit: ut adeò lucis *Æquinoctialis*, à fine ferè noctis, ad tertiam circiter pomeridianam horam, navigando, renavigandóque, ſpatium juſtum conficeretur. In hunc ergo modum evénit; ut *Pompejus*, nullâ ſingulari Scriptorum diſcordiâ, *Peluſium* æquè, *Caſiúmque montem*, (quantum erat in ipſo) dici poſſit, ac debeat, *acceſſiſſe*.

Pompejus porrò, conſpectô, qui *Caſium* inter montem, ac littus, ſtabat, exercitu; curſum ſtitit: rectéque (quamvis id Peluſini tacuiſſent) conjectans, illic & *Regem* eſſe; ſcaphâ celeriter expeditâ, mittit ad eum, è ſuorum numero, qui, *pro veteris, quod ſibi cum ejus patre quondam interceſſiſſet, hoſpitii, familiaritatiſque, memoriâ, rebus ſuis præſidium, & , ut Alexandriâ recipiatur,* orent. Iidem autem legati, cum *militibus* ſtatim

tim, qui tum, è *Gabinianis* copiarum *reliquiis*, circùm *regem* erant, iiſdem de rebus agunt: *ut, quoniam eorum pars magna, Romanus & ipſi miles, Pompeji quondam ſub ſignis ac ſacramentô fuiſſent, ab eodémque poſtea Gabinio permiſsi; cauſſam ejus, (cæteroqui tam æquam, at à Pharſalica tunc Fortunâ deſtitutam,) ne desererent: ſed illius, & ipſi, partes amplecterentur.*

Non fefellerat ea militum ſollicitatio, (ſicut *Ægyptii* poſtea fingebant, & credi volebant) *regios*. qui propterea, tametſi *diei* non adeò multum ſupereſſet (ϱ ϱ ϱ), *rege* tamen jubente, præſentéque, conſilium, quidnam opus factô videatur, agitant. Conſultabant autem ii ferè, qui tum erant in *procuratione regni*. Quorum cùm alius aliud, ut fieret, ſuaderent; & inter primos, ut *ætate*, ſic *modeſtiâ* cōſiliôq;, prętans, *Achóreus*, recipiendum cenſeret *Pompejum*, *ceu, de patre Ptolemæi, regnóq; præclarè meritum*: calliditate tamen, & *utilitatis ſordido ſtudio, quo ſemper Virtus honeſtáſq; proculcantur*, potētiores alii; *ſimplice repulsâ, prohibendum ingreſſu regni Pompejum eſſe*, contendebant: ne, *regis* facilitate receptô Victô, Victor, armîſque valentior, *Cæſar*, exaſperaretur. At, ab utriſque diverſam inſiſtentes ſententiæ viam, *Pothinus* ſpado, *Theodotúſque*

túſque quidam, ſive *Chius*, (ut aliqui tradunt) ſive *Samius*, ſophiſtes, qui pueri regis eloquentiam magiſteriô venalî formabat; artis (ut *Plutarchus* ait) oſtentandæ cauſsâ, tollendum è medio profugum, ac ſupplicem, cenſebant. Horum argumenta, rationéſque tam infamis conſilii, ſcriptîs ſuîs prodiderunt, *Theódoti* quidem, Plutarchus; *Pothini* verò, Marcus Annæus Lucanus, antiquior Plutarchô. quorum tamen, unum tandem idémq; rerum punctum, ſumma *Suaſoriæ* reſpiciebat: *Exitium* nempe *victi*, gratiámq; *victoris*. Proponebant hi primùm Ptolemæo; *Receptô Pompejo, veterum ejus militum mobilitatem; & ab Rege, mox ad exulem tranſeundi, fluxam mercenariámq; fidem*. Ex hoc deinde, *periculum demonſtrant: ne Pompejus, ſupplex tunc quidem, hoſpitiſque demiſſum habitum præ ſe ferens, (utpote, quem ei rerum ſuarum ſuprema neceſſitas circumpoſuiſſet) paullatim poſt hæc, ut vir, imperiis aſſuetus, rege legitimo detruſo, regnum, & Ægypti jus ſupremum, ipſe corripiat: uniúsq; Cæſari pariter, ac* Ptolemæo, *communis exoriatur hoſtis*. Puero præterea, formidinum facili, ponunt in cõſpectu, *C. Cæſaris vim; &, ex hoſte (quamvis arma nunquã fortaſſe reſumpturo, ſed contra Victoris tamen placitum recepto ſubductóque,) certiſſimam, ac vin-*

ac vindicare validam, offenſionem. Vnius autem, à DIs ſimùl hominibúſque deſtituti, Ducis capite ſublato; retentum iri regem, regnum, exercitum, ac Cæſaris Victoris gratiam: quippe, cujus commodis, in necando victo, ſerviatur. Vnius è mali ſpecie, multorum eſſe, veriſſimorúmq; bonorum compendium emerſurum. Hæc tum illi diſſerebant. In eam itur ergo ſententiam. Mittitur ad *Pompejum*, de regis & *Pothini* ſententia, ſicarius, cum miniſtris quatuor, & *Salvio*, Centurione quondam Pompejanô, *Luciôque Septimio*, tribunô; qui bellô piraticô provectus ad ordinem à *Pompejo* fuerat. Percuſſorum autem potiſſimus eſſe juſſus erat *Achillas*: regius tunc *præfectus*; poſtea, ductor exercitûs. Omne porrò littus, ſubtus *Peluſium*, ad *Caſium* uſque montem, & ulteriùs, *armatorum* multitudine completur: inſupérq; *navibus* etiam, claſſiariorum copiâ refertis (per cauſſam, decentiùs excipiendi *Pompeji*, revera tamen, *effugii præcludendi* gratiâ,) prævelatur. Venit in ſcapha piſcatoria, *contra decus & faciem negotii regalis*, Achillas; *Pompejum* versùs contentis remîs. Suſpecta res hæc, è *vilitate navigii*, pleriſque, qui cum *Pompejo* ſtabant in navi prætoriâ; *Corneliam* etiam, uxorem, ſollicitam habet: amicorúmq; præcipuos mens ta-

cens impellit; ut auctores *Pompejo* ſint: *Ne Regi ſeſe, neu' regioni, comperta mobilitatis, Ægypto, néve telis-fulgenti littori, committat*. Inter quæ, propior jam cum *Achilla* factus, *Septimius*, eôq; loci ſpatiô conſtitutus, ex quo percipi vox ejus colloquiúmq; poſſet; Pompejum, Imperatoris additô vocabulô, Latinè ſalutat. Græcîs autem verbîs Achillas Septimii ſermonem excipiens; *Rex*, inquit, *ſalvum adveniſſe te, Magne, gaudet; &, ad ſe, rogat, accedere ne graveris, hôc lembô: de cujus exilitate purgatum ſe tibi vult, eo nomine; quòd, circùm hæc littora, vadoſum paſſim arenîs, latentibúſque ſaxîs inſidioſum mare, grandioris apparatûs navium ſit impatiens. In minorem hanc igitur, à qua ſidendi periculum abeſt, aude deſcendere; regíſque, te jam dudum opperientis, in alloquium feſtina.*

Legati regii, tam liberaliter invitantis, oratio, *Pompejum*, cæteroquin animô fluctuare jam incipientem, propemodum exonerârat curîs iis, ac ſuſpicionibus; quas *uxor* ei, familiaréſque, ſuſcitârant. Ac præterea *Septimii*, cum *Achilla* conſpecti, faciléq; ſtatim agniti, blandum, &, velut ex obſequio vetere repetitum, alloquium, tranſitûs ei fiduciam movit, & inflammavit. In *cymbam* igitur, è *quadriremi* ſuâ, deſcenſurus

ſurus *Pompejus*; ſuorum pauciſſimos, hoc eſt, *quatuor ſolos*, admiſit. quorum in numero, nec *Cornelia* fuit *uxor*, quantumvis id maximîs precibus, ac multas inter lacrymas, ambiens; neque *Sextus*, filius: ſed, præter *centuriones* duos, *Philippus* libertus, & *Scynes* quidam. Priùs tamen, quàm in naviculam ſeſe demitteret, flexâ retrorſum cervice, lamentantis uxoris auribus inſuſurrâſſe verba, neſcio quæ, ferebatur: tanquam *poſtremum ei vale dicens*. Illíq; deinde, *filióque*, digreſſu ſuô mœſtis, & adhuc eum retinere pugnantibus; *Hactenus* (ait) *ſatis pietati factum à vobis: nunc, & à me, permittite, dignitati fieri meæ. Formidinis confeſſionem, tam, fas eſt, à Pompejo, victore gentium omniū, abeſſe; quàm, à vobis, vitæ meæ neglectum; vel ab Ægypti Rege, (mihi ſe, ſuúmque regnum, debente) perfidiam. Vtcunque tamen mea ſe mox habitura ſors eſt: in manu meà jam non eſt illius arbitriū; Erit in veſtrâ, de conſilio meo ferre ſententiam: ut, ſeu felicem me fore, didiceritis; veſtram pro me formidinem poſtea rideatis: ſeu calamitoſum; immodicam in me fiduciam mei damnetis. quæ tanta tamen nondum eſt; quin, & in navi, terreſtria pericula præſtôler: &, in plano terræ, naufragia. Nam*, QUISQUIS IGNOTIS SE COMMISIT, SYLVAS CO-

COGITET, AC LATRONES: QUI VERO TYRANNO; SERVUM SE FORE, SCIAT: TAMETSI LIBER ADVENERIT. (σσσ)

Inter hæc *Pompejus* verba, *poſtremùm ſuos videns*, & *à ſuis poſtremùm videndus*, deſcendit in ſcapham; ab *Achilla*, manum porrigente, ſuſceptus: ac mox navigat. Cùm autem continuò ſilentium in cymbâ mirandum, ac moroſum, inter omnes regios exortum eſſet; & nec *Achillas* eum alloquiō porrò, nec ipſe quidem *Septimius*, ſciſcitantem quiddam, ullo reſponſo, dignarentur: contractô *Pompejus* in mœſtitiam ſolitudinémq; vultu, ſedere pergit; ac, prolatam è ſinu veſtis, Oratiunculam Græcã (quam ipſe præmeditatus, alloquendo Ptolemæo regi, conſcripſerat) taciturnus ſecum relegere. Cùm verò, jam littori *Caſiotico* vicinus, quàm plurimos è regiis miniſtris, ac ſatellitibus, tanquam in ejus obſequium & gratulationes effuſos, obviàm ruere conſpiceret; honoris mutui cauſsâ *Pompejus* è navicula, manu *Philippi* liberti prehensâ, feſtinat aſſurgere: ſed, inter ſurgendum, à *Septimio* tribuno, tergum ejus invadente, ferrô tranſverberatur. Continuóq;, coortîs in eum *Achillâ* quoque *Salvióque*, cum cæte-

cæteris regiis, ſuorum verò nemine defendente, multis undiq; gladiorum ictibus impetitus, confoditur. Inter quæ tot *Pompejus* vulnera (*Corneliâ*, cæteriſq;, tam atrox ad ſpectaculum, eminus quidem, ſed ſic, ut exaudiri poſſent, conclamantibus) nihil ipſe: niſi, quòd, utrâque manu collectâ ſupernè togâ, primos ſtatim ad ictus *caput* obvolverit; &, nec *dicto* quopiam, neque *facto*, percutientibus adverſatus, unicô vix (ттт) editô *ſuſpiriô*, gemitúve, conficiendum ſeſe præbuerit. Caput ejus, à Septimio mox reſectum, verutóque ſuffixum, regi munus deſtinatur. Et hæc quidem, in eum, quem dixi, modum, circa Pompejum agebantur: cùm, inter hæc, *Cornelia*, *Sextúſque*, Pompeji filius, in illa, quam alibi memoravi, *triremi Seleucienſi*, procùl adhuc in ſalo rerum exitum opperientes; inter lamenta, lacrymas, ac perfidię regiæ clamoſas exſecrationes, aliò ſe confeſtim auferrent. Nam, cæteram quidem claſſem Pompejanam univerſam, quæ *Seleucienſem triremem*, honoris ac præſidii cauſsâ, comitata fuerat, ad uſque montis littoríſq; *Caſii* viciniam; *Oroſius* (υυυ) auctor eſt, immiſſu regiæ claſſis, (quæ, Peluſiaco Caſióq; littori prætenta tunc, quaſi per pompæ decus, excubabat) circum-

ven-

ventam, captam, ac direptam fuiſſe. Tradit idem præterea; non hactenus *Ægyptiorum* ſtetiſſe feritatem: utpote, qui claſſiarios quoque, militésq; cunctos (*plures* autem *duobus millibus* fuerant), & quotquot in navibus alii quoque reperti fuiſſent, cum *Pompejo-Bithynico* crudeliſſimè trucidârint. His autem, ſic interfectis, in Commentario Cæſar *Lucium* quoq; *Lentulum* adjicit: quem captum, & in catenas conjectum, *regulus Ægyptius* in cuſtodia necandum carnifici dedit: anni ſuperioris *Conſulem*; præſentis autem (ô, fatorum rotam!) *mortiinum*. Ac de *Lentulo* quidem (ut inferiùs dicam) occisô, nullam res controverſiam habet. De *Claſſe* verò *Plutarchus*, Oroſiô longè vetuſtior, ævôq; Pompeji vicinior, ſcriptum reliquit; Eos, qui tum, cùm is interficeretur, in triremibus fuerint, ejulatu, quem in littore quoq; ſtantes perceperint, ſublatô, ruptîs anchorarum retinaculîs, celeritate ſe tantâ ſubduxiſſe; quantam (utpote, ventô quoq; propulſam, adjutámq;) ne quidem ſi voluiſſent, aſſequi regii potuiſſent.

At Sextus quidē, naviganti novercæ comes ad Cnejum ſe tamen denique, fratrem ſuum recepit: in *Africam* eum ſecutus (ΦΦΦ); *Hiſpanicis*;

nicisq; poſtea bellîs, ac fatîs, conflictatus. *Cornelia* verò, *pulcritudinis infelicis, ſempérque tantummodo faſtigiis, citò-caſuris, nuptura mulier*; Romam tandem, & in *Albanum* ſuũ, viduámq; vitæ conditionem, bonâ *Cæſaris* veniâ, redivit: in omnem deinceps ætatem reſiduam, maritorum quidem utrumq;, ceu *duces magnos*, ſed inprimis poſteriorem, *Ducum-ducem*, triſtiſſimô luctu proſecuta. Dolebat, & querebatur; TANTUM FATIS MALIS, IN OPTIMÆ CAUSSÆ SIGNIFERUM, LICUISSE.

XXXV. Verùm, illa quidem, ut *inſontem, nihilque tale promeritum*, deplorabat, *Pompejum*; DIs, & *fortunæ Cæſaris*, cui DI faviſſent, invidiam, *Idololatrarum* more, faciens. Sed ſanè, ſi quis, rebus altiùs expenſis, universô de negotio differere velit; *æquiſſimus omnis iniqui recti*q; *ponderator, ac judex, Deus*, invenerat in *Pompejo*; quæ, per omnem ejus vitæ curſum placidè diſſimulata, *ſeris* tandem, *at meritiſſimis*, & in *unum pæne menſem diémque* congeſtis (χχχ), *pœnis*, vindicaret. TAM enim ILLI VIRO, SUA VITÆ MORUMQUE VITIA FUERE, QUÆ MAGNI CLARITUDINEM IMMINUERENT, ET OBSCURARENT; QUAM

QUAM VIRTUTES, AC POPULARIS EXISTIMATIONIS ORNAMENTA. Quod mearum quidem partium eſt; Non fraudabo ſuîs *Pompejum*, (ſiquæ veræ fuerunt in eo) *virtutum* laudibus. ſed, inter hæc, neque *nevîs* eum ſuîs, in confeſſo poſitîs, eluam, aut abſolvam. Ac primò quidem, *adoleſcenti juvenique* libenter concedo, *publicum*, in eum, ordinum omnium *amorem*, qui tantus fuit; ut cum odio, quo ſummo populus Romanus *patrem* ejus, *Cn. Pompejum Strabonem*, proſecutus erat, certaret. *Illum* enim, virum quidem bellô clariſſimum, ſed cruentum, & inexplebilis avaritiæ ſordibus contaminatum, & *Rutilius* exul (ut alio ſuperiùs locô meminimus) in hiſtoria, quā digeſſit, Romanâ, *Peſſimum* fuiſſe, ſcripſit, *Hominem*: & eundem alii quoque, Rutilii tempore viventes, adeò deteſtati ſunt omnes; ut ipſius, *fulmine* demum exanimati, *cadaver*, cùm efferretur, ſandápilâ populus detraheret: ac, priuſquam cremaretur, contumelioſiſſimè tractaret. *Iſtum* autem (Strabonis, inquam, filium, *Cnejum*) nemo non in manibus ferebat, & oculîs; haud idcirco tantùm, quòd amabilis aſpectu, blandúſque; quòd in oculis, ac fronte, majeſtatis interim aliquid gerens: ſed etiam, quòd,

quòd, indole venerandâ, regiâque magnanimitate, præditus, naturâ nihiloſecius modeſtus eſſet, & comis, ac liberalis; facundiâ, ſupra militarem hominem; in armis exercitatiſſimus; frugalitate victûs mirificâ: quíq; virtutes illas inſigniter impleret omnes, quas in eum poſtea *Marcus Tullius*, Orator, *Suaſoriâ Maniliæ legis*, è veritate magìs, quàm aſſentatione, congeſſit. Quibus addo præterea (rē, moribus præſertim temporum illorum, cumprimis arduam exiſtimatam); temperantiæ *Pompejanæ* gloriam non obfuſcatam ab ullo famæ dedecore fœdiore, preterquā *Floræ* cujuſdam, proſtitutæ mulieris, *contubernio*: cui ſic *Pompejus*, ante primæ conjugis notitiam, hæſit; ut illa poſthæc, jam dudum *anus* effecta, tanquam in gloria profeſſionis ſuæ palmariâ, Pompejanam poneret conſuetudinem: ac ſæpenumero, jactabundîs narratiũculîs, illius erga ſe ſtudia juvenilia proſequeretur. De cætero, compertum nobis eſt; Tantopere *Cæſaris* eum (Hoſtis ac Victoris ſui) *pudicitiam* anteceſſiſſe; quantìs poſt ſe *Cæſar* intervallîs, *clementiæ* manſuetudiníſq; laude, tam *Pompejum*, quàm omnes omnium gentium principes, ac Victores, reliquit. Namque, poſt *Floræ* conſuetudinem, tandem à ſe procùl ab-

 actam,

actam, animúmque legitimis applicitum nuptiis: præter *uxores*, quarum (ut alibi quoque meminimus), aliam ex alia, *quinque* duxit, *Antiſtiam*, *Æmiliam*, *Mutiam*, *Juliam*, & *Corneliam* (ψψψ); uſqueadeò *mulieris* alienæ *nullius*, deprehenſus eſt, admiſiſſe notitiam: ut eum, illô ferè ſolô nomine, *Julia*, *Cæſaris filia*, quarta conjux, præcipuâ, per univerſum conjugii tempus, charitate dilexerit; quòd ſciret, eum ab aliis fœminis univerſis ſibi temperare. Certè quidem, *Demetrii*, liberti ſui, *conjugem*, tam eminente præditam inter *Romanas* fulgore pulchritudinis, ut in amorem ſui (Plutarchi teſtimoniô) neminem non facillimè poſſet attrahere; *Pompejus*, præter indolis ſuæ morem, *inhumaniùs ſemper*, & affatus eſt, & tractavit: ut illius, vel *adamandæ* procul cauſſas amoveret; vel, tanquam *adamatæ*, ſuſpicionem aliis abſcinderet. Cùm præterea *Mithridatis*, Pontici regis, *filias*, excellente *virgines* habitudine corporum, animorúmq;, cum compluribus aliis regis ejus *pállacis*, partim ad ſe pertractas ab trāsfugis, partim & bellô captas, in poteſtatem redegiſſet; in eas *Alexandri Magni* priſcum revocavit temperantiæ ſpecimen, quod is in *Darii*, *Perſarum* regis, filias & uxo-

rem

rem ediderat: eáſque, ſingillatim & univerſim, omnes, intactas à ſe, tum conſervavit, tum, opportunitate proximâ, *Dynaſtis*, ac *purpuratis* Mithridaticis (quorum illæ pleræq;, vel conjuges erant, vel filiæ,) remiſit. Quòd autem *denſârit* conjugia; *quinque*, (velut dixi), per ordinem, ducendo: non fuit ejus rei cauſſa, *vagus*, per diverſas, animus; ſed, in *Antiſtia* quidem, *divortium*, à *Sylla* (quod pòſt dicetur) imperatum: in *Æmilia Juliâque mors*, è *partu* ſuperveniens: in *Mutia* verò, frequentatum ab ea cum *C. Julio Cæſare*, per Pompeji diuturnã abſentiã, *adulterium*. Quin, ne *Corneliam* quidem, *Q. Cæcilii Metelli Scipionis* filiam, *Publii Craſſi* morte *viduã*, téneris adhuc in annis, effectam, vir ipſe, *quinquaginta* ferè *tres* jam *annos* natus, formæ ſolius irritamentô duxiſſe, videri poteſt: ſed potiùs, hinc quidem, affinitatis, cum *Scipione* contrahendæ, deſideriô, cujus ei magnus deinceps pace bellôque fuit uſus: partim, admiratione *Viraginis* ejus; ut, quæ formæ præſtanti *mores inculpabiles*, litterarum Græcarum eruditionem, Philoſophiæ ſeverioris ſtudium, ac fidium deniq;, Geometriæq;, pręſignem ſcientiam, conjunxiſſet. In ſummam! A puero jam, parcè frugalitérq; *Pompejum* vixiſſe, *Plutar-*

tarchus diſertè veréq; tradit. In domo quoq; *Pompeji*, jam maturioris, & in magiſtratibus imperiisq; verſati, *Cicero*, ſecundâ *Philippicarum* ſuarum, prædicat, *nihil unquam à quoquam, ac ne quidem ab ipſis parietibus, conſpectum fuiſſe, niſi pudicum, & ex optimo more, ſanctiſſimâq; diſciplinâ*. Quare mortuo, ſic idem hic parentavit; ut epiſtolarum ad *Atticum* undecimô volumine ſcriberet; *Non poſſe ſe non dolere caſum ejus* (*Pompeji* videlicet, *Ptolemæi* ſcelere trucidati): *Nam, hominem eum fuiſſe caſtum, integrum, & gravem*; habere ſe, longô conſuetudinis uſu, compertum. Eâdem denique, quam modò produxi, Philippicâ, Cn. POMPEJUM, IMPERII POPULI ROMANI DECUS, ait, AC LUMEN, FUISSE. Quod ipſum ne *barbari* quidem populi, principéſq;, diffitebantur; obſequiô, dignatione, muneribúsq;: quibus eum nonnunquam, aut proſequebantur, aut proſequi certè, (niſi renuiſſet ipſe) conabantur. Unde factum eſt; ut eum, unô quondam eodémq; tempore, cauſsâ ſtativorum & conventuum agendorum *Amaſéæ-Ponti* ſubſiſtentem, *reges*, diverſarum *Orientis* gentium, *duodecim* convenirent: &, alius alii ſalutationis officium, ceu lampadem, in manum tradentes,

tes,ipſum frequentarent. Factum item,ut eum *Ariſtobúlus*,Judęæ rex,*aureâ vite*,quæ quingentorum talentorum pretiô ponderéque ſtaret, tranſmiſsâ, coleret; & ad ſuî ſtudiū, æſtimatione virtutum ejus,ac viriū, (etſi fruſtra),provocaret. *Magna* poterant hæc, majeſtatéq; ſummopere digna, ſeu publicè, ſeu privatim, cenſeri. Sed *Piratici* tamen *belli* princeps facilè fuit in *Pompejo* laus, & commendatio. quam laudem,ea maximè claram admirabilémq; faciunt, quæ, ſuper eo bello, piratarúmq; ſceleratîs geſtis,in Vita Pompeji *Plutarchus*,& in legis Maniliæ defenſione *Cicero*, tradunt: quæq;, compendiò referri, fortaſſe non fuerit injucundum. Proruperat ea maris labes, primùm omnium è *Cilicum* terris: mariáq; prædationibus vexabat, eâ ferè tempeſtate, quâ *Mithridates*, Ponti rex, terras *Orientis*,& *Minoris Aſiæ*, præliîs,imperiiq; Romani vaſtatione, tremefaciebat. Immò ſuam huic eidem regi tandem operam *piratæ*, Ponticis claſſibus ſuas immiſcendo naves, conjungere cœperunt: navibus ipſi plerumq; pluribus,quàm *mille*, volitantes. Earum navigationum ingens erat,velorum utilitas, remorum contentio,triremium agilitas, nautarum peritia, conatuum ſucceſſus, atque feli-

felicitas. Mária, *Cilicium*, *Phœnicium*, *Pamphylium*, *Lycium*, *Carpáthium*, *Cycládicum*, *Creticum*, *Ionium*, *Tyrrhenum*, *Liguſticum*, *Baleáricum*, & *Gaditanum*, à portu *Joppès*, ad *Herculeum* uſque *fretum*, infeſtabant. Navalia paſſim, prædarúmq; receptacula; paſſim turritas ſpeculas, arces, ac munita muris caſtella, littoribus imponebant. Exſcenſione verò factâ (quam aſſiduè, locis innumeris, faciebant), prædas etiam terreſtres agebant: jumenta, pecora, fortunas domeſticas, rapiebant: vicos, villas, & prædia, mari viciniora, per laſciviam incendebant. Suburbana locupletium exſcindebant: itinera nemini tuta relinquebant: homines utriuſq; ſexûs (in his, diverſarum nationum legatos, & *Antonii*, viri triumphalis, filiam, rus euntem; ac prætores, in prætextis, cum lictorum comitatu, *Conſulē* item, unà cum ſecuribus,) captivos abducebant. Portus, portoria, vectigalia, commeatus maritimos, & annonam, intercipiebant: fruges, & alimēta, Romanis adimebant: mercaturas, & negotiationes, orbi terrarum claudebāt liberam denique, terrâ marîque commeandi facultatem, gentibus omnibus eripiebant: fana Deorum, opulentiſſima quæque, diſpoliabant. Urbes quoq; *Colophónem*, *Samum*, & alias hau(

haud pauciores *quadringentîs*, ceperant;ac,præſidiîs ſuîs firmatas, inſederant. Demum autem,& in oculis propemodum *urbis*, gentium dominę, *Cajetæ* portũ, *Miſeni* promontorium ac navalia, *Tiberis* item *Oſtia*, diripuerant; ac pęne, mœnibus prodeundi, *Romanis* metum incuſſerant. Eorum porrò *maris*, quos dixi, *prædonum*, non minùs incredibilis, quàm memorabilis ac formidanda, ferocia, ſuperbia, petulantia, crudelitáſq;, fuerant. *Vrbes* maritimas complures, exſcindebant. *Inſulas* totas, in vaſtitatẽ ſolitudinémq; redigebãt: *Velîs*, purpurâ coccôq; tinctîs, utì reges & tyranni; *remîs*, argentô coopertîs, utì domini theſaurorum, utebantur; *magnalis* navigiorum aureîs, utì monarchæ regnorum, toto *mediterraneò* vagabantur: è littoribus ſæpenumero lyrîs, fidıbus, tibiîs, ebriorúmque vocibus, perſonantes; ac, *bacchantium ritu*, canitibus *Sirenas*, ululatibus *Mænadas*, provocantes; & ſpoliatorum mortalium luctibus inſultantes. Ut quemq; verò, marî mediô, ſuam in poteſtatem, interceptô curſu, redegiſſent, ac ſuas in naves attraxiſſent; ſi præſertim *Romanum* ſe *civem* ille profiteretur: in ejus calamitatem ſcurriliter, & per amaram *hiſtrioniam*, incurrebant. Nomen enim, ac genus, & natale ſolum

ſolum civitatémq;, de captivo ſciſcitati; ſi miſer ille reſponſum illud, (apud omnes antehac gentes ſcutô quôvis potentius habitum) *Civis Romanus ſum!* repoſuiſſet: ibi continuò *prædones*, quotquot aderant, ex compoſito, conſternatos ſe, ſuíq; facinoris & audaciæ quaſi pœnam metuentes, oſtentabant. Simul autem, manu planâ femora pulſantes, ſimulatione pœnitudinis; *Enimverò, peſſimè factum à nobis!* (conclamabant), *qui Romano manus injecerimus!* Mox, unô cuncti fletu, gemitúq;, trepidationem præ ſe ferentes, & in genua dejecti; *captivi* civis illius *Romani* pedibus advolvebantur: voce tremulâ, ſupplicéq;, veniam erroris orantes; eíq; de tanti facinoris ignorantiâ ſeſe purgantes. Humô dein allevati manibus illius, qui ſic ſeriò ſecum, nec per fabulam, agi, ſibi perſuadebat; quaſi per obſequium, & pro conſuetudine ſervorum, adversùm heros, ſoccos ei detrahebant; calceamenta plantis ſubligabant; togam, humeris injectam, aptabant: omnésque, voce ſimul unâ, congratulantes; *En!* ajebant, *en! nunc denique Romanus conſummatus es! &, eſſe te, tua Toga planum facit. Proximum ergo nunc; & conſequens, eſt; ut & liber ſis: ſicut homine Romanô dignum eſt.* Secundùm hęc,

hæc, ad crepidinem triremis homine,tanquam per honoris & pompæ ſpeciem, deductô; ſcalas longiſſimas, & ad maris uſque plana porrectas, protendebant. Tum; *I, jam nunc*, ajebant, *quocunque terrarum ire, mariúmque, voluntas fert: ac vale!* Cunctantem autem eum, & abire detrectantem, ſcalarum gradibus primis imponebant: deſcendere jubebant: &, adhuc averſantem exitium ſuum, ac manibus pedibúsq; fatorum ſupremæ neceſſitati repugnantem, vi protrudebant: altôque demerſum, *bibere Pontum*, per ludibrium, jubebant. Et hunc in modum, quotquot Romani nominis mortales nanciſci poterant, odiô ſupremi gentium Imperii, perdebant univerſos. Unde ſanè perierat, jam tum, *Romanæ* potentiæ *majeſtas* omnis: niſi *Pompeji* ſingularis virtus ei ſuccurriſſet.

Hunc, utpote bellîs jam antehac inclytum, unúmq; populorum omnium famâ laudibúsque celebratum, *legis Gabiniæ* rogatione, *ſolum Vnum*, abſq; *collegâ*, contra voluntatem & invidiam plerorumq; patricii ſanguinis Optimatium, adeò concordi mente vocéq; *Populus Romanus univerſus, belli piratici* juſſit *Imperatorem*; ut, dum *Roſcio* (qui locum ſuperiorem conſcẽderat, ſuaſurus; ut expeditionis illius *Pom-*

pejo collegam ſaltem populus daret) civitas omnis unâ voce reclamat: inter clamores illos, aëris impulſu calidiore percuſſus corvus, qui tum fortè forum ſupervolabat, in terram decideret.

Cæterùm, *Pompeji* ſolô vocabulô per *Italiam* rumoribus diditô, ceu *Ducis*, contra *piratas* certiſſimâ cum victoriæ ſpe vela facturi; continuò frugum, rerúmq; cæterarum, adeò pretia deſederunt, quæ *belli-prædonum* antehac metus, ac rabies, in iṁenſum accenderat: ut vulgò dicerent homines; *Etiam nomine ſolò Cneji Magni, nedum armîs ejus, ſublatum eſſe bellum.* Pompejus autem ipſe, *navibus* quingentîs, *peditum* centum viginti millibus, *equitum* millibus quinq; *Senatoribúsq;* viginti quatuor, (ſibi legatîs) inſtructus, & formidandus; in *mare mediterraneum* demiſit exercitum: ac, *tredecim* in partes, & legatos, univerſam partitus claſſem; per illud omne mare, ſucceſſu tam ſecundô ſparſit exercitum ſuum: ut, junctâ, quà ſuâ, quà legatorum, ac militum, alacritate, *Siciliam, Africam, Sardiniam*, claſſibus aditas, firmaret præſidiîs: ut *Italiæ* mare *ſuperum, inferúmq;*, prædonibus fugatîs, repurgaret: ut eandem itidem *Italiam*, cum *Galliâ Ciſalpinâ*, cúmq; *duabus Hiſpaniis*;

ſpaniis; ut item, oras *Illyrici* maris, & *Achaici*, cum univerſa *Græcia*, priſcam in ſecuritatem reponeret: omnésq; marium illorum receſſus, ac Sinus, tutò navigabiles efficeret; intrà *quadraginta* non ampliùs *dierum* intervallũ. Quòd autem, partim oppreſsîs, partim autem ex omni paſſim æquore locóq; profligatîs, prædonibus, eorum reliquiæ, *numerô pluſquam viginti millium* adhuc, *Phasélidem* ferè, *Pamphyliæ* montanam urbem, & hinc *Coracéſium* deniq;, *Ciliciæ* promontorium, (duo *piratarum* famoſiſſima *receptacula*) ſeſe recepiſſent, ac conglobâſſent: *Pompejus*, reclamantibus licèt domi glorioſorum facinorum ejus æmulîs, etiam illos prædonum populares reſiduos, ſibi perſequendos, & ex omnibus marium omnium terrárumq; receſſibus evellendos, ſumens; *Brundiſiô* navium præſtantiſſimarum *ſexaginta* claſſem ſolvit, & intrà *dies undequinquaginta* Cilicium quoque pelagus univerſum pacavit: ſuperatîs primùm, ad *Coracéſium*, navalî prælio *piratîs*: deinde, qui ſuperfuerant, intrà latebras ſuas, (quas adhuc unicas ad *Coraceſium* repererant), tanquam *apibus inquietîs* intrà ſuum *alveare*, deprehensîs, obſeſsîs, & expugnatîs. In hunc modum, *prædones* (ut in *Manilianâ ſuâ Cicero* narrat)

narrat) *omnes, partim cepit, partim interfecit. ceteros, ejus imperio poteſtatiq; ſe tradentes, unà cum urbibus eorum, inſulisq; munitiſſimis, in deditionem accepit.* Cúmq;, ſub hiemis occaſum, *piraticum bellum* ingreſſus eſſet, vernôq; tempore geſſiſſet illud; æſtate mediâ totum confecit: omnia, trium menſium intrà ſpatium, in tranquillitatẽ ſummam maria littoráq; reſtituens; uti *Plutarchus* ſcriptum reliquit. *Magna* fuit hæc igitur ſecuritatis publicæ, *Pompeji* fortitudine reductæ, laus: *magna*, triumphôq; digniſſima, tot inter *roſtratas coronas* incedens, pompæ ſpecies, atque gloria! Quapropter, in his aliiſq; talibus, *Plutarcho, Ciceronique*, Pompejum, ab iis (uti diximus) honorificè prædicatum, libenter, ac liberaliter, condonamus.

Cæteris autem vitæ partibus, *accuſari* ſæpius faciliúſque, quam *ſublevari*, Pompejus hic idem poteſt. Ac primùm quidem, adſperſit eum adversô rumore, diu *Syllæ* præſtitum (in odioſiſſimâ, tam *chlamydis*, quàm *togæ*, Dictaturâ) miniſterium: quod inimici *Pompeji* TYRANNI-SATELLITIUM vocabant. Deinde, *crudelis* in *uxorem Antiſtiam* inhumanitas; cui, nil tale promeritæ, ſed de ſolâ *Syllæ* voluntate, per ſummam ignominiam, cubili domôq;

môq; pulſę ſuperinduxit *Æmiliàm*, Metellæ filiam, *Syllæ privignam*; alii tunc, & jam olim, marito junctam: ex eôque, tunc, cùm Pompejo nuberet, *prægnantem*. In quo primùm ingratiſſimum ſeſe Pompejus *Antiſtii Prætoris*, ſoceri ſui, *Manibus* exhibuit: quippe, qui propter *filiam*, ei collocatam, in ipſa Curia, *C. Marii Junioris* imperiô, quondam trucidatus ſit. *Socrui* deinde, tam indignam filiæ ſortem graviter ferenti, cauſſam præbuit; ex animi mœrore mortem ſibi conſciſcendi. cujus interitum mox & *Æmiliæ*, recèns Pompejo nuptæ, ſecutum eſt diſcrimen extremum; ac, *lethale matri*, *puerperium*. Tam *inclemens* porrò *ſuámmet in domum*, ac neceſſitudines; quis miretur, ſi leges manſuetudinis exceſſerit *in alienos?* Carbonem ergo (quod aliô locô ſtrictim attigi) *ter-Conſulem*, juvenis ipſe, nec adhuc *Equeſtrem* ſupergreſſus *ordinem*, bellô captum; & ad ſe, non modò perquam imperiosè vocatum, ac perductum, ſed inſuper ad ſua *ſtare* veſtigia coactum, *ſedens* ipſe pro tribunali, quæſtionibus diversîs excutere ſuſtinuit: ac, ſub hæc, ad ſupplicium *tam celeriter* abripi juſſit; ut dubium valde ſit, miseróne, ſupplice voce ſeceſsûs breviſſimi copiam, ad naturæ requiſita, flagitanti,

tanti, *Pompejus* eam, ante mortem irrogatam, indulſerit? Eádem porrò duritie, *ſimulatione* *miſtâ*, cùm *Q. Valerium* (quem ſciret, virũ eſſe, litterîs & eruditione præſtantem) ſimùl inambulans, humanitate fictâ diu detinuiſſet: ad extremum, ubi, quæ ſcire percupierat, eliciũt: abduci, præcepit, ac necari. Non minore quoq; *ferociâ*, majore verò *perfidiâ*, Bruti (qui poſtea Cæſarem cum conjuratis interfecit) patrem, *Capionem*, aliô jam locô nobis memoratum, etſi deditione vitam ſalutémq; ſibi pactum; *poſt fidem datam, contra fidem obtruncavit*. Parî, contra pacta, mobilitate mentis, qua nonnũquam circumagebatur, *Jeroſolymam*, dum in Oriente bellum gerit, intromiſſus, honoris ergô; *templum* eſt auſus oppugnare: captúmq; tandem, nequicquam obſtantibus ipſi DEI legibus, ac Sacerdotum deprecantium lacrymîs, cum ſatellitiô profanô, primoribúsq; familiarium, ingreſſus; etiam SANCTA (quæ vocant) SANCTORUM penetravit, obiit, luſtravit: tametſi (*quod unicum, in impia temeritate, facinus, præ ſe ſpeciem pietatis tulit*), intactâ *ſacrâ gazâ*, receſſit.

Sed præ cæteris animi morbîs omnibus, nihil æquè *Pompejum*, ac, LIVORIS ET SIMULTATUM GENITRIX, AMBITIO, tranſ-

tranſverſum egit; & ſæpenumero falſum fieri ſubegit. *Annos*, fertur, ætatis, haud plures, *viginti tres* natus, à mortalium nemine, nec juſſus, nec invitatus, *Ducem* ſeipſum promulgâſſe *copiarum*; quæ revera *Senatûs ac Reipublicæ* potiùs eſſent, quàm *Pompeji*, vel *Syllæ*. Quare factum eſt, ut nec *difficile* fuerit ei, nec alienum à vero, *Cenſoribus*, ipſum interrogātibus, *Stipendiáne tot feciſſet, quot fieri leges juberent?* reſpondere; *Tot omninò, quot juberent*, *eáque*, SUB IMPERATORE SEIPSO, *ſe feciſſe*. Non diſparî deinde ſtudiô, venatúq; magiſtratuum, & imperiorũ, tam in *paludamento*, quàm *prætextâ*, vias, ad *populi* Rom. *favorem* conciliãdum, omnes ſibi complanavit. Hoc meditans; cum *Marco Licinio Craſſo*, Conſulatu primo, *Tribunatum plebis* (rem, toties antehac tâmq; vehementer, *Reipublicæ pernicioſam*, poſt hæc autem abolitam, & aliquouſque ſepultam,) tanquam *ex inferis* revocavit, ac reduxit. Eodem mox ſtudio, *Reipublicæ-peſtiferum illum, cum Cæſare Craſſóque, Triúmviratum*, in *penetralibus* quidem inſtituit; ſed *in forum, ac publicum*, clade civium, effudit. Hac eádem arrogantiâ, cum eodem poſtea Craſso, *Conſulatum alterum*, per vim, armorúmq; terrorem oſtentatum, invaſit. Hac eâdem vi terrorum,

rorum, quos voluit, competitores impedivit; inter quos, Luc. Domitium, operâ ſicariorum conductâ, quondam & occidere conatus eſt: & in Marc. Catonem, qui palàm ipſi convitiarentur, ſcurras, è fæce plebis, immittere nunquam dubitavit; quò difficiliores, ad magiſtratum quemvis altiorem, aditus ei redderet. Annô proximè ſubſecutô, magiſtratus, *quos voluit*, creavit. Hac itidem honorum, ac præſertim *Dictaturæ*, cupiditate, callidè quidem diſſimulatâ, ſed revera flagrantibus animi ſtudiis quæſitâ, viginti quatuor faſcibus ac ſecuribus inhiavit: offerríq; ſibi poſtea cœptas, *modô, quo ſolent ambitioſi*, non ſinè *majore* quodam *exiſtimationis ambitu* quæſtúque, *ſuperbiſſimâ mentis demiſſione* repudiavit. Quorum omnium, jam ſuprà quoq;, locis ſuis meminimus. Apertiùs autem multò *Cretenſium* deditionem, ut ea ſibi potiùs, quàm *Metello*, gentis illius vero ſubactori, fieret, in ſe traxit. eodémq; ferè tempore, *belli Mithridatici* glorioſam expeditionem captavit; & captatam, obtinuit. Eâ cauſsâ, *ſimultates*, & cum *Metello Cretico* poſtea geſſit: & diu cum *Lucio Lucullo*; qui contra *Mithridatem*, ante Pompejum, proſperè ductârat exercitum. Cui *Pompejus* ſucceſſor in *Aſiam* miſſus, adeò geſtis

geſtis ejus omnibus,ac decretis, obtrectavit: ut eorum,quæ ſtatuiſſet ille,per urbes,ac provincias,inconvulſum nihil relinqueret: pœnas, ac mulctas, ab eo reis indictas, ipſe relaxaret: leges juſsáq; reſcinderet; donationes adimeret; *Lucullæum* deniq; ferè quidquid eſſet, exploderet,& abrogaret. Illud autem,de quo frequenter queſti ſuperiùs ſumus, indigniſſimum fuit omnium;quòd *C.Cæſarem*,inſectatorem *Ciceroni* quærentem,& comparantem, adjuvit: dum is, *mortalium omnium impuriſſimum*, Publ. *Clodium*, adulteriô non modò *Pompejæ*, ſed & aliarum, &,prętet eas, *ſororum trium* (*aaaa*) inceſtu ſceleſtiſſimô, paſſim turpem, à *Patribus* ad *Plebem* traduceret: utì fieri *Tribunus plebis* poſſet; eòque tribunatu,*Ciceronem* modîs omnibus,utì feram aliquam canes, exagitare. *Nequiter* hoc; & *publico malo*. Clodius enim (ut vidimus) *tribunatum*, molitionibus eorum, & aſſecutus eſt, & furialiter exercuit. Illud autem haud ferè minoris fuit in Pompejo *nequitiæ*, quod ipſe, Craſsúſq;, *Conſules iterùm*, in *Rempublicam*, & *integritatem alienam*,deſignârunt. Cùm enim exploratiſſimum haberent; *Marcum Catonem* populi *Comitiîs Tributîs*,ſinè dubitatione,*Prætorem* renuntiatum iri;qui, more ſuô, legum ſuſ-

cepturus tutelam, ambitioſis eorum machinationibus intrepidus obviàm iturus eſſet: ipſi (quod obiter alibi quoq; delibavimus) negotium illud omne, *Reipublicæ* tam ſalutare futurũ, improbitate ſuâ diſcuſſerunt. *Communibus* namq; ſumptibus, *uterq;* primùm, corrumpere *Tribus* univerſas, largitione profuſâ, non dubitârunt. Quod cùm minùs è ſententia procederet; *ipſe per ſe* Pompejus, *De cœlo ſervatum à ſe*, Tonantémq; Jovem auditum, ementitus, ut irrita comitia redderet; tamen, ne ſic quidem, dejicere *Catonem* valuit: donec, *grandiore multò*, quàm antè, *pronuntiatâ* per tribus *pecuniâ*, ſuîs impendiîs, Publ. *Vatinium*, & *Antiatem* quendam (CCCC), *Catone* per ſummam indignitatem *Præturâ* detruſô, provexit. Quod tamen minùs aliquantô videri mirandum poſſit, iis, qui meminerint: ab eodem *Pompejo* (quod nos in *Seleúcidis* adnotavimus) *Antiochum Aſiaticum*, Syriæ *regem* utiq; legitimum, non *urbis* unius *præturâ*, ſed totius *Aſiæ regnô*, fuiſſe dejectum.

Illa denique, quin & hôc locô querulè recoquatur, pręteriri nullo modô PERFIDIA debet; QUA POMPEJUS USUS EST ADVERSUS M. TULLIUM CICERONEM: cùm

cùm in virum illum, ſibi ſemper amiciſſimum, quiq; ſummas, ejus cauſâ, contentiones pugnáſque, tum *forenſes*, tum *in curia*, frequenter ſuſcepiſſet; ille, non modò *ſimultates* paullatim exercuit, ſed etiam adversùs rem ac ſalutem ejus, *ſceleſti proditoris more*, graſſatus eſt. Non enim modò fovit *inimiciſſimum* ei, de quo ſępe jam cum ſtomacho dictũ eſt, *Clodium*; ſed hunc in eũ inſuper auctoritate, verbisq; ſuîs, clam animavit; pręſidium ſuum implorãtem *Tullium*, falsâ pollicitatione ſuſpenſum, tenuit: &, ad extremum, poſticô villæ ſuæ dilapſus, hiantem illius exſpectationem deſtituit. Quo *Pompejus*, perfidiæ, maléq; gratæ mentis, plenô facinore, vehementiſſimè (nec abs re) *Senatum*, & optimum quemque, *Ciceronis innocentiæ* ſtudioſum, exaſperavit. Ac ne tum quidem ſatis in gratiam *Optimatium* ſe repoſuit; poſteaquã, ejus utcunq; labore, reductus in patriam *Tullius* eſt: quòd perſuaſum pleriſq; foret, non tam *Ciceronis* eum charitate, ſuam, pro reditu tandem ei conficiendo, curam & operã interpoſuiſſe; quàm (ut diximus) *Clodii* deteſtabilis odiô: qui, *Cicerone* pulsô, propemodum in hoc ſolo juſtus & probabilis, poſt hęc in *Pompejum* exagitandum, furias ſuas omnes, *haud abſq; Nu-*

minis latente vindictâ, converterat: & in dies confirmârat. Unde, ne *reſtituti* quidem *Ciceronis* (ſi rem omnem ad liquidum defęcemus) aliam revera gratiam reportare *Pompejus* debuit; quàm, qualî *Cato Philoſophus*, illius ſpecioſa vulgò facta proſequi ſolebat: cùm de *Cnejo* diceret; EJUSDEM ESSE, MALA MAGNA SUSCITARE: SUSCITATAQUE, POSTEA COMPESCERE.

Tam hæc igitur, quæ retulimus, quàm alia *Pompeji* talia, quę, brevitatis ſtudiô, pterivimus; tametſi, ſinè dubio, nequaquã *Syllanis Cæſarianisq;* delictis erãt paria: *delicta* tamen erant. Idcóq;, tantùm abeſt, ut (quod *Cornelia*, quidámque *Pompejanorum* alii, ſibi perſuaſerant) *inſons per omnia* Pompejus ceciderit; utì ne *mortalium* quidem omnium, & eorum quoque, qui contra Cæſarem ſteterant à partibus ejus, judiciô, creditus fuerit *abſolvendus*. Increbuerat enim profectò, *Pharſalicum ante prælium*, ſententiæ vulgatæ rumor: NEQUE CÆSAREM PORRO FERENDUM ESSE, NEQUE POMPEJUM. VINCENDUM IGITUR A POMPEJO PRIMUM ESSE CÆSAREM; ET JUGULANDUM: DEINDE PROTINUS, ET CÆSARIS VICTOREM. (*γγγγ*) Quem ergo,

ergo, plectendum *homines* quoq; cenſuerant: quónam is jurè, *Divinam* effugere *manum* debuerat; *reddentem* (utì ſcimus) *unicuique ſecundùm opera ſua?* (δδδδ) Sic enim antehac *Deus*, & *Syllæ* caſtigavit *tyrannidem:* ſic poſtea *Cæſaris* ambitionem immodicam : ſic *Ciceronis* inſanam ſuî prædicationem,& humanæ laudis aſſiduam inexplebilémq; ſitim: ſic ipſius deniq; *Romæ veteris*, Orbem terrarum univerſum infra ſe deſpicere verſaréq; geſtientis,*ſupercilium*, tyrannicúmq; faſtum. Pari verò cenſuræ rigore, *DEVS*, *ſuperborum hoſtis,arrogantiúmque deſtructor*, etiam in poſterum, *ad finem uſque Sæculorum*, dejiciet *altitudinem cedrorum*: æquabítque ſolo jactantiam omnem, elatíq; ſpiritûs altitudinem; *extollentem ſe ſupra* ſortis humanæ faſtigium, ac menſuram: *ut non glorietur omnis caro; ſed, qui gloriatur, in DEO glorietur*, omnis veræ laudis fonte. (εεεε) Nos autem, *humì ſtrati* mortales,nobis ipſis relicti, *quid* (quęſo), *quid ſumus,niſi pulvis,ac cinis?* aut, ſiquid interdum ſumus,ac poſſumus; *numquid ex nobisipſis ſumus, aut poſſumus?* & non,ex eo potiùs,adverſùs quem noſter ſe tumor erigit, & inflatur? Horum tamen *Veritatis-Oraculorum* oblivione craſsâ prævalente, (prô Deum!) quantus eorum

rum hodiéq; numerus eſt, inter *Chriſtianos* etiam, immò verò, *demiſſionẽ animi profeſſos*; qui, *Pompeji* veſtigiis inſiſtentes, ac proinde celſiora ſemper affectãtes, modîs & obſequiîs omnibus, ipſarúmq; *dignitatum-fugæ ſimulatione*, genibus eorum adrepunt, & *gratiæ*: quorũ in manu *ſuffragia* ſunt, & *Comitia curiata?* Neque deſunt, qui nec ſuîs quidem in *lucubrationibus*, (quantumvis alioqui lucernæ Demoſthenicæ pérparum olentibus), ſibi temperantes; volumina ſua, vocibus jactabundîs inferciant: ac *rhapſodiarum* ſuarum, tertiô quoq; verſu, nullâ penitùs adigente neceſſitate, tanquam *triumphos* numerent; eas, tanquam *Cœli-Columnas*, oſtentent; ac, veluti *ſalutis* & eruditionis *unicam viam* inculcent: ad faſtidium uſque lectorum, auditorúmq; ſtomachum nauſeantem.

Atqui talia, ſimiliáque talium, in *Pompejo* quondam, *Catonis* modeſtia, Favonii *dicacitas*, *Catulique* gravitas, averſabantur; ac traducebant. EGO, QUI DUX FACTUS SUM, ANTEQUAM ORDINES DUXISSEM. EGO, QUI TOT STIPENDIA FECI, SUB IMPERATORE MEIPSO (555): QUI, JUNCTIS AD CURRUM ELEPHANTIS, TRIUMPHUM EGI; PRIVS, QVAM LA-

TVM

TVM CLAVVM (ζζζζ), AVT PRÆTEXTAM CVRVLEM (ηηηη), FERREM. EGO, QVI, VIX VNQVAM PRIVATVS, IN IMPERIIS VT PLVRIMVM ERAM: QVI MAGISTRATVS OMNES CEPI PRIVS, QVAM TEMPVS FERRET; AC MATVRIVS, QUAM OMNES EXSPECTASSENT, DEPOSUI. Quid multis? EGO POMPEIVS ILLE; (θθθθ) QVI, SIMVLAC PEDE SOLVM ITALIÆ SVCCUSSERO, TOTAM IN ARMA TERRAM EXCITABO! (ιιιι)

Deſtituit ergo *Pompejanam* hanc & *Deus*, & *ſucceſſus*, jactantiam; *ignominiâ*, *cladéque* longè *maximâ*, caſtigatam, etiam in *bujus* theatro *mortalitatis*. Evenítq; mirandum illud; ut, *pridie Calendar. Octobrium* interfectus in *mari* mediterraneo *Pompejus*, diem illum ipſum interitu funeſtaret ſuô, quo quondam, de *Mithridate*, *de piratis*, & eodem illô *mari* repurgatô, triumphârat. (κκκκ) *Vixit* autem *annos*, plenè decurſos, *octo*, ſuprà *quinquageſimum*, undeſexageſimô, per *unicum* duntaxat *diem*, inchoatô: quippe, *poſtridie* natalis ſui (ſicut Plutarcho viſum eſt) interfectus.

Dubitari porrò, controvertíq;, poteſt; INDI-

DIGNIVSNE CECIDERIT POMPEIVS; AN, A CASV SVO, JACVERIT?

XXXVI. Operæ certè fuerit, utilitatisq; publicæ; vel in *Duobus Viris*, famâ, dum viverent, per omnia regna decantatîs, poſtea verò vitâ functîs: rerum inſpicere *Romanarum* levitatem; *Humanarum* autem vanitatem, ac fugam. Ecce! *Luc. Cornelium Syllam*, Reſpublica *vetus* (quãtula ſupereſſe potuit), & omnis Italia, quoad vixit, exhorruerat, & oderat: *Cn.* contrà *Pompejum Magnum*, amârat viventem, & honoribus univerſîs extulerat. *Illum* priorem, fatîs ereptum, omnis Italia Româque proſecuta *juſtis funebribus* eſt; tanquam *Patriæ Patrem* ſepeliret, & non potiùs *Latronem gentium* publicum. *Iſtum* autem, ne reſpexit quidem; perinde, ceu Reipublicæ labes, & *Romanæ Salutis homicida*, periiſſet. Et ille tamen alter, *erectã* à majoribus, incolumitatẽ civitatis, *oppreſſerat*: poſterior hic, *oppreſſam* (quantùm in ipſo fuit) *erexerat*. Ac *Syllam* quidem *viventem*, quæ quantæq; mortalium plerorumq; (ſi factionẽ illius, & adulatores, excipiamus) exſecrationes, ac diræ, nullâ non occaſione, devoverint; ex iis, quæ de rebus, ab eo geſtîs, dicta ſuperiùs ſunt, intelligi conjicíque, difficultate nullâ, poteſt.

poteſt. *Tyrannus*, & erat, & audiebat: ideóq;, *Tyrannis* debitum, & *pecuniæ cenſum* à civibus ſuis, & *animorum ſenſum*, reportabat. *Pompejo* verò, quis, Pharſalicam antè ſtragem, à populo datos, in omni theatro, plauſus? quis, in eum congeſta laudum præconia, titulos, vota, numerâſſet; niſi, qui, ſitorum ad Tiberim, hortorum colligere folia, collectorúmque ſummam ſubducere, voluiſſet? In *Oculis* eum omnes; in *ore*, *manibus*, *humeris*, ferebant. Hic enim, hic erat ille, gentium omnium, ac regnorum, ab omni retrorſum memoriâ, non *dux* tantùm *invictiſſimus*; ſed quidam planè, quaſi *Romani Cœli Sol*, imperiíq; ſplendor. Huic conceſſum (ut *Vellejus* memorat), huic, ne quidem invidioſum, erat; *Circenſibus* in *ludis*, *omnî triumphali* cum amictu, *coronâque laureâ*, ſpectari. Proclamabatur, ut *Hiarbarum*, ut *Mariorum*, ut *Sertorii*, *Mithridatis*, *Tigránis*, *Ariſtobúli*, *Piratarúmque*, domitor. Victoriarum ejus, triumphorúmq;, Tituli præferebant, oſtendebántque, ſubactas, *Libyam*, *Numidiam*, *Hiſpanias*, *Pontum*, *Cappadociam*, *Paphlagoniam*, *Colchidem*, *Armeniam*, *Albaniam*, & *Iberiam*, Orientis: *Mediam* item, *Ciliciam*, *Syriam*, *Meſopotamiam*, *Phœnicen*, *Palæſtinam*, *Jeroſolymas*, *Arabiam*: repurgata prædonibus

bus maria: capta caſtella mille: munitiſſimas urbes nongentas: naves prædatorias octingentas: oppida, priùs exhauſta, per eum incolis denuò repleta, non minùs undequadraginta. Super hæc, ductam in Piratas, *Mille navium* claſſem: E victoriis, in *ærarium* illata, *nummûm Philippicorum* (ut *Juſtus Lipſius* ponderavit) *centies vicies centena millia*: militibus, *donativi triumphalis* nomine, poſt *Orientis* patrata bella, *nonagies ſexies centena millia Philippeorum*: in novisſimum deniq; manipularem quemq;, *centū quinquaginta nummos Philippicos*; & hoc, in exercitu, tam immensô. Quale verò, quámque *Pompejo* glorioſum (utinam autem, non & perniciosum!) fuit, totius *Italiæ* flagrans in eum aliquãdo ſtudium: ac ſensûs, & amoris in eum, publicè tributum ipſi teſtimonium, in ejus noviſſimâ corporis invalitudine? *Decumbebat ille quidem* (ut & *Cicero*, quadam ad *Pomponium Atticum* epiſtolâ libri ſeptimi, queritur) *quotannis ferè*: nec *leviculè*; *quod ſæpe delicati magnates patiuntur*. Sed omnium atrociſſimâ membrorum infirmitate proſtratus, *Neapoli* jacebat, aliquantò priùs; quàm civilem armorum, adverſùs *Cæſarem*, ſuſcipere contentionem cœpiſſet. Quo tempore, cùm in deſperatis omnia morbi re-

bi re-

bi remedia conſerentur; *Protagoras Neapolitanus* municipibus ſuis auctor fuit: ut, *pro Pompeji Salute*, qua totius potentiæ ſecuritatiſq; Romanæ Summa contineretur, vota publicè nuncuparent; & hoſtias immolarent. Propensè tota *Neapolis*, ac certatim, fecit, quod monita fuerat. exemplúmq; clariſſimæ civitatis, oppida primùm, municipiáq; finitima; protinus autē, & omnis latè *Campania, Latium, Italia cætera, Romáque*, ſecuta; nullo non loco pro *Cnejo Pompejo Magno* ſacrificabant: ac dies aliquot continuos, operum aliorum vacuos, & feriatos, agebant. Ut primùm verò, receptîs viribus, geſtationis itinerúmq; patiens eſſe cœpit; *Neapoli* redeunti *Romam*, tantæ, locîs ex omnibus, populorum utriuſque ſexûs multitudines præſtò fuerunt, & in ejus occurſum ſe, gratulationiſq; deſiderium, effuderunt: ut infelix ſibi videretur, quiſquis, præ compreſſione confluentium, aut non vidiſſet eum; aut, *Ave* dicens ei, perceptus agnitúsq; non fuiſſet. Itinera, pagi, vici, portus, ac littora, *Sotéria-Pompeji* lætîs epulis, feſtivîſque canticîs, celebrantium virorum fœminarúmq; plena, reſonabant. Multi præterea, ne tum quidem, votis ac ſacrificiis modum ponebant; *Hetruſcas* inter *modulationes*, valc-

valetudinis conſtãtiam Duci, ſibi reſtituto, precantes. Innumeri, capitibus coronatis, manibúſque, faces ardentes præferentibus, conſpicui, *Salvere Salutis publicæ* caput, & auctorem, jubebant: ac, florum in ipſum omnî genere conjectô, perſpergebant eum, ac laudibus efferebant. Et hæc tot dierum pompa deductionis, in *Vrbem* uſque, tam intrà, quàm extra *viam Appiam*, perſeveravit.

Exiſtimabatur autem, ejus ipſius, (ut ſic dicam) *triumphi*, tam inauditâ priùs magnificentiâ, mirum in modum elatus *Pompejus*; tantos ab eodem ipſo tempore ſibi ſumpſiſſe ſpiritus: ut eâ, vel maximè, totius Italiæ, ſe complectentis, fiduciâ, tantò mox animoſiùs ad bellum, adversùs *Cæſarem* gerendum, deſcenderit: quippe, qui, confiſus amori tot erga ſe populorum, HOMINEM (ſicut ad *Atticum*, ex ore Pompeji, *Cicero* ſcripſit) VEHEMENTER CONTEMNERET: eúmque ſe facillimè, ſperaret, everſurum. Hæc, quæ dicta ſunt huc-uſq;, Plutarchi, Vitam illius explanãtis, auctoritate pléraq; nituntur. Ego verò, tanti Ducis ornamẽtorum inſtar omnium, unius etiam ac ſolius *Marci Tullii*, tributum ei jam mortuo, teſtimonium, duco; quod is tamen, nec *Viventi*, facilè

facilè negârat. Proſtat *Vox*,laudum ejus celebratrix, Oratione totâ, pro *Lege Manilia*: quâ, gentes etiam exteræ ſuſpexiſſe *Pompejum*, feruntur,*non,ut hominem,Româ miſſum*;*ſed, ut* Semideum *aliquem,Cælô delapſum*. Eundem quoque, *Philippicâ* ſecundâ,*Conſularem* appellat *Virum,penę Divinum*. Pluris hæc, prudentes apud viros, Unius *Tuba* Ciceronis, quàm vulgaris multitudinis innumeræ *Tibia*,videri debet.

Hôc igitur, ac talî, qualem retuli, locô, *Cn. Pompejus*, ac *Lucius Sylla*, dum viverent, in hominum erant animis, & exiſtimatione: talî famę conditione;nihil ut *huic* ad publicum odium,nihil ut *illi* deeſſet ad benevolentiam atq; plauſum. At eorundem *poſthumus* honorum habitus, & memoria, quantùm utrimq; diſcrepârint *publicitus*; haud aliunde cognoſci liquidiùs,quàm ex amborum funeribus *exſequiiſq;*, potuit. *De Judicii popularis,erga vivos, conſtantiâ, mors eorum pronuntiavit*.

Ac *Lucii* quidem *Cornelii Syllæ* Suprema, ſeriem,ac modum hunc, quem dicã,habuerunt: conſideratione fortaſſe, vel indè, digniorem, quòd, ex ejus enarratione, *funerum* Romanorum, (in *buſtis* præſertim *eminentioribus*) ritum ſplendorémq;, non antehac operum horum aliô

aliô nobis locô memoratum, ex aliqua parte ſaltem, aſſequentur ii; quibus, *Eruditionis* & *Antiquitatum* avidis, etiam perfunctorius rerum ejuſcemodi guſtus, reliquæ lectionis faſtidium attemperare, validus, & opportunus, erit. Sed ejus *morti*, ſupremum *morbum*, qui *mortis ingreſſus* fuit, præmittamus.

Poſt *Metellæ* (de qua dictum in ſuperioribus eſt) exceſſum, ductâ *Valeriâ*; nō contentus *Sylla*, cum ea, quod ætatis reliquum erat, inter honeſtos vitæ ſocialis fructus, exigere: per nefas, inconceſſis etiam aliis deliciarum uſibus, & commerciis, *ſenectutem ſexagenariam* impendere, geſtiebat. Et quamvis alioqui *nuptias* expertus *complures* eſſet: & quinq; minimùm, aliam ſub aliam, proceſſu temporis ſibi conjunxiſſet, hoc eſt, præter *Metellam* ac *Valeriã*, etiam *Iliam*, jam antea; dein *Æliam*, ac *Cæliam*: inſuper tamen & *Nicopolin* quandã, opulentam quidem, ſed proſtratæ pudicitiæ, mulierem, cum *Metrobio* mimô, ſibi familiares effecerat. Multorum quoq; matrimonia, ſecus, ac ſuîſmet ipſe legibus caviſſet, (ut ipſum in hiſtoria Criſpus infamavit) adulteriîs invaſerat. Poſtremò, corporis ſaginâ differtus, inter epulas, vina, mimas, citharœdos, lyricinas; ac, præter has, etiam inter hiſtrio-

ſtriones, *Roſcium* Comœdum, ac *Sóricem*, mimo-um principem, aſſiduò verſabatur: *ſuperque toros* (ut Plutarchus eſt auctor) cum his mortalium ſordibus cubans, *dies totos perpotabat*. Indè, morbis paullatim vitiatum, corpus, ſi credimus *Appiano*, febrire cœpit; ſi *Plutarcho*, lentum & inteſtinum *ulcus* colligere: *purulentoq;* ſuffuſa tabô *cutis* omnis, & adipata caro, *pediculorum* agminibus ſcatere. Quorum tam immenſa fuit, & indomita, ſingulas in horas ac momenta, fœcunditas atq; ſoboles: ut ab eâ lectulis, veſtimentis, cibis, poculis, & omni locô, refertis, & contaminatis; ne *lavacra* quidem, etſi diu noctúq; cōtinuis vicibus uſurpata, ſic vel diluere peſtes illas immundas, vel extinguere demerſione, valuerint: quin, ex uno taliū *reptilium* extinctô, tanquam ex *Hydræ* recisô capite (quod in fabulis eſt) *centuriæ* cōplures, ſucceſſione continuatâ, ſubnaſcerentur. Igitur *ulcus* quidem illud, de quo diximus, diruptū tandem eſt, contentione vocis, & imperii clamoſi, quo *Granium* quendam, ſeu *præturâ*, ſeu *Puteolanô* quocunq; *magiſtratu*, fungentem, propter debitam ærario pecuniam grãdem necdum perſolutam, ſtrangulandum in oculis ſuis curârat. *Vermiculorum* autem *pedeſtrium* exercitus, ac mor-

mordendi *rodendiq;* rabies, non priùs eum, quàm *anima*, deſeruit. Quo fit, ut fidem apud *Dionem Caßium*, Romanarũ Rerum librô quinquageſimô, tantò faciliùs invenerit rumor *mortis* ejus ille, qui, *Syllam ſibimetipſi demum intuliſſe manus*, divulgavit: quippe, quem ad id facinoris impellere potuerit, tam anteactæ vitę plurimorum, longéq; graviſſimorum, facinorum aliorum, inquieta recordatio; quàm, præſentis prętereà mali deſperatum (niſi tandem è morte ſpontaneâ) levamen, & effugium. *Finiit* autem, in *Cumano* ſuo, viciniâq; *Bajarum*, ac *Puteolorum*; in *Campanis*.

Poſtquam autem exceſsûs ejus fama, per *Italiam* ſparſa, *Romam* etiam eſt perlata: diſſentiente quamvis, cum *factionis Marianæ* reliquiîs, alterô Conſulum, *Æmiliô Lepidô*; Quinti *Catuli* tamen, ejus Collegæ, cæterorúmque, ſeu *Syllæ*, ſeu *concordiæ*, ſtudioſorum, auctoritate, ſecus, ac *Lepidus* voluiſſet, actum eſt. adnitentéque cumprimis *Cn. Pompejo Magno*, decretum auctoritate *Senatûs*: ut, per *Italiam* delatum *Syllæ* corpus, in *Vrbem* ſollemnî pompâ deportaretur; in foro Romano *laudatio funebris* ei fieret; & in *Campo Martio*, publicîs exſequiîs, rogus, ac ſepulcrum.

Id

Id *Senatûs decretum* ut primùm percrebuit: rúere vulgò mortalium in *Italia* genus omne, maximéque *militare*, cœperunt, Cumarum ad oppidum; & in rus vicinum: ibíq;, *Syllæ villâ* quaquaverſum cinctâ, cadaver ejus celebrare. Coire legionum armatæ cohortes: equitum frequentes turmæ convolare: feſtinare, *Syllæ* quondam legati, tribuni, præfecti, centuriones. municipalium, & oppidanorũ hominum, ex omni *Campania*, viciniſq; populis, cõfluere multitudo: nequẽ facilè funeris ſupremus honor deſideraret. Jacebat exanime cadaver; gentium modò, Solis utriuſque, terror. Juxtà verò, triſtis, & in luctum ſoluta, domus univerſa; prẹcipuè verò, mimorũ, ardelionum, comœdorum, fidicinarúmq;, familia: morte domini, *valere* poſthac, & *famere*, juſſa. Præſtò quoque, *Syllæ* veteres amici, clientes, liberti, ſervorúmq; greges. qui, ſimul omnes, alii *verum*, alii *fictum*, in ploratum, plangendíq; certamen, effuſi; corpus herile, torô purpureô detractum, *aureâ* (ſic *Patres* cenſuerant) *lecticâ*, more, regiis funeribus uſitatô, componunt. Sic locato, cæterum adjiciunt, barbaricæ magnificentiæ, quàm Romanæ frugalitati, propiorem, apparatum. Poſt hæc, *Cumanô* ſuperbum feretrum effertur. Circùm

cùm id, arma, ſpoliáque *Syllanæ* militiæ: nec non & *Corneliæ gentis*, eíque connexarum neceſſitudinum, ac familiarum, *imagines*. Proximè ſandapilam, ætatis adhuc immaturæ filius, *Fauſtus*; & uxor defuncti, *Valeria*, poſthumæ filiæ conceptu gravida, vehebantur. In equis, pro fronte primâ, diſpoſitô parium ad pares agmine, *mercenarii Siticines*; funeſtô tubarum clangore, totô, quà funus incedebat, itinere perſonantes. Inter hos, ac lecticam, *lictorum* in togis turba, *quatuor* ac *viginti* numerô; cum totidem *Securibus*, faſces præferentium: aliiq;, cum aliis *Dictatoriæ majeſtatis* inſignibus, incedentes. Poſt hos, circumfuſus utrimque lateribus, ac poſt tergum etiam incedens, ſerie longâ, *trabeatus eques*, deductor funeris, in armis quiſque ſuis; adjunctam immixtámq; ſibi *cataphractorum* multitudinem habebat: cùm inter hæc, & magis ſemper magíſque, legati ducésq; *Syllæ* veteres, à *Cumis* remotiores, convolarent; ſuum (ut quiſq; veniſſet) in locum, ordinémq; pompæ, ſe conferentes: & vulgi, de coloniis, municipiíſque, quantæ nunquam aliàs, ullius in exſequiis, turbæ, cum magiſtratibus ſuîs, in ſingula puncta temporis afflu-erent; occurrendíq; ſtudiô, *Syllæ manes* atratæ cele-

celebrarent. Ibat pompa, deductioni ſecuritatem pręſtante *Cn. Pompejô*, ſecundùm *inferi* ferè *maris* littus, orámq; *Campaniæ*; *Cumîs Liternum*, ac *Vulturnum*, versùs. indè *Caſilinô*, *Sveſſâ*, *Minturnîs*, *Fundîs*, *Tarracinâ*, pérq; *Forum Appii*, *Viâ* deinceps *Appiâ*, Romam uſque. Totâ verò, quàm longè ſe porrexerat à *Cumis* ad *Vrbem*, viâ (quæ, tardè, ritúq; funerum, non ſinè flexu diverticulîſq; progreſſionis, incedētibus, *triduanâ* non paullò prolixior fuit) undique, cum locorum incolis, per quæ loca pompa tranſierat, dextrâ lævâq;, municipia coibant. Campanorum itē, Rutulorum, ac Latii-Veteris, oppida, ſuîs ſe ſedibus effundebāt: ínq; dies & horas ſingulas creſcente multitudine, cum odoribus aderant, & hoſtiîs, funeri congruētibus; quas, veſtibus & ipſa *pullis* amicta, *Dîs Manibus Syllanis*, ad *Aras*, ex tempore ſuſcitatas, ſecūdùm vias immolabant. Hoc *Capua* faciebat: hoc *Interámnia*, *Theánum*, *Arpinum*, *Anágnia*, *Lábicum*, *Túſculum*, ad *dexterum* viæ latus: hoc & ad *lævam* præſtabant, *Formiæ*, *Ferónia*, *Privernum*, *Antiates*, *Ardeates*, & alii: donec (ut dixi) ventum tandem in *Vrbem* eſt; ubi *Syllam mortuum*, immodicè magnificentior, excepit pompæ majeſtas.

Simulac enim eminus, è domorum culmi-

nibus, editîsq; locîs, deducentium funus conſpecta ſeries eſt; eorúmq; multitudo veritatem explevit rumoris publici, qui, *Venire Syllam Defunctum, in Vivis tantopere formidatum*, narraverat: prorumpere mox forô, domiciliîs, viîs, & angiportîs omnibus, civitas univerſa; plebs, nobilitas; infimi, ſummi; viri, mulieres; inermes, & armati: cúmq; *Patribus*, ambo *Conſules* (quia *Lepidum* quoq;, rubor dedignationis ſubierat); & *curules magiſtratus* univerſi. Plerique, *Capenâ* ſe portâ proruere. multi quoque, viarum ſecuti flexus (quoniam, tritâ progredi tardiùs, cogebat, in portis ſpiſſata, populi denſitas) per portam *Trigeminam*, ac *Latinam* quin &, per invia deviáq;, foràs feſtinare. Tantum enim erat, *vulgi* præſertim, *compreſſi* pariter, & *invicem comprimentis*, (ut ſic dicam) æſtuarium, atque *mare mortalium:* utì, non tam *Vrbs* in agros Latii, quàm *Orbis* quidam, aut *Mundus*, ex *urbe*, ſe provolviſſe, videri poſſet.

Ubi verò tanta ſe deniq; confluges advenientium, agminibus priorum, ac ſuô quiſq; locô junxit, & admiſcuit: ibi tum, non *nova* modò ſed, in iṁenſum *auctior*, pompæ facies conſpecta fuit. tantúſque, tam *inermium*, quàm *armatorum*, (pæne dixerim) *Oceanus*; etiam *Appian* teſte

teſte, *metu malorum ingentium*, apud prudentes, *non carebat*. Tum autem præcipuè; poſtquam primùm intrà pomœria, portáſque *Romæ*, ventum eſt. Tunc enim *ordo deductionis*, apparatu, ſicut ſplendidiore, ſic & formidabiliore, ſuî ſpectaculum explicuit: ac præter illa *dictatoria*, quæ ſuburbanum iter univerſum viderat, Inſignia, *Triumphalia* quoque lecticam anteire, comitaríq;, cœperunt *ornamenta*: præferri civitatum, legionum, amicorúmque, dona; cum extemporalibus, *aurô ſolidô* factîs, *pluſquam bis mille*, variorum *coronîs*. Quæ cuncta, luxu pretiôq; viſenda, non ſecus oculis ingerebantur urbis; ac ſi, non *Juſta* cuipiam hominum, vitâ functorum, ſed *votiva* Numini Semideóve *ſerta* donariáq; ſolverētur. Acceſſerant his, *decem, ſupra ducenta*, ſeu *fercula* (ſicut propiùs fidem eſt) ſeu, veluti Plutarchum Xylander interpretatur, *feretra*; pretioſis Arabum odoramentîs, cinnamomô, remotiſſimíq; Solis *aromatibus*, opulenta. Deducebant porrò lecticam feralem, ſuâ quæque ſerie, *Numinum* variorum *Sacerdotia*: pontifices, inquam, atq; Flamines, Martiales, Quirinales, aliorúmq; *collegiorum* quorundam; præcipuè verò, *Veſtæ-Virgines*: humerîs propè *Syllam* mortuum geſtantes; nec parciore

 ſpiri-

ſpiritum illius, quàm *Ignem* ſuum, *extinctum*, luctu proſequentes. Poſt has, cùm *Senatu*, (viritim prȩſente, comitātéq;,) *Conſules*, Marcus Æmilius Lepidus, & Quintus Luctatius Catulus: & quidquid Romæ prȩterea, Conſularis, Cenſorini, Prætorii, Triumphalis, & Ædilitii, gradûs ordiníſq;, cum *curuli* fuit: ídque, ſuîs quíque magiſtratuum cum inſignibus. Sub hos, *Equitatus* Romanus. tum, *equeſtres* aliæ, præſertímque *ſociorum*, extra Romanorum equitum cenſum, *turmæ*: pedeſtríſque militiȩ, quidquid per Latium, Hetruriam, Ligures, & Galliam Ciſalpinam, ſparſum fuerat: *Syllæ* quondam *ſigna*, tunc autem *loculum*, ſecuti. virorum, equorúmque, grandis exercitus; equorum hinnitu, fremitúq; ſedentium in equîs, & loricarum thoracúmque tot millium horridô ſuccuſſu ſtrepens. Tam *equiti* porrò, quàm *pediti*, ſuprà ſuerta cuiq; tela, quæ corpus muniebant, manum inſtruxerant, vel *aurô* ſolidô fabrefacti, vel *argenteis* ducti bracteîs, *clypei*: multis etiam, *aurata* ſigna. *Populus*, per ſuas quique tribus, curias, centurias, incedebant. Jam verò cornicinum, & æneatorū, ac, præter eos, qui (velut dictum ſuperiùs eſt) agminum ductores, itinere Campanô totô perſonuerant, *tubicinum*, infinitus,

tus, ut *Appianus* ait, *numerus* aderat: ex omni circùm *Italiâ*, togatâque *Galliâ*, privatîs publicîsq; ſtudiîs excitus. Hi, certîs paſſim interſerti deducentium locîs & ordinibus, alterna per intervalla, lugubrî quodam, &, nunc brevî *concisôque*, nunc in longum lamenti tenorem *productô*, clangore, ſummam implebant, ac mediam, infimámque, *Romam*: ídque cumprimis, ſiquando (quod ſæpius utique fiebat,) conſcordî ſimul omnes concentu perſonarent. *Tubarum* porrò *conſonantium*, quoties hæ paulliſper interquieſcere cœpiſſent, extremam exſpirantémq; vocem, *Acclamationes* excipiebant *fauſtæ*; quę *Syllæ Felicitatem*, *Syllæ Fortitudinem*, in cœlum extollerent. quarum vocum initium, *à Patribus*, ac *Patriciis*, ortum; mox per *equites*, indè per *legiones*, ambulabat: donec & *vulgi* denique, noviſſimęq; *plebeculæ*, clamoribus, perpetuatæ gratulationes, *ſeptémq; montium* alliſu, reboatúque, geminatæ; vix tandem ſeſe conſumerent: *triumphique vocalis* exitum invenirent.

Cæterùm, inter hæc, omnium quidem *uniuſmodi voces*; non omnium *una mens*, ſtudia, déq; *Sylla* ſermones, erant: cùm alii plenô, ſicuti *verborùm*, ſic & *animorum*, conſenſu, *Dictatorem* effer-

efferrent: alii contrà, *turbam* magis, quàm *ſui mentis impulſum*, ſecuti, *clamarent* quidem cum omnibus; *afficerentur* autem, & judicarent, cum veriora-ſentientibus: quidam autem &, per *malignum ſilentium*, muginarentur; ídque facerent, quod in *Auguſti* poſtea, *Liviæ*, *Claudiique*, funeribus evénit: ut, *Præteritorum Syllæ facinorum cenſurâ, præſentis pompæ fas nefáſve*, ventilarent. *Quorſum huic tantùm honoris, & apparatûs, deferatur extincto: qui, vivus ipſe, nullum cuiquam decus; paucis verò, ſpiritum animámque, reliquerit? Nimirum, hunc illum eſſe virum; qui plebem imminuerit; imminutam, intruſis, inſititiîſque Corneliîs, hoc eſt, Servitiîs, inquinârit. qui Plebis Tribunatum everterit: qui, non contentus, proſcriptis à ſe, per ſatellites ſuos animam eripere, filios inſuper, ac nepotes eorum, dignitatum & bonorum aditu ſubmôrit: qui præmium, accidenti quemcunque proſcriptorum (etiam herum, patronum, patrem, in oculis uxoris, matris, filiorum,) ſingula per capita, talentum geminum conſtituerit: quique ſervum, quòd heri ſui proditor eſſe renuiſſet, de ſaxô dejecerit: qui Q. Arbelium, inſontem, ſed locupletem, propter cultius rus Albanum, oppreſſerit; ut id ipſe ſuive poßiderent: qui millia civicorum capitum quatuor, in villa Campi Martii publicâ, contra deditio-*

ditionis fideique datæ religionem, præcidenda curaverit: alibi, ſuîs ſolius auſpiciîs, pluſquam centum millia Romanæ juventutis, ac roboris; unà cum Mario verò, plus ſuô, quàm illius, ferrô, mutuas inter digladiationes, ampliùs Quingentîs millibus, armatorum, & inermium, obtruncârit: in iis, Senatores nonaginta; conſulares quindecim; equitum Romanorum millia duo, ſexcentos. Qui cæſorum capitibus, & cruore, ſtagna decolorârit: cadaveribus campos, ac vias, ad ſilicum pene numerum, inſtraverit: arces, oppida, municipia, colonias, privatorum hominum ac publicas opes, everterit: agros, ac villas, ademerit; multitudines totas, deſolatas reddiderit: leges, ac legum immunitates, ſuſtulerit. Qui ſic ſingulos tractârit; ut, amiciſſimorum monitu, vix ſerò tandem gladium, ſuſpenderit magìs, quàm recondiderit: ſic univerſos rotârit, ut Italiæ ſplendidiſſimas, quondámq; copioſas, frequentias, Spolétum, Interámniam, Præneſte, Fluentiam, haſtæ ſubjecerit: quique ſummatim, & Domum habuerit, gladiatorũ ſpoliario, quàm penatibus patriciis, ſimiliorem; ac Dictaturam immaniùs, quàm ullus ultimæ Scythiæ tyrannus Carnificinam ſuã, exercuerit. At ſanè, poſt hæc, exuiſſe Syllam viginti quatuor ſecures illas, Tarquiniorum hæreditatem. ſed interim, & è contrario, quadraginta legionum, hoc eſt, ampli-

ampliùs, quàm centum viginti millium militum, per univerſam Italiam ſparsis, ſibique juratis, gladiis; decem præterea millibus Cornelianorum enſium, intrà Romam circumſepſiſſe ſe: ne quis unquam nocere virorum-nocentiſſimo poſſet. Et hoc, noviſſimæ vitæ ſuæ deſidiâ, tam accuratè vallatâ, quæſiſſe Syllam: ut, quantulum de ſcelerata vita Seni nequam ſupereſſet, id inter impia repudia Metellæ conjugis, inter meretricum & exoletorum obſcœna contubernia, matronarúmq; frequentata ſtupra, ſuum intrà Cumanum (quò, ſpoliatam à ſe, Romam tranſtulerit), procùl oculis Vrbis, exigeret. dignum proinde, qui jam, non caſtis Veſtalium humeris, & comitatu, funebrem ad rogum; ſed, impactô cervicibus ac maxillis uncô, conditione damnatiſſimorum quorumque latronum, traheretur in Tiberim: aut in lacum, quem, ipſe peſſimus, optimorum ſæpe mortibus implevisſet. Quàm verò convenienter eum, (ſi Superis placeret!) vitæ ſuæ ſupremum actum impleſſe? cùm &, valentiorem ſe, quàm revera viribus eſſet, fingendo, biduô priùs, quàm exſpiraret, Vitæ ſuæ Græcum Commentarium ad finem perduceret: & pridie, quàm decederet, Granium interficeret? quibus in duobus Actibus, & Simulationem ſuam, & Crudelitatem, poſteritati perpetuæ recordationis monimentis voluerit eſſe conſignatas: ne falsò dixiſſe, di-

Viven-

Vivente quondam, Carbo Conſul videri poſſet: cujus, de Sylla, judicium, vóxque, fuerit; In Unius illius animo, Vulpem pariter, ac Leonem, habitare.

Producebantur autem, adversùm hæc, ab aliis, *Syllæ laudes*: ſed profectò, partim *à longè paucioribus*; partim, *& ipſæ numerô pauciores*: eæque ferè, quibus, ante Civilium armorum tempeſtatem, vulgi commendationem promeritus eſſet: pleræque tamen, futilibus etiam rebus intermixtæ; quásq; prudentes, in nugis numerarent. cujuſmodi: *Felicem, & dictum, &, ad ſupremum uſque tempus, fuiſſe: quo tempore fatorum neceſsitas, eundem univerſis, & vitæ modum, ſtatueret, & proſperitatis. Victoriîs eum, utriuſque Solis terras, & cardines, implêſſe. liberaliter, & indulgenter, ſiquem alium antebac, ſuas in Aſia copias habuiſſe; nec tamen eas, quò minùs prælîis omnibus ſuperiores diſcederent, enervâſſe: quamvis, ex Aſia reverſus in Italiam, duces adverſariarum partium quindecim, cum totidem eorum exercitibus, inveniſſet. Marci præterea Luculli (legatorum ſuorum unius) Syllam uſum eſſe Diîs, tam faventibus: ut hi Ducis, confligere dubitantis, exercitum, ad oppidum Fidentiam, auræ mollis allapſu permulſerint; &, afflatis áffatim è prato vicino floſculîs, ora, ſcuta, galeas, perſpergentes, victoriæ ſpe certâ, ſucceſsûque, milites*

lites univerſos coronârint. Hinc Syllam, non temerè quidquam, ſinè DIs, auſpiciîs, auguriîs, & præcaptatis ominibus, tentare ſolitum eſſe: nihil, ſinè divinâ præmiſſâ re, ſinéque victimis cæsîs, aggreſſum fuiſſe. Monita præterea cœleſtium, etiam ad ſe nocturnis imaginibus ac ſomniîs delata, tam eum habuiſſe reverenter; ut, crebrîs eruditus proſperorum eventuum experimentîs, meritò ſit dicere ſolitus; Fidem, auctoritatémque rerum gerendarum, primam, Somniis eſſe tribuendam. Enimverò, ne vigilem quidem eum prodigiosîs caſibus, etiam ad oblectationem, caruiſſe; quippe, cui ſub unum quondam eundémque temporis articulum, è Metella ſua, filius, ac filia, nati ſint: quorum alteri Fauſtus, alteri Fauſta, nomen contigerit. Qui præterea, die quodam, ad Nymphæi, fontis Apollonienſis, crepidinem, herbidô campô ſtratum, ac ſomno preſſum, Satyrum, ſylvarum Numen, ſuam in poteſtatem, tanquam cervum, capreámque, redegerit: ſubindéque, denuò liberum eſſe juſſerit. Quamvis autem, Athenarum in oppugnatione, ſacrorum Academiæ Lyceique lucorum partem magnam exſciderit: id tamen ab eo, vel invitô, non Deorum contemptum ullum, ſed machinarum caſtrenſium neceſſitatem, extorſiſſe. De cætero namque, Divorum tantam fuiſſe ſemper, apud Syllam, æſtimationem: ut, Apollinis

linis ſaltem (cujuſmodi Delphis coleretur) imaginem, auro fuſam, aſſiduè circumferret: & à ſinu ſuo temerè non dimitteret.

Hæc, horúmque ſimilia, dum *exſequiæ* ducuntur, in utramque partem *dicebantur*: plura, *cogitabantur*; haud quaquam ſatìs, ac ſemper, repreſsô fremitu. Sed, qui de *Sylla* propalam ſequius loquebãtur, ac ſentiebant, (inter quos, cum factione ſuâ, *Marcus Lepidus* erat) *numero* cæterorum, ac *viribus*, & *armorum* undique collucentium *terrore*, ceu *potentiſſimo queſtuum*, *etiam juſtiſſimorum*, *fræno*, reprimebantur. Inter quæ ventum tandem ad *forum* eſt. ubi, depoſitô tantiſper, in ſuggeſtu, (pro roſtris exſtructô) *Syllæ* cadavere; quoniam *Fauſtum* filium à paternæ laudationis officio ſubmovebat ætas infirmior, Roſtra conſcendit illius ævi princeps (&; ut ego ſuſpicor, *Hortenſius*, propter *Syllanam* affinitatem,) Orator. Præſignium enim, non *Virorum* tantùm, ſed &, (ætatis præſertim provectioris) *matronarum*, laudationibus affici funera, propinquorum ore; mos priſcus erat. Producebantur igitur & tunc, eminentiſſima quæque *Syllæ* geſtorum. *In Africa, deditus ei Jugurtha: Numidia, Syllanis etiam, & non Marii ſolius, armis ſubacta: repreſſus in Aſia Mithridates;*

tes; ac manus dare coactus, dux Mithridatis, Archelaus. In Græcia receptæ, domitæq; ſociæ Pontici regis urbes: in Italia fractæ Marianæ partes: geſtus cum gloria Conſulatus: firmatum, victoriarum æterno fluxu, jus ſummum togatæ gentis: Romanæ rei conſtabilitum culmen: omnibúſque poſtea ſub unius arbitrium, Marte judice, redactis, delata Syllæ, conſenſu cunctorum, ſed acceptata conſiliô, geſtáque ſeveritate neceſſariâ, Dictaturæ poteſtas. At éadem denique, ſatis jam compoſitis omnibus, mentis excelſæ majore moderatione depoſita, quàm animi magnitudine quondam aſſumpta. Tot denique, tantáque, bellorum ejus, reductæq; Pacis, præclarè geſta: quanta, ſi ſolus ipſe de ſe (ſicut fecerit) in libros ea miſiſſet; fidem *tamen è famæ teſtimonio reperirent: & éadem tamen, ſi vel omnes ætatum omnium ſcriptores celebrarent,* finem *non inveuirent. In ſummam! Vir, ortu generis, vetuſtate nobilitatis, animi magnitudine, divitiarum copiâ, largiendi munificentiâ, litterarum utriuſque ſermonis facundiâ, Togæ majeſtate, paludamenti gloriâ, DIs immortalibus proximus! Ità Fortis, ut Felicitati nihil; ità Felix, ut vix quidquam Fortitudini, Virtutiq; ſuæ, debuiſſe, videri Sylla poſſet.*

Hîs, horúmq; ſimilibus, pro re, próque tempore, declamatîs; ad exſequiarum *Syllæ* reſiduæ feſti-

ſtinatur. Laudatum, defletum, repetitîs ac-
lamationibus honeſtatum, *funus*, ſuggeſtu de-
ponitur. Lecticam cadaveris, è Senatoribus
i, qui *ſcapularum robore* (quod *Appianus* obſer-
vat) *antecellebant*, in *Campum Martium*, (locum,
regiîs alioqui ſepulcrîs ſollemnem) deportant;
eódem, quo prius deductum ordine, pompâ-
que, corpus fuerat: niſi, quòd alii ſemper ſu-
per alios, in momenta temporis ſingula, ſpe-
ctatores deductoréſque recentiores, affluerent.
Eum in campum ſimulac ventum eſt, è *luce*
tot millium, ferales faces *Aborigenum* vetuſtiſ-
ſimô ritu quatientiũ, & ex *armorum* repercuſ-
ſo *nitore*, non ſolùm omnis latè *campus* è pro-
pinquo, ſed eminus etiam *Vrbis Romanæ* te-
cta mœniáque colluſtrata, reſplendeſcebant.
Huic porrò fulgori ſuũ dies quoque jubar ad-
junxiſſet: niſi cœlum, primô ſtatim à diluculo,
nimborum caliginosîs minîs turbari cœptum,
ſinè lumine ſyncero pependiſſet; inter ſpem
reducendæ ſerenitatis, ac pluviarum formidi-
nem, ambiguô ſemper vultu ſeſe gerens: ad
vergentem uſq; lucis decurſum. Jam enim in
nonam pomeridianam ſeſe dies inflexerat. Tan-
tò magìs igitur, priuſquam & nox, & madida
tempeſtas, irruerent, opus eſſe properatô, vide-
batur.

batur. Quocirca, *lecticâ*, quam diximus, *aureâ* cadaver eximitur. in exſtructę pyræ ſuggeſtum funebrem levatur, ac reponitur. cupreſsô, cæterique generis odoriferarum arborum ramis, ac frondibus, lege funerum conceſsis, ſtipatur rogus. Ritu priſcô deinde, propinquiſſimus quiſque, dein per ordinem cæteri, faces *averſi* ſubdunt: ac ſtruem quaquaverſum inflamant. continuóq; (tanquam tunc demum annuente, ſignificantéq;, cœlô, *Cuinam flamma vorax deberetur*), quæ ſeſe tam diu repreſſerat, exorta ventorum vis ingens, procellîsq; contortis aſſiduè gliſcens; afflatam pyram in immenſum extulit, ac diffudit: &, quod in terris *Syllanum* ſuperfuit, incendio feſtinatô, parvôque temporis intervallô, crepitantibus, & in altum elatis favillîs, abſumpſit; in *terras*, donec mundi Sæcula finiantur, haud rediturum. Inter hæc autem, & *Equitatus* omnis, armatæq; *peditum* cohortes, (*Appiani* Græci teſtimoniô), ſic traditô vetuſtiſſimæ ſuperſtitionis ritu, *circa rogum ter*, ululatu ſollemnî, *decurrebant*. Aliô verò Campi Martii locô, *fœminæ*, (quarum ingens adſtabat univerſitas) primò quidem thuris, ac cæteri generis odorum, quibus illæ pigmentariorum officinas exhauſerant, cong...

rie, flammam honorabant: *ducentis* illis, ac *decem*, de quibus dictum eſt, *feretris ferculiſve*, pariter in ignem conjectis. Deinde verò, cùm & *Syllæ Dictatoris*, & *lictoris*, ei quondam apparere ſueti, juſtę magnitudinis ſtatuas, è thure cinnamomôq;, maximis impendiis exſtruxiſſent: eas ipſas etiã incenſas adolebant; donec illas, unà cum oſſibus *Syllæ* crematas, & in pulverẽ redactas, abſumerent. Ibat igitur in altum, & longè pariter latéq; ſe diffundebat, delicatus nidor; ventosô turbine diſperſus. Sed vixdum ſatis ignis, odorúmq; nebulę, ſubſederát: cùm è nubibus, tamdiu priùs incaſsũ minacibus, ingens imbrium effuſa tempeſtas, & rogũ, & odorum reliquias, ac favillarum ardorem, totámq; *Syllæ mortui pompam*, extinxit nam *Syllam ipſum totum*, non potuit; utpote, cujus partẽ principem haberet *locus, in quo nihil extinguitur*. Interim, inconveniens non erat, apud mortales eum, & *flammis* ſimùl, & *undis*, aboleri: cujus immanitate, tot quondam inſontibus, & *igni* fuerat interdictum, & *aquâ*. Nec decebat, in omni ſemper vita *ſanguine madentem*, luctûsque publici *lacrymis* reſperſum virum, vel ſpiritûs exitum ſortiri *ſiccum*, vel buſti ſui favillam *aridam*: *Virum-Sanguinum, ac Doloſum, Su-*

perîs abominantibus. Cæterùm, cœptîs ſemel imbribus perſeverantibus; luſtricáſque funeris aſpergines, pluſquam liberaliter, ſupplentibus: poſtquam, altùm vociferata præfica, conſuetum ILICET! pronuntiâſſet; inter *ſollemnes* apprecantium laudantiúmque ritus, diſceſſum eſt: aliîs quidem, *Vale! vale! vale! nos te, quo natura permiſerit, ordine ſequemur*, clamantibus: aliîs, *Ex omni parte Beatum, etiam in Cinere, Syllam* dicentibus; ut, *quem nec Vivum Fortuna voluerit, nec Defunctum Invidia potuerit, nec Tumulandum Jovis ipſa ſedes ſuſtinuerit, violare*. Sic illi tunc quidem. At eos is, qui *Cœli Capitolium* incolit; qui, de Regibus etiam, triumphat; cujus, etiam Tyranni Dictatoréſque, ridiculi ſunt, *irridebat:* quippe, qui cantatum, & in ſublime latum, videret *Syllam*, illic, *ubi nuſquam erat*; flentem autem, & ardentem, *ubi tunc erat*.

Monimenti porrò, ferunt, Inſcriptionem, ipſomet à *Sylla* compoſitam, ejuſcemodi fuiſſe; cujuſmodi, *ſenſum* nobis potiùs, quàm *verba*, Plutarchus adnumerat. HEJC LUC. CORNEL SYLLA FELIX, SITUS EST: QVI, NEC AB AMICORUM ULLO BENEFICIIS NEC AB INIMICORUM QUOQUAM MALE-FACTIS, UNQUAM SUPERATU EST.

Hæ

Hæc habui, de *Sylla* quæ referrem, quem videmus, etſi populorum calamitatem, Italiæ vaſtitatem, libertatis excidium, Reipublicæ ſtragem ac ruinam, & generis humani publicum quoddam odium & exſecrationem, omnibus ſemper habitum; poſt depoſitam tamen, non modò *Dictaturam*, ſed etiam (quod amplius erat) hanc *mortalitatem*, tantum non *Titum* quendam, aut *Trajanum*, Imperii Romani *delicias*, & ornamenta, præluſiſſe quem utiq; (ſi Juſtitię rigor Agendorum-conſilio pręſediſſet) oportuerat, Diris ultimis devotum; & in *vita* quidem adhuc, exemplis noviſſimis excarnificatum, à *morte* verò, Canum ſonticorum morſibus diſcerptum, *in Gemonias* abjectum eſſe. Quid igitur eſt, in hoc illius funere, tam honorato? vel, in quónam laborat *Providentia divina* tardior, apud imperitos, fides: perinde, *quaſi Peſſimo cuique quàm Optimè ſit*, & *Optimo cuique quàm Peſſimè?* cùm, inter tanta cunctorum ordinum erga *Syllam extinctum* ſtudia, vident; in hoc viro, *Mortuum*, tam popularem eſſe factum; qui *Vivus*, tam fuerat univerſis inviſus. Nimirum, in *geminas*, etiam tum, *factiones* ſciſſa Roma, *malos* habuit complures, & à *Syllæ* moribus haud multùm ab-

abeuntes. habuit urbs eádem & *bonos* (quam tam illa tempora capere *bonitatem* potuerunt) ac ſcilicet, æquitatis, & humani moris, memores. Ad ſummam! *Syllanos* alteros, ac *Syllæ juratos*; alteros, *Reipublicæ* libertatíſque *ſtudioſiores*. Jam, inter geminas has animorum ſectas, etiam *bonis* (nedum *amicis* ſuis) *Sylla*, poſt depoſitam & *Dictaturam* & *Animam*, viſus eſt fuiſſe tolerabilis. Quamvis enim ſuſtuliſſet è medio plurimos; plures tamen reliquerat, tyrannidis ſuæ furiis adhuc ſuperſtites, adeóque, plurimorum mutilatis ſtirpibus, nondum tamen ad radices uſque ferrum demiſerat: acciſâ jam quidem multùm, ſed interim adhuc inextinctâ, nepotum propagine. Præterea, quantumcunq; gravem exercitæ dominationis ſenſum, & quantumlibet triſtem ſtrictarum ſecuriũ, gladiorúmque, recordationem; leniebat tamen, multorum *Syllæ* decorum ornamẽtorúmque memoria nonnulla, doloris in acerbitate pacabátq; multos, vitiis illius immixta, *virtut* (ſaltem *umbraticarum*) temperies aliqua; *gloriæque*, non plebeję, fulgor. occurrebátq; mortalibus, Syllanorum temporum atrocitatem animô retractantibus, illud, *Miſerorum Solatiu* haud poſtremum: *Se quidem tum preſſos fuiſ*

ſe

ſed, magno dignóq; ſub pede. Sub jugo gemuiſſe; verumtamen, nobilis, & ad poſteros memorandi, ſubactoris. Nam, ſi ſanè *cadendum* fuerit: *Achillis* tamen alicujus, aut *Herculis*, quàm ignavâ *Therſitæ* dextrâ, ſterni; glorioſius fuiſſe. *Reſidui ſpiritûs magnam adhuc eſſe partem; illatam, à claro percuſſore, mortem: & inſtar eſſe vitæ ſuperſtitis, necis egregium Auctorem.* Talem fuiſſe *Syllam*, recordabantur; &, è contrario, non fuiſſe, *Cinnam, Carbonem, Gratidianum, Sulpitium, Damaſippum*: à quibus tamen & ipsîs, preſſa *Roma* ſit; illorum ignominiæ turpitudine, cum magnitudine cladium, ab iis acceptarum, contendente. Certè quidem *Catuli, Cnejiq; Pompeji*, ſenſus hic, & optimi cujuſque Conſularium, erat: *Vti nemo ſatis unquam Syllam reprehenderit, iis in actis, in quibus vituperari mereretur; ità peraquè Syllam eundem, ab nemine facilè pro dignitate celebratum, in iis, fuiſſe, quæ laude digna geſſiſſet.* Hujus igitur ad *ſecurium* aſpectum aliquando contremuiſſe; quid oberat ei, qui *cervicem* nunquam ſuppoſuerit? qui *collum*, adhuc integrum, domum reportârit? quódque ſecuritatis & ſolatii caput erat; *Syllâ jam tandem fatis tranſcripto*: quo tempore, *Leonem extinctum, ne mures quidem, lepuſculique, timent.* Quod autem ad *plebis*,

bis, ſuper eo, ſenſum, habitúmque mentium, attinebat; in urbis immenſæ multitudine, nec *oculus* quidem *Syllæ*, ſingulorum cauſſas, domicilia, latebráſque, perambulare *potuit*: quantò minùs ergo colla, juguláque, *ferrum ejus* viritim pertranſire? Quinimmo, ne *voluit* quidem. Quotus enim quiſque, vel è violentiſſimis ingeniis, immanitatis ſuæ *falcem*, ad fibras uſque demittit; in omnium, ex æquo, *capitum meſſem* intentus? Aut, *quis uſqueadeo perniciosus eſt; ut non, ſaltem contemptiſſimo cuique, ſibique minimè metuendo, ſit innoxius?* Quibus igitur, è *plebecula*, vivus *Sylla* vivis pepercerat: quanquam *odiſſent, quem metuerant*; poſt fata tamen ei veniæ talionem reddiderunt: iræq; (quamvis in illum alioqui juſtiſſimæ) gratiam ejus cadaveri fecerunt. *Nec enim ad omnia violento rum funera, plebs pileata per Vrbem volat*: ut poſtea, *Nerone* ſublatô, fecit. neque, ſicut *Tiberios, in Tiberim*; ſic & *Cornelios*, raptandos in ſaxum, clamat: cùm præſertim, ejus ipſius, d qua loquor, *Vrbis*, quarta quintáve poſterita *Claudium* (principem, certè non incruentum, Divis inſeruerit: ac poſtea *Domitianū* (at, qua le *Cæſarum*, etiam hunc, *monſtrum?*) tota caſti *conſecrare*, tanquam *Indigetem*, conata ſint. Ac

cede

cedebat ad hæc; quòd *Sylla* vivens, epulô publicè, per multos dies, præbitô, tam largè populum, & tam indulgenter, habuerat; tam profusè prodigéque paverat: ut reliquiarum *aſſæ carnis*, & obſoniorum, fragmenta, quæ convivæ faſtidierant; in *repotias* deniq;, ſecundáſque menſas, Tiberinis piſcibus (ídque quotidie, profuſiſſiméque,) cederent. Tam igitur opiparè redemptus ſibi vulgi favor, à Sylla *vivente*; plauſum poſtea conciliavit, & *mortuo*. talî fartus, talî cicuratus, popinâ, *cœnipeta populus*; præteritæ feritatis omnis oblitus, tot ſalutatrices *acclamationes*, tot *gratulabundas voces*, in *falſam* Syllæ-mortui felicitatem *eructavit*: quot è menſis ejus bolos devorârat, ac cyathos exhauſerat. *Pretiô namque, paſtúque, merces omnes; omnium verò facillimè, mendaces laudes, tanquam æternæ veritatis oracula, comparantur*. Quòd autem honoribus ejus, & *armati* proceſſerint; & in armis *decucurrerint*, etiam eorum complures, quos *Sylla* nec *villis* ditârat, nec *poſſeſſionibus*, agrorúmq; largitionibus, ſicuti quadraginta legionum ſuarũ *veteranos*, ſibi demeruerat: reſponſio facilis eſt. *Turbam*, & Pompeji juſſa, Catulíque nutum, ſequebantur: nec, *pro Syllæ Cauſſâ, ſed buſto, ſtabant*; alioqui,

qui, (ſi conſentire partibus abnuiſſent) *Sylla-norum* manu, longè numeroſiore, caſuri. Quod igitur in *Vrbe* tunc *imbellis* vulgi fuit; id viris *bellicoſis*, qui pro *ſummi Bellatoris* honoribus omnia faciebant, ſubſerviebat. Cæteri, Syllani funeris in officio, quamvis Syllæ damnarent atrocitatem; exſequiarum tamen ritus implendo, communes Humanitatis leges ſequebantur, & exemplô ſuô cæteros abſolvebant: *Syllanum* cadaver, & oſſa, ſupremîs honoribus, *cineres* urnâ, *buſtum* tumulô, *geſta* denique Viventis, quantâ potuerunt, *Oblivione* poſt mortem, contegendô. Certéque, requirebat id, (ſi ſapere vellent), temporum obſequium, ac *Syllanorum* ſuperſtitum armatæ vires, & tranquillitatis publicæ (neceſſarius Romanis) amor.

Denique, quippeni *Syllam*, qualemcunque tandem, certè tamen *ave buſtuariâ* digniorem, ſic efferrent, Reipublicæ, jam tum *ſemimortua*, Cives? qui poſtea, Libertate penitùs extinctâ, majeſtate pæne monſtroſiore, *Corvum* extulerunt: ſiqua *Plinio* majori fides eſt. Hunc *corvū*, adhuc pullum, è *Caſtorum* Ædis faſtigio delapſum; volatúque, parùm etiamnum validô, delatum in oppoſitam *ſutorum* tabernam: *cerdones* educârant; ſimúlque, quotidie ſub dilucu-

lum

lum evolare, clariſque vocibus populum, ac Cæſares, ſalutare, deinde domum revolare, docuerant. Quòd autem hic, illuvie ſuâ, ſeu ſemel, ſeu frequentiùs, rudes adhuc ab opere nitidóſque *calceos* commaculâſſet; is, qui, vicinis in ædibus, illius *ſutrinæ* merces pretiô redemptas tenebat, indignitate rei commotus, *corvum* interfecit: *Conſulibus* (nam & hoc tanti *Plinius* fecit, ut apponendum putaret,) *Marco Servilio, Cajôque Ceſtio*; die quintô Calendarum Aprilis. Hujus *volucris* tam indignè tulit plebs Romana cædem: ut auctorem cædis, illâ civitatis regione, quam is incoluerat, pulſum, per tumultum paullò pòſt interfecerit: *corvo* funus, & exſequias instruxerit: lecto, pretiosè conſtrato, cadaver avis impoſuerit: feretrum, *Æthiopum duorum* (utpote, corvo cōcolorium,) humerîs efferendum curârit: tibicinem, lugubri cum cantu, præire funeri, voluerit: generum omnium *coronas*, antè póſtque, tulerit; & in *campo Rediculi* demum, *Appiæ viæ* dextrâ, *ſecundum* ad *lapidem*, in rogum ac tumulum intulerit. *Corvini* fuit hæc *funeris* magnificentia: ne quis *Syllæ* poſthac *Inferias* admiraretur. Tantò tamen, è diverſo, mirandum magìs fuerit; *Pompeji* tot *Aquilas*, ac triumphos, tot alternas

nas illius, ac Populi Romani *Salutationes*, plauſus, & acclamationes, funus, ne *Corvi* quidem exſequiis par, eſſe nactas, aut promeritas.

Nunc enim & *Cn. Pompeji* Libitínam, ejúſq; funeris dedecus, & ignominiam, paucîs ſubnectamus; ut, in utrónam fœdiùs *humana* luſerit *Vanitas*, in utramque diſputari partem poſſit. Vincet autem, ni fallor, *honore buſti*, Pompejum Sylla: Syllam Pompejus, *honorum meritis*.

Caput igitur ejus (uti dici ſuperiùs cœptum erat) *Septimii*, tribuni quondam illius, gladiô reſectum humerîs, oblatúmq; *Ptolemæo regulo*; differtum eſt medicamentîs, & odoribus: exſiccatúmque, *Cæſaris* in adventum adſervari juſſum. Huic, aliquantò pòſt *Alexandriam* navibus advecto, *caput* id (etiamnum agnitu facillimum, dejectîsq; miſerabiliter oculîs, ſoceri contuentis oculos in lacrymas impellens) *Pothini* (λ λ λ λ), velut prædicabat, donô, *Theódotu* obtulit. Erat hic, orator ille, cædis Pompejana ſuaſor acerrimus: quíq;, (ne rex dubitaret, a vereretur, occidere Pompejum), Suaſoriæ ſu ſubridens adjeciſſe ferebatur; MORTUUM NON MORDERE. Cum *capite* porrò (nequi Pompeji *Victi* non totum eſſet in manu *Victo-rus*) Pothinus & annulũ illius, *Cæſari* dandun *Thec*

Theódoto commiſit; cujus in gemmâ, *Leo* ſculptus erat, *gladium* armô tenens. Simùl autem Pothinus Theodoto, munerum hujuſmodi gerulo, tam ſuam, quàm regis, & Achillæ, navatam, in ejus adverſario tollendo, ſingularem induſtriam, mandavit commendandam. Commendavit is, uti juſſus erat: ſed, omnium ipſorum exiguô relatô manupretiô. Nam è quatuor his, interitûs *Pompejani* machinatoribus, *Achillam* quidem, ac *Pothinum*, paullò pôſt *Cæſar*; regem autem, *Nilus*, ac, paucîs pôſt annîs, *Theódotum*, extremîs laceratum tormentîs, *Marcus Brutus*, interfecerunt: tanquam *Inferias*, & piacula, *Pompeji Manibus* demitigandis, miſsa. Verùm, hæc poſteriùs evenerunt. Nos ad *Pompeji* cadaver revertamur.

Id, in littus ejectum, impius ingratúſque *Septimius*, cum cædis exſecrandæ collegîs, ſpectaculo vicinis Ægyptiis, cohortibúsq; militum, expoſuit. Quibus vix tandem, tanti caſûs ac facinoris aſpectu miraculôque, ſatiatîs, & dilapsîs: *Philippus* demum, interfecti libertus ille, qui cum *Pompejo* ſcapham pariter intrârat; aquâ (quod *Plutarchus* refert) *marinâ*, diſpoliatum amictu, corpus abluit: tuniculâque ſuâ circumvolutum, &, quoad telæ ſe capaci-

pacitas extenderet, obtectum, ad *Caſii montis* pedem pertraxit. Ibi, *rogum* meditanti, déque lignis ſarmentîsq; circumſpicienti; mons ſterilis, ac loci tractus arenoſus, nec ligna, ſupremum in officium, nec ſarmenta, ſuppeditabat. Hærebat ergo, rerum agendarum incertus; donec conſiderabundo, pérque littus oberranti, *piſcatoriæ cujuſdam naviculæ*, vieta vetuſtate, fragmenta (quæ crepidini maris aridæ jam olim adheſerāt) ſub oculos venerunt. His ille comportatis, ſuſcitatam colliſione ſilicum, flammam ſubjicit: cadaver truncum ſuperimponit: exſequias ſolitarias, luctu taciturnô, peragit. Talibus autem intento curis, forte fortunâ *Cordus* (μ μ μ μ) ſupérvenit; *Cypri*, ſub id tempus, quæſtor: *Pompejique* quondam, & ipſe, miles, atq; cliens. Hi duo proinde, junctîs operîs cumulatâ pyrâ, funere tumultuariô *Pompejum* cremant: adminiculôque nocturnæ caliginis Ægyptiorum elusîs cuſtodiîs, ſabuloſo *Caſii* (ν ν ν ν) *montis* pedi, terræq;, mandant oſſa ſemiuſta. Saxô denique littorali ſuperimpoſitô, *ſepulcrum* pariter, ac *ſepultum*, verbîs hîs, & obuſtâ navalis paxilli cuſpide, notant; HEIC SITVS EST POMPEIVS MAGNVS. Et hæc illius, quâ jugulatus is, ac tumulatus, eſt, diei fuerunt, noctîſque, geſta.

Dilu-

Diluculô verò poſterô, rerum iſtarum omnium penitùs inſciens, *Lucius* (de quo ſuprà dixi) *Lentulus*, è *Cypro*, tardiùs aliquantò ſolutâ navi ſuâ, *Pompejum* aſſecuturus; præter *Caſioticum* littus vehebatur. Conſpicatus autem, nec adhuc tamen eminus agnoſcens, & *monumentum*, & *Philippum* (ne poſtridie quidem à patroni buſto diſcedentem); *Ecquis mortalium illo loco* fatô functus, ac ſolo mandatus, *ſit?* interrogat. póſtque paullum, ingemiſcens interim, *Ah! mirum*, (clamat) *ni tumulus hic*, *Pompei, tuus eſt!* cúmque dictô, navi jam applicitâ littori, *Lentulus* exſcendebat: quid *hominis* illud eſſet, aut quid *rei*, propiùs inſpecturus. At in eum, quæ proxima ſtabat, *Ægyptiorum* armata manus, littorisq; cuſtodes, punctô temporis irruentes, voces ei ſuas reddunt; ac, *Mirum verò* (clamant), *ni ſepultus ille*, *Pompejus eſt*; *& tu*, *Pompejanus!* Interq; verba talia, novitate rei ſtupentem, &, *nec quid*, *nec quare*, *ſciſcitari* porrò ſuſtinentem, in vincula rapiunt: *regis* (ut ſuperiùs è *Cæſare* didicimus) imperiô, necem ſubiturum. Quòd autem Plutarchus, *Lentulum*, ait, *in terram egreſſum*, *inque manus Ægyptiorum incidentem*, jugulatum ab his, prætermiſsâ carceris mentione: nequaquam is, in hoc, *Cæ-*

ſari

ſari repugnat. ac, ſi repugnaret: antiquior *ſa*-
nè nobis *Cæſaris*, (hæc omnia, paullò poſt, ita
geſta reperientis), auctoritas; quàm *Plutarchi*,
poſt ſeſqui pæne centum annos ſcribentis, fi-
des, eſſe deberet. *Oſſa* porrò, reliquiæq; *minimi*
pulveris, è Duce *maximô* ſuperſtites, ad *Corne-
liam* poſtea, conjugem ejus, in *Italiam* depor-
tatę: manibus illius in *Albano* conditæ ſunt, re-
ligione funeris accuratiore. *Sepulcrum* autem,
quod dixi, *Caſioticum*, accolæ, Palæſtinis finitimi,
frequentantes; id illius effigiei *ſigillis æntis* ho-
norare, non deſtiterunt: donec, operientibus
paullatim, (ætate Chriſti, primorúmque duo-
decim Cæſarum ſæculô,) littoralibus arenis
tumulum; imagines eædem in intimum *Caſi*
Jovis templum-montanum retruſæ ſunt. quas
poſteris tamen annis (ut *Appianus*, illius ejuſ-
dem temporis ſcriptor, affirmat) *Adrianus Im-
perator*, in Orientis peragratione ſuâ tenebris
erutas, in *ſepulcrum Pompejanum*, auctoritate ſuâ
repurgatum à ſabulo ſordibúſque, repoſuit
Magníque conditorium, in ſacelli dignitatem
quandam, ac formam, evexit. Sed, quónam
(oro) *Pompeji* fructu? quóve ſolatiô? Nam i[...]
eorum tunc erat in numero, qui *Vulnerati*, *dor-
miebant in ſepulcris: quorum, & memoriam Deus*
& cu

& curam, à manu ſua procul abegerat atq; *projecerat*; ut in vaticiniis *Davidicis* eſt expreſſum. Proh! quantò molliùs igitur in *Albano* tunc, illius cubabat *cinis*; quàm ejuſdem alibi *Spiritus*, cum *Dis* ſuis, ab eo quondam cultis: *nunc autem ejus contubernalibus?*

Sed nos, omiſsis hîs, ad *caput* redimus illius, quam orſi fueramus, *diſſertationis*: credimúſq; ſatis ſupérq; liquere nũc: *Unà cum capite Pompeji, priſtinã urbis Romanæ Rempublicam concidiſſe.* Quæ tamen interim *Ruina*, ſi *mala*, ſi luctuoſa fuit: nimirum, *Divina Providẽtia*, pro more ſuo, de noſtris etiam *malis* elicere *bona* noſtra gaudens; è *collapſæ Libertatis Romanæ* ruderibus, *Monarchiam* eduxit: *initiò* quidẽ, rebus *ſacriſq; noſtris* aſperam, & adverſam; pòſt verò, ſub *Conſtantino, Theodoſiis, Carolô Magnô*, cæteriſq; ſanæ Religionis Imperatoribus, diffuſiori *Chriſtianorum, Eccleſiæq;*, propagationi perutilem: longéq;, quàm ulla *Vetus* futura *Reſpublica* fuerat, accõmodatiorem. Diffundẽdę quidem certè *Doctrinæ cæleſti*, conſtat; *Imperium Auguſtale*, tantò majoris ad ſucceſſum acrimoniæ, tantóq; brevioris compendii, fuiſſe: quantò *facilius* erat, *Uni*, cui parérent omnes, quàm *nongentis*, aut *Mille* capitibus, (ξ ξ ξ ξ) *perſuadere Veritatem*.

AVCTO-

AVCTORES.

(A) Veterem Rempublicam, *hôc locô, dicimus eam; quæ, Lucii maximè Bruti operâ, poſt ejectos Reges, Romæ conſtituta, utcunq; duravit uſq; ad viciniam Principatûs Octaviani Auguſti. De quâ Cornelius Tacitus, libro 1. Annalium, paſsim, & quidem ab initio ſtatim, loquitur. ut, e.g.* Libertatem, & Conſulatum, Brutus inſtituit. *Et infrà* Veteris Reipublicæ proſpera, vel adverſa, claris ſcriptoribus memorata ſunt. *Et;* Quotuſquiſque reliquus, qui Rempublicam (*priſcam intelligit*) vidiſſet? *Rurſúsq;, poſt paginas aliquot;* Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tanquam Vetere Republicâ; & ambiguus imperandi. *Eodem verò modô, ſemper Criſpus Salluſtius, & in Catilina loquitur, & in Jugurthâ.* (b) *Vaticinium iſtud reperitur Danielis cap. 2. à verſu 32. uſque ad verſum 45. Editum autem fuit à Daniele regi Babyloniorum Nabuchodonoſori, cognomentô, Magno, anno, à condito mundo, 3453. cùm Chriſtus Dominus ortus fuerit fine anni, poſt mundum conditum, 4052.* (c) *Nam & malis artibus ſibi regnum, interfecto per ſcelus ſocero, peperit: & partum, per ſe, pérque filios, pejùs adhuc admini-*

ſtra-

ſtravit. *Livium vide, decadis 1. libro 1.* (d) Democratiam *factam eſſe,* alterâ *præſertim plebis, in montem ſacrum,* migratione; *docent, Ioan. Roſinus, Antiquitatum libro 7. cap. 1. & Thomas Frejgius, in Altorffiana quondam Academia Rector, LL. que Doctor, Panegyri 2. de Antiquitate.* (e) *Sicut accidit Appio Claudio, Conſuli, à Lectorio, tribuno plebis, anno ab Vrbe Condita 283. Salianum vide, numero 10. in annum mundi 3584.* (f) Cajus *enim* Curiatius, *tribunus plebis, homo cæteroquin, omnium infimus, ac ſordidiſſimus, Publium Cornelium Scipionem Naſicam, agnomine Serapionem, ac Decium Junium Brutum, viros præſtantiſſimos, anno, ab Vrbe Conditâ, 615. conjecit in vincula. Ciceronem vide, libro 3. de legibus.* (g) *Quod evênit, Conſulibus Tito Romulio, & Cajo Veturio, anno, ab V. C. 299.* (h) *Vtì contigit Ca. Valerio Maximo, & Spurio Virginio, in annum, ab V. C. 298.* (i) *Eodem ipſo anno, quem modò ſignavi.* (k) *Criſpus Salluſtius, in Jugurtha.* (l) *Joann. Thomas Frejgius, panegyri 2. de Antiquitate;* Tres verò [*inquit*] ordines fuerunt [*in Republica videlicet Romanâ Vetère*]: Senatorius, Equeſter, & Plebejus. *Idem docet & Joannes Roſinus, libro 1. antiquitatum c. 17. & alii.* (m) *A multitudine namque Volſcorum occiſus eſt lapidibus; ut Plutarchus in Coriolano, ac Dionyſius,*

affirmant. Dionyſii Halicarnaſſei, libro 8. Originum Romanarum, verba ſunt. ἀναβάντος δὲ τοῦ ἀνδρὸς (Μαρκίου) ἐπὶ τὴν ἀπολογίαν, βοή τε πολλὴ, κωλύουσα τοὺς λόγους, ἐκ τῆς ἑταιρείας, τῆς περὶ τὸν Τύλλον, ἐγένετο. καὶ μετὰ ταῦτα, Παῖε, καὶ Βάλλε, φωνοῦντες, περιϊστάντες αὐτὸν οἱ θρασύτατοι, καὶ συναράττοντες τοῖς λίθοις, ἀποκτιννύουσιν. *Ex quibus vides, Marcium Coriolanum, pro ſua cauſſa dicere conantem, à factione Attii Tulli, æmuli & inimici ſui, prohibitum, ac ſaxîs conciſum fuiſſe, ad mortem uſque. Qui verò leniſſimum ei ſupplicium tribuunt, ii tradunt; Eum in exilio, inglorium, magnáſque inter ærumnas, conſenuiſſe.* (n) *Coriolanus enim relegatus erat anno V.C. 263. Caſſius autem, morte affectus, anno ab V.C. 269. Conſulibus Q. Fabio Vrbulano, & Servio Cornelio Maluginenſi. Livius, Dionyſius, Valerius Maxim. libro 6. c. 3.* (o) *Joann. Roſinus Antiqq. Romanar. l. 7. cap. 1.* Quando Tribuni plebis [*inquit*] contra Patricios, & majores magiſtratus, tumultuati ſunt, & ſeditiones excitârunt; uti, tum ſæpe aliàs, tum paullò ante Decemvirorum creationem, [*de qua, hac in Ruina, ſtatim memorabitur,*] & Gracchorum Tribunatu, factum; Ochlocratia effecta fuit. *Hæc ille. Paullò fortaſſis aliter Joannes ſentit Bodinus, in Methodo ſua hiſtoricâ, cap. 6. ſed, cujus ſententia, quæ de Po-*

de Polybii, Ciceronis, ac Dionyſii Halicarnaſſei, temporibus, & ſenſu, loquitur, noſtra non officiat. (p) *Vide Roſinum, antiqq. libro 8. c. 6. ubi eas appellat,* Præcipuum Romanæ prudentiæ Caput, & *ipſe in eas commentatur. In fine verò lucubrationis illius dicit;* In ea ſe tantùm fragmenta, quæ ſuperſint, *commentariolum illum ſcripſiſſe.* (q) *Ità* Montem Sacrum *appellat Abrahamus Ortelius, in ſua* Latii *tabula Geographicâ: quem collem, ſupra Romam, ad Septentrionem, ac ponè dextram Aniènis ripam, inter Collatiam oppidum [in quo vim paſſa* Lucretia *erat]* & *Anienem flumen, collocat.* (r) *Vt, Spurio Oppio: qui accuſatus, damnatus, in cuſtodiam traditus,* &, *eodem adhuc die, necatus eſt.* (s) *Velut accidit anno, ab V. C. 328. quo tempore tres Tribuni militares, Conſulari poteſtate, in caſtra egreſſi ſunt: Coſſus autem, urbi præſidio remanſit. Anno ab V. C. 329. Quatuor nominantur: ut* & *anno pòſt. V. C. 330.* (t) *Hoc Tit. Livius tradit, initio libri 5. Cui fidem abrogare Roſinus nititur, libro 7. antiquit. cap. 20. non negans quidem,* Octo, *ab Livio numeratos, ibi reperiri; ſed contendens, Locum illum auctoris corruptum eſſe: propterea, quòd, apud nullum auctorem alium, ejus loci mentio fiat. Idq; ait,* & *Carolum Sigonium aſſerere:* & *in Faſtis quoque Onuphrianis,* & *Golzianis,*

prætermiſſos eos fuiſſe. Sed profectò, argumentum hoc Roſinianum majus non eſt, quàm (*velut in* Scholis *loquimur*) negativum. *Et fides ſemel, nullâ urgente ponderoſiore cauſſâ, veteri præſtanti auctori, in una, nec magnâ, re detracta; fores aperiet, ad eandem & in pluribus aliis* [*quæ fortaſſe recentiorum nonnullis, quia diſplicita, ideò prætermiſſa ſunt*] *audaciâ pari abrogandam.* (u) *Ità de* Tribunatu militum Conſularis poteſtatis, *loquitur Jacobus Salianus, in annum, 3655. num. 4. Neque mirum: cùm Poteſtatem haberent Conſularem; ac ſolum eis* nomen *abeſſet Conſulum. unde dici jurè poterant,* Snmmô in Republica honore functi. (x) *Cujuſmodi fuerunt, Ædiles - Curules, Prætores, Cenſores, Conſules: quibus jus pariter ex eo magiſtratu erat,* Imaginum *ſui ponendarum. Quod jus, initiò,* Patriciorum *duntaxat fuerat; ſicut & ipſi tunc magiſtratus illi. Vide Roſinum lib. 1. antiqq. cap. 19.* (y) *Salianus, fine anni 3688.* (z) *Id Publ. Decius Mus poſtea, anno poſt V. C. 453. exprobravit Appio Claudio. de quo vide Livium lib. 10.*

(A a) *Computatis videlicet, primô, & ultimò, annîs, ad annos reliquos intermedios illius ſeptennii. Galli enim, à Manlio, de monte Capitolino deturbati ſunt, anno, ab V. C. 364. Ipſe verò indidem præcipitatus, annô V. C. 370. ſicut in corpore Ruinæ expreſſi.*

expreſſi. (bb) *Simùl nempe numeratô primô, & ultimò: cùm annô, ab V.C. 370. Manlius perierit. Anno verò, ab eâdem Conditâ 576. ſeditio illa mota ſit.* (cc) *Bienniò nimirum, ante bellum Punicum Tertium: quod geri cœptum eſt anno, ab V. C. 604.* (dd) *Vellejus Paterculus l. 2. tribuit* Viriathico bello *20. annos. Sed revera, Viriathus bellum ipſe, per ſe, annis non niſi* duodecim *adminiſtravit. Cùm enim bellum Celtibericum cœptum eſſet, annò ab V. C. 600. & ad illud ſe adjunxiſſet* Viriathus *annò demum tertiò, hoc eſt, eò, qui fuit ab V. C. 602. occiſus verò ſit anno V. C. 613. non potuit bellum, Viriathi ductu, niſi in annum, ut ſummùm, duodecimum, fuiſſe geſtum. Dicitur tamen* Viriathicum *durâſſe annis 14. laxiùs de eo bello nonnihil loquendo: ſi ſcilicet, etiam primum belli Celtiberici biennium illius Ducis nomini*, tanquam à potiore, *adſcribatur. Poſt Viriathum autem, adhuc continuatum id bellum eſt, uſque ad annum ab V. C. 620. quo anno Numantia, à Scipione Africano Minore, deleta fuit.* (ee) *Neque tamen ea pax Romæ, ante quartum annum, confirmata eſt. ut ait Appianus, in Syriacis.* (ff) *Paulus Oroſius teſtis: & ratio evincit. Nam* initium *illius incidit in annum, ab V. C. 672.* finis *autem, in ann. ab eâdem condita, 681.* (gg) *A Sabinorum enim parte, cécidit*

dit Herdonius, *telis Romanorum ſuperobrutus: è Romanis autem, Conſulum alteruter; qui tunc erant, Publ. Valerius Poplicola, & C. Claudius, cognomentô Sabinus. Porrò, Salianus, in annum mundi 3595. num. 24. totum iſtud,* Latrocinium *potiùs, quàm* Bellum, *nominat.* (hh) *Non ſinè cauſſa id dico. Nam & Salianus, narratâ Tiberii Gracchi cæde, in annum mundi 3921. num. 22. ad ejus finem adjungit.* Multa [*inquit*] deinceps domeſtica Romana funera, ab his initiis, reperientur. (*ii*) *Pater eorum fuit,* Sempronius Gracchus: *mater* Cornelia, *cujus doctrina fragmenta bodie adhuc, etſi pauca, circumferuntur; ſubnexa claris Imperatoribus Cornelii Nepotis. Cujus item* doctiſſimum ſermonē in Epiſtolis ad poſteros traditum eſſe, *Fab. Quintilianus affirmat, apud Joannem Britannicum, in 6. Iuvenalis Satyram. Hujus ejuſdem inſigni cum laude meminit* M. Giſelerius, *Commentariô in Cantica Canticorum, occaſione verborum, ni fallor,* Collum tuum, ſicut monilia. *ubi refert è priſcis ſcriptoribus, Eam mulieribus Campanis, torques ſuas, armillas, ac muliebrē mundum, alternis oſtentantibus, & oſtendi flagitantibus,* Gracchulos ſuos, *è litterario ludo redeuntes, monſtrâſſe, dicendo;* Has, è viro ſuo Sempronio, torques, armillas, & monilia, ſe poſſidere. *Quod idem axio-*

axioma Corneliæ Ioann. quoque Britannicus adnotavit, in ſexta Iuvenalis Satyra verba illa, Malo Venuſinam, quàm te, Cornelia, mater Gracchorum. *Ejus verò incontactam ante nuptias integritatem, è recentioribus Claudiani Commentatoribus nonnemo celebrat. Quod autem eam Appianus l. 1. Civilium bellor. ſuſpicione aſpergit interfecti generi ſui, Scipionis Africani Minoris: id à moribus ejus abhorret. Erat autem Cornelia iſta, Publ. Scipionis Africani Majoris, filia.* (kk) *De his Plutarchus, in vita Gracchi. Vellejus libro 2. Livius libro 38. [cujus epitoma ſupereſt]. Paulus Oroſius libro 5. cap. 9. &, poſt Plutarchum, exactiſſimè Appianus Alexandrinus; ut & alii, perfunctoriè ſaltem, tam de* Tiberio,*quàm de* Cajo *fratre; Cicero v. g. non uno loco, in Officiis, & alibi: ac Salluſtius in Iugurtha, oratione* C. *Memmii. De cæde Tiberii Sempronii Gracchi, poſt multa* παθητικῶς *narrata, Appianus, poſt initium libri 1. bellorum civilium [ſeu* ἐμφυλίων*] ità claudit rei geſtæ ſeriem.* καὶ τῷδε τῷ κυδοιμῷ, πολλοί τε τῶν Γρακχείων, καὶ Γράκχος αὐτὸς, εἰλούμενος περὶ τὸ ἱερὸν [τοῦ Καπιτωλίου *videlicet*] ἀνῃρέθη παρὰ τὰς θύρας, παρὰ τοὺς τῶν βασιλέων ἀνδριάντας. καὶ πάντας αὐτοὺς νυκτὸς ἔρριψαν εἰς τὸ ῥεῦμα τοῦ ποταμοῦ. *addit.* οὕτω μὲν δὴ Γράκχος, ὁ Γράκχου, τοῦ δὶς ὑπατεύσαντος, καὶ

Κορνηλίας, τῆς Σκιπίωνος &c. παῖς, ἀνῄρητο, ἔτι δημαρχῶν, ἐν τῷ Καπιτωλίῳ. *Ex quibus videas*, In ipſo adhuc Tribunatûs magiſtratu, *Tiberium fuiſſe ſublatum; eúmque nepotem Scipionis Africani Majoris: cùm matrem ejus dicat*, τὴν Σκιπίωνος, τοῦ Καρχηδονίους τὴν ἡγεμονίαν ἀφελομένου. (*jungitur enim* ἀφαιρέομαι *duobus etiam accuſativis*). *quibus is verbis* Africanum Majorem *circumloquitur; qui* Summum Imperium, tantummodo, *Carthaginenſibus* abſtulit; non autem, *ut Africanus Minor*, Καρχηδόνα *ipſam* [*ut Appianus inferiùs de Scipione Minore loquitur*] ἐπόρθησε, vaſtavit, & excîdit. (ll) *Perperam Carolus Stephanus*, & *ante eum Lexicographi, quos ille ſecutus eſt, tradunt*, Bienniô pòſt: *cùm* Cajus, *minimùm* octo *pòſt* annîs *demum, in Tribunatu primas movere turbas cœperit; hoc eſt, anno, ab V.C. 628. cùm frater ejus* Tiberius *perierit anno, poſt V. C. 620.* (mm) *Aliter enim Plutarchus, in Vita Gracchi, aliter Livius, hoc loco, tradunt, actum eſſe circa* Judicum conſtitutionem: *aliter Appianus denique, libro 1. bellorum* Civilium. *quorum poſtremus ait*, Judicium à Senatu penitùs ad Equeſtrem ordinem tranſiſſe, rogatione Gracchanæ legis. (nn) Pater *enim* Corneliæ, *Scipio Africanus Major, in vico* Campaniæ, *Linterno, ſeu Literno, haud aliter*

aliter ferè, ac ſpontaneô in Exilio, *conſenuerat, ac deceſſerat*. Vir *ejus*, *Tib. Sempronius Gracchus*, *mortem, liberis immaturam, obierat*. *Filiorum autem interitus, noti ſunt, è corpore Ruinæ bujus*. (oo) *Trimalcionis, apud Arbitrum, in Noctibus Neronianis*, amphoræ vitreæ gypſatæ, in pittaciis, quæ amphorarum erant cervicibus affixa, hos habebant titulos. FALERNUM OPIMIANUM, ANNORUM CENTUM. & *Trimalcionis ipſius verba ſunt*: VINUM EST OPIMIANUM præſtò. heri, non tam bonum poſui; & multò [*tamen*] honeſtiores cœnabant. *Et Cicero, apud Scholiaſten Arbitri*. Ut, ſiquis Falernô vinô delectetur, nec ità novô, ut proximîs Conſulibus natum, velit; nec ità vetere, ut Opimium aut Anicium Conſules quęrat. *Ergo* Vinum Opimianum, *eo anno, quo* Luc. Opimius Conſulatum *gerebat*, *natum*, *primò* muſteum *admodum*; *poſtea ſenſim* virilius, & generoſius, *evadebat*. (pp) *Quod & Criſpus Salluſtius in eo crimen agnoſcit: dum eum, legatorum decem, qui in Africam miſſi fuerant, ad regnum Numidiæ inter Adherbalem ac Iugurtham dividendum, dicit, principem, ac potiſſimum, fuiſſe*. quem [*inquit*,] Jugurtha cupratiſſimè recepit: dandóq;, & pollicendo multa, perfecit; ut famæ, fidei, poſtremò, omnibus ſuis

ſuis rebus, commodum regis anteferret, &c. *Quem nihilominus* Cicero, *oratione in Lucium Piſonem, contendit*, Injuriâ damnatum à populo fuiſſe. *Vſque adeò, quot capita, tot, de uno ſubinde eodémque capite, ſententiæ.* [qq] *Hæc è Saliano noſtro, de Gravitate Æmilii Scauri, memorare libuit, in tranſitu: quò Scaurorum, quorum tanta generis erat vilitas, ac tam intoleranda tamen ſui æſtimatio, cùm originis atque vetuſtatis ementita jactantiâ; inculcaretur* novitiæ *quorundam, noſtri quoque ſæculi*, Ceræ: *ad retundendam nonnihilo pudendam eorum inſolentiam, Deo inviſam.* (rr) *Officiorum libro 3. circa medium ferè libri, ſic Tullius loquitur.* C. Marius, cùm à ſpe Conſulatûs longè abeſſet, & ſeptimum annum poſt Præturam jacéret, neque petiturus unquam Conſulatum videretur; Q. Metellum, cujus legatus erat, Summum virum & civem, cùm ab eo, Imperatore ſuô, Romam miſſus eſſet, apud Pop. Romanum criminatus eſt; bellum illum (*contra Jugurtham*) producere. ſi ſe Conſulem feciſſent; brevi tempore, aut vivum, aut mortuum Jugurtham, ſe in poteſtatem populi Romani redacturum. Itaq; factus eſt ille quidem Conſul, ſed à fide juſtitiáque diſceſſit: qui optimum & graviſſimum civem, cujus legatus,

tus,& à quo miſſus eſſet, in invidiam falsò crimine adduxerit. *Et inferiùs.* Poſſumúsne Marium virum bonum judicare? *(ss) In hunc modũ, Livius, Eutropius, Oroſius, qui, eum* juſſu Marii ſtrangulatum, *ſcribunt*; *& Plutarchus, qui,* eum cum fame SEX dies luctatum, tradit, *inter ſeſe conciliantur. Potuit enim revera contigiſſe Iugurthæ, quod Eúmeni Cardiano: quem (ut in ejus vita Cornel. Nepos ſcriptum reliquit)* Tridui fame fatigatum, demum è cuſtodibus quidam jugulavit. *Cæterùm, exitum vitæ regis Iugurthæ breviter Plutarchus, ac dilucidè tamen, hîs, interprete Xylandrò, verbîs exſequitur.* In triumpho inductus Jugurtha, de poteſtate rationis exiit: ac, pòſt in carcerem conjectus, * nudus in barathrum detruſus eſt. Ibi perturbatus planè, vultu in riſum versô; *Hercules! inquit, Quàm frigidum nobis eſt Balneum?* Sex totos indè dies cum fame colluctatus, & ad extremam uſque horam cupiditate vitæ ſuſpenſus, dignas tandem flagitiis ſuis pœnas dedit. *(tt)* Pluſquam centum millia, *partim capta, partim occiſa, nonnulli tradiderunt. Alii, cum Paulo Oroſio, & Epitoma Livii* 68. *diſtinctè,* ducenta millia necata, nonaginta *verò* millia capta, *confirmant.* (uu) Teútonas *etiam, illi prælio* Cimbrico

brico *interfuiſſe, barbaris cæteris immixtos*; *patebit inferiùs, in periculo captivi C. Marii*. [xx] *Anno videlicet ab V. C. 628*. [yy] *Idem, ſed diverſis verbis, Iacobus Salianus refert, in annum mundi* 3955. *num.* 5. [zz] *Hoc eſt, longè petito ſermonis argumento, & de induſtria undique decerptis, eòque detortis, verbis. Sic apud Satyricum Neronianum loquitur Gyton*. Cûmque diu mecum eſſet locuta, & me, accerſitô ſermone, laſsâſſet: ultimò cœpit dicere, te noxam meruiſſe. &c.

[Aaa] *Alluſum hoc imperio, quo ſe Dux iſte* Μάνιον *profiteri cogebatur, Mithridates rex utiq; ſimul voluit, ad vocem Græcam* μανίαν: *quæ* furorem *notat, ac* væſaniam. [bbb] *Suidas, verbo* Σύλλας. Ἐξ ἀνεφέλου (*inquit*) τοῦ ἀέρος, καὶ αἰθρίας πολλῆς, ἦχον ἀκουσθῆναι [φασὶ] σάλπιγγος ὀξὺν ἀποτεινούσης, καὶ θρηνώδη φθόγγον. καὶ τοὺς μὲν ἀκούσαντας ἅπαντας ἔκφρονας, ὑπὸ δέους, γενέσθαι· τοὺς δὲ τυῤῥηνῶν μάντεις, μεταβολὴν τοῦ γένους, καὶ μετακόσμησιν, ἀποφήνασθαι, σημαίνειν τὸ τέρας. (ccc) *Huc digitum intendit, apud Criſp. Salluſtium in Catilina, Publ. Cornelius Lentulus, cognomento* Sura; *è libris Sibyllinis narrare ſolitus, & jactare*: Regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Lucio nimirum Cornelio Syllæ, Lucio Cornelio Cinnæ, & ſibi Cornelio Lentulo. [ddd] *Appianus* τῶν ἐμφυ-

ἐμφυλίων libro 1. & Plutarchus, in Mario. ubi tamen & narrationem pariter illam, & Muſæum poëtam, in ſuſpicionem, incorruptæq; fidei dubium, adducit. (eee) *Delibantur hoc locò verba Criſpi Salluſtii: quibus is, de Mario triumphante agens, Iugurtham ſuum claudit.* (fff) *Ciceronis Orationem vide, pro Sexto Roſcio Amerino, ante medium.* (ggg) *Hic eſt* Damaſippus *ille, cujus commeminit C. Jul. Cæſar, oratione ſua apud Salluſtium, pro Impunitate conjuratorum Catilinæ.* (hhh) *Plutarchus, & ex eo Eutropius, ſic eum appellant. Alii,* Hieram, *aut* Hierdam, *&* Hiertam. (*iii*) *Sub calcem totius Ruinæ præſentis; occaſione ſepulturæ Pompejanæ.* (kkk) *Portam* Collinam, *ait Carolus Stephanus, eandem eſſe cum* Salaria: *quam, dicit, in Colle eſſe Quirinali. Quod tu intelligas, in parte quadam collis Quirinalis: cujus plures fuiſſe* colles particulares, *Ioannes Roſinus adſtruit, libro 1. antiquit. c. 6. è Varrone. Ab his porrò, quæ dixi, non diſſidet Ioann. Britannicus, in Satyræ ſextæ Iuvenalis verſum 291.* Hannibal, & ſtantes Collinâ turre mariti. *Vide etiam Bartholomæi Marliani librum 1. topographiæ urbis Romæ, cap. 7. & 8. ubi* Portam *eandem,* Quirinalem, Agonenſem, Collinam, *& in Indice, necnon cap. 8. lib. 1.,* Salariam *quoque nominatam, ait.* (lll) *Nam ferè* Calen-

lendæ Novembres priſcæ, *tam ante faſtos Iulianos, quàm, iis jam conſtitutîs à C. Cæſare, incidebant in noſtratis* Calendarii *[Gregoriani] diem Novembris XI. quæ nunc S. Martino ſacra.* (mmm) *Tot enim Annæus Seneca numerat, libro 1. de Clementia, cap. 12. cùm Plutarchus in Sylla, longiuſculè antè finem,* Ad ſex millia circiter, *dicat, in Circo occidi juſſa ab eo. Appianus verò, libro 1.* τῶν ἐμφυλίων, *cùm reliqua narret, & concionem à Sylla habitam; hoc factum tamen eo loco præterit. Dionyſius autem Halicarnaſſéus, fine libri 5. ait; Civium quoque, præter eos, qui præliis abſumpti ſunt, dedititiorum, interfeciſſe Syllam,* non minùs quatuor millia: *& ex his, aliquot, priùs excruciatos. Vide & Roſinum libro 7. antiquitatum, ad finem capitis 17.* (nnn) *Ad imitationem Terentianæ phraſeos Eunuch. Act. 4. ſcenâ. 3. ubi Phædria,* Neſcio, quid, abſente nobis, turbatum eſt domi. *(Attico loquendi more.) Emmanuelem Alvarum vide, de Solœcóphane: & Ioann. Suſenbrotum, in Tropis, &c.* (ooo) *Hic* Lacus *in quánam ex* Quatuordecim urbis Romanæ regionibus *fuerit, neſcit Roſinus, lib. 1. Antiquitatum Romanarum cap. 13. ac Thomas Dempſterus, in eundẽ locum, diſſimulat.* (ppp) *Seneca citatus, libro 1. de Beneficiis, cap. 12.* Lucium (*inquit*) Syllam, appellari Tyrannum, quid pro-

prohibet? cui occidendi finem fecit, inopia hoſtium. *De ejuſdem crudelitate, per omnes terras reſtagnante, eſt & illud apud Arbitrum, in prolixo illo Heroico apocommate, de bello civili, ad Fortunam.*

Jam pridem nullô perfudimus ora cruore,
Nec mea Tiſiphone ſitientes perluit artus;
Ex quo Syllanus bibit enſis, & horrida tellus
Extulit in lucem, nutritas ſanguine, fruges.

(qqq) *Iacobus Salianus, in annum mundi 3973. num. 6.* (rrr) *Suetonius Tranquill. in vita illius, cap. 1.* (sss) *Ad Marciam, cap. 12.* (*) *Hanc,* viginti quatuor ſecurium, *pompam ſeveritatemque* regiam, *è recentioribus nonnemo, Chronologus cæteroquin accuratiſſimus, infirmare, locô ſuorum Annalium, pluſquam unô, videtur. nominatim autem, & præcipuè, in annum mundi 3605. cum numero 6. ſcribit;* Decemviros, cum ſecuribus *duodenis*, ad lictorum faſces additis, *Vt olim Reges*, in publicum prodiſſe. *In annum autem mundi 3973. earundem ſecurium numerum,* octo *ſuperadditis, auget; itidémque* Regium *facit. &, quod magis admireris, ex Appiano, ut ait. Ejus namq; verba ſunt n. 4.* Ipſe enim Sylla [*inquit Appianus*] jam planè regnans Dictator, Conſulibus præerat. Nam & Secures ei Viginti præ-

præferebantur, ut olim Regibus, & Dictatoribus, &c. *Revera tamen Appiani verba Græca, lib. 1. τῶν ἐμφυλίων, iſta ſunt.* αὐτὸς δὲ, [Σύλλας] οἷα δὴ βασιλεύων, δικτάτωρ ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις ἦν· πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο πρὸ αὐτοῦ, οἷα δικτάτορος, εἴκοσι καὶ τέσσαρες, (ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο). *&c. Quo loco, vides; ab Appiano, nec 12. nec 20. ſecures, regio in publicum progreſſui, Syllanæq; potentia, tribui: ſed (ut ego poſui)* viginti quatuor. *Tanti nimirum refert, Auctorum Græcanicorum, quoties ad manum ſunt, fontes ipſos inſpici!* (ttt) *Alluſum, ad illud pſalmi 113. verſu XI. Deus autem noſter in cœlo. &c.* (uuu) *Fragmenta Faſtorum Capitolina, octodecim millia numerârunt. uno verò millenario minus, Plutarchus, in Pompejo.* (xxx) *Nam* annum viceſimum ſextum *jam inchoârat. Livius autem, epitomâ 89. tradit,* Eum 24. annos fuiſſe natum. *Sed is videlicet, primum & ultimum, ex annis 26., velut inexpletos, à Conſulum annis alioqui numerandos, non adnumerat cæteris* calculi Conſularis *annis.* (yyy) *Ità Suidas eam nominat. in quo tamen, exiguâ litterulæ unius variatione, cæterarum autem tranſpoſitione, factam ab eo metathеſin, agnoſco: ſic, ut pro* Βαλερία, *ſeu* Οὐαλερία *Latinorum, ſcriberet ipſe* Λαβερίας. *Verba Suidæ, ſunt iſta.* Σύλλας, ὁ ὕπατος, εὐτυχῆ ἑαυτὸν

τὸν ἐκάλει, καὶ ἔγραψε. καί ποτε Λαβερία ῥωμαία γυ-
νὴ, οὐκ ἀφανὴς, ἐξόπισθεν τοῦ Σύλλα πορευομένη, ἐπι-
βάλλει τὴν χεῖρα, καὶ κροκίδα τοῦ ἱματίου σπᾷ. τοῦ
δὲ ἐπιστραφέντος, Οὐδὲν δεινὸν, εἰπεῖν, αὐτοκράτωρ·
ἀλλὰ, βούλομαι κἀγὼ τῆς σῆς μικρὸν εὐτυχίας μετα-
λαβεῖν. τὸν δὲ ὑπερησθῆναί τε τῷ ῥηθέντι, καὶ μετὰ μι-
κρὸν ἀγαγέσθαι ταύτην γυναῖκα. *Hæc Suidas: qui
fortaßis etiam hanc fœminam alicubi legerit* bi-
nominem; *ut* Laberia-Valeria *diceretur. cùm
præſertim Romæ nec* Laberiorum *familia noméq;
eſſet* ἀφανές. *At Plutarchus ità refert hoc* Vale-
riæ *factum: ut* περιστάσεις *etiam addat, haud qua-
quam negligendas. Narrat enim: Poſt Metellæ mor-
tem, in Gladiatorum ſpectaculo, quo tempore adhuc
promiſcuè viri fœminæq; in theatris ſedebant, pro-
pe Syllam ſediſſe Valeriam, elegantis formæ, fami-
liæq; ſplendidæ, fœminam, Meſſalæ filiam, Oratoris
Hortenſii ſororem; nuper à marito ſuo priore repu-
diatam. Hæc (ait Plutarchus) à tergo Syllæ tranſi-
ens, manu ei immißâ filum è toga (quam Suidas
ἱμάτιον nominat; Interpres,* Pallium, *ceu* ἱμάτιον *id
potiùs, quàm* togam, *ſeu* τήβενναν, *ſignificaret)
extraxit: & ad ſedem ſuam rediit. Cùm Sylla, ad-
miratione motus, reſpiceret; Nihil (inquit ea), ô Di-
ctator, mali eſt. Volo enim ipſa quoque aliquantu-
lum de tua Felicitate participare. Non injucundum
id,*

id, Syllæ, dictum fuit: ſtatimque haud obſcurè titil-lationem indicavit. Miſit enim, qui de nomine, genere, vitâque ejus, percontarentur. Hinc mutui intuitus, crebræq; utrimque faciei obverſiones, & blandi riſus. ad extremum, pactiones etiam nuptiales. Et Sylla demum Valeriam, etſi pudicam, & nobilem, non tamen ipſe initio uſus pudico & honeſto, duxit: aſpectu videlicet, & laſcivâ facetiâ, unde affectus moveri turpiſſimi atque impudentiſſimi ſolent, pueri inſtar, ductus. Iſta, quamvis Idololatra, Chriſtianè *tamen dehortans ab* Oculo malo, *Philoſophus Chæroneus ſcripſit*. (zzz) *Ioan. Roſinus l.7 antiquitatum Romanarum, cap.23. ad finem.*

(Aaaa) *Plutarchum habes, hujus rei teſtem cujus, in Syllæ, quod unicum eſt, apophthegmate verba ſunt*; Σύλλας, ὁ Εὐτυχὴς ἀναγορευθεὶς, τῶ μεγίςων εὐτυχιῶν ἐποιεῖτο, τὴν Πίου Μετέλλου φιλίαν, καὶ τὸ μὴ κατασκάψαι τὰς Ἀθήνας, ἀλλὰ φείσασθαι τῆς πόλεως. (bbbb) *Libro 1. hiſtoriarum Criſpi Salluſtii.* (cccc) *Ibidem. cui Satyra Lepidi ſubnectitur, è diverſo, oratio Lucii Philippi, adversùs Lepidum, inſcripta.* (dddd) *Lucius Annæus Seneca, epiſtolâ XI.* (eeee) *Lepidus enim Norbam quoque, Campanorum oppidum, proditione ceperat, pro Syllæ partibus: ut ait lib. 1. Civilium bellorum Appianus: & è civium, Syllano tempore pro*

proſcriptorum, bonis, quæ ſub haſta venierant, ipſe, ſe, fatetur, emiſſe quædam: apud Salluſtium, lib. 1. hiſtor: oratione ad Quirites, contra Syllam. (ffff) *Eodem libro 1. oratione, contra Marc. Æmilium Lepidum.* (gggg) *Ieremiæ c. 10. verſu 25.* (hhhh) *Ad Romanos, cap. XI. verſu 21. & 24.* (iiii) *In Catilinaria, poſt initium.* (▽) *Domitium Calderinum vide, in libros epigrammatum Martial. lib. 13. epigr. 59. & 62.* (kkkk) *Iun. Iuvenalis fragmentum eſt, è Satyra 6. Quod porrò, de vino, Romanis matronis interdictô, paullò ſuperiùs dicitur; ſcribit in eandem Satyram Britannicus: Patres, propinquóſque alios, occurrentibus ſibi filiabus, ac fœminis propinquis, ſolitos fuiſſe* φίλημα *pangere: ut explorarent, Númnam temétum redolerent? Idque, ait, Catonis fuiſſe reſponſum, apud Plinium, lib. 14. naturalium.* (llll) *Vſque ad hunc enim annum excluſivè, nec ulteriùs, pueri prætextam ætatulæ ſuæ geſtabant. De cujus moris origine Roſinum vide, libro 5. antiquit. cap. 32. ubi narrat, de Puero quatuordecenni, bello Sabino in aciem prodire auſo; hoſtémque manu ſuâ percutere.* (mmmm) *Decadis 1. libro 8. elegantiſſimè. quod proinde legi, fuerit operæ pretium. Vegetius item, Polybius l. 6. Ioſephus Flavius, Anaſtaſius à Valle Quietis, in Face; Ioan. Roſinus lib. 10. Antiquitatum Romanarum: apud quem & cæterorum*

rum quorundam, quos nominavi, loca citata vide, in ipſa libri illius Præfatione.

Quod autem hoc loco de Militari Romanorum ordine diſtributioneq; dicimus, & ex auctoribus adductis ſtabilimus: idem etiam univerſim, de Capitis hujus, ac præcedentis, teſtimoniis, quin & de bello poſtea Civili Pompejano, fieri conglobatè debet. Nam earum, quæ in utroque proferuntur, Antiquitatum, Auctores iidem ferè ſunt, quos nominavi; ſuo quiſq; in argumento. Præterea verò, Marc. Tull. Cicero, in epiſtolis præſertim ad Atticum, & Orationibus Philippicis: Suetonius in Iulio; Lucanus, in Pharſalia; Lucius Annæus Florus; Lucius Annæus Seneca, Philoſophus; Vellejus Paterculus, Valerius Maximus, Epitomatores Livii & Pompeji Trogi, C. Plinius Major, Iun. Iuvenalis. E Græcis, Appianus Alexandrinus, Dio Caßius, Plutarchus, Pauſanias, Athenæus, Diodorus Siculus, Suidas. E poſterioris veri memoria claris Antiquitatum Romanarum expoſitoribus, Ioan. Britannicus; & Scholiaſtes, qui dicitur Vetus, in poëtam Aquinatem: Domitius Calderinus, in Martialem. Ioannes Schildius in Suetonium Ioannes à Woweren, in Arbitrum: Ioannes Buno Italiæ Antiquæ Cluverianæ breviator: Simon Majolus, in Canicularibus: Arnoldus Montanus, in Caj. Iul. Cæſarem: Iſaacus Caſaubonus, aliique. ſe

Vnus

Vnus, aliorum omnium velut oculus, ac Sidus, & χειραγωγός, Juſtus Lipſius, *in omni genere lucubrationum ſuarum, de Romana magnitudine, militiâ, ritibus, aliiſque memorandis. quæ redegit etiam in compendium Anaſtaſius; ſtudiô ſuo, quàm præli ſucceſſu, felicior: idque culpâ librariorum, & quarundam officinarum, damnabili; quæ tamen (prob facinus!) errores ſuos adhuc pretium faciunt: & (quod pejus eſt) impune.* (r) *Hujus loci memini quoque libro 1. Deliciarum Veris, Elegiâ XX. & libri 2. eleg. XVII.* Caſtra mihi patrium ſunt Fabiana ſolum. *Hæc, hodie* Babenhuſam *eſſe, Sueviæ ſuperioris, ſeu Alemanniæ, Caſtellum; Matthæus etiam Merianus affirmat, (è Beato Rhenano,) in deſcriptione Chorographica Sueviæ; titulô,* Babenhuſa. (nnnn) *Titum Livium vide, libro 8. ad med. & rurſus, multò ante finem illius libri, de Q. Fabio.* (oooo) *S. Leo Magnus, ſermone 1. de Apoſtolis: &, In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.* (pppp) *Plinium vide, libro 3. de naturali Hiſtoria, cap. 5. & ex eo, Onuphrium Panvinium, ac Roſinum, libro Antiquit. 1. cap. 13.* (qqqq) *De quibus, aliiſque ſimilibus, eundem vide, Roſinum (inquam) libro 2. Antiquit. cap. 19. & 20.* (rrrr) Statim (*inquit Eumolpus*), antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit, ſi divitem propinquum extu-

extulerit. &c. *Alibi, Polyanus*; Nympharum [*ait*] Bacchique comes, quem pulcra Dione Divitibus ſylvis Numen dedit. *&c.* Voti *illius cauſſa fœdior eſt, quàm, ut exprimi debeat, aut poſſit. Idcóque vir temporum illorum eruditus, in hac, ſimiliave bis, verba,* Quotus (*inquit*) quiſque eſt, qui Jovem verbis, quæ circumſtantes omnes exaudiant, in omnia Vota ſua, compellare ſuſtineat? (ſſſſ) *Tit. Livius l. 10. longiuſculè ante finem.* (tttt) *Idem, Decadis 3. libro 2. longiùs ante finem libri.* (uuuu) *Vide, in librum Georgicor. 1. Virgilii Maronis, Ioannem à Mayen, Bergizomium Belgam; ſuper verſum,* Ipſa, dies alios aliô dedit ordine, Luna, Felices operum: Quartam fuge *& infrà,* Septima, poſt decimam, felix. *&c.* & Nona, fugæ melior; contraria furtis. (xxxx *De Diebus* atris, *&* Inominalibus, *Macrobium vide, libro 1. Saturnalium cap. 16. & A. Gellium l. noctium Atticarum, cap. 17. De* Latinis Feriis, *& eundem Macrobium, & Varronem, apud Roſinum lib. 4. antiquit. c. 3. fin. qui & de* Atris *Diebus, & ex A. Gellio affert ea, quæ in corpore Ruinæ retu* (yyyy) *Eadem enim* Sacra, *quæ* Bonæ Deæ *rant,* Opis *etiam, &* Faunæ, *ac* Fatuæ, *dicebant Macrob. vide libro 1. Saturnali. cap. 12.* (zzzz) *Io Britannicus, Brixianus, in Iunii Iuvenalis Aquin*

tis Satyram 6. ſuper verſum 312. Nota Bonæ Secreta deæ. *&c.*

[A a a a a] *Ita loquitur Naſo, l. 1. de arte,* Nec fuge Niliacę Memphitica templa juvencę, *&c. Jovis in eam ſcelus, neque Naſo laudat, Metamorphoſeon lib. 1.* [b b b b b] *Flagitii plenum hoc facinus, narrat Flavius Joſephus lib. 18. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 4. Quam hiſtoriam & Britannicus in 6. Iuvenalis Satyram referens, ſuper verſu 487.* Aut apud Iſiacæ potiùs ſacraria lenæ, *&c. Deum illum perſonatum nominat* Oſirin: *cùm apud Ioſephum tamen* Quinquies, *uno contextu narrationis, legatur* Anúbis: *qui filius fuit Oſiris, & Iſidis.* [c c c c c] *Roſinus lib. 2. antiquitatum, capitis 19. fine.* [d d d d d] *Apud Salluſtium libro 4. hiſtoriarum.* [e e e e e] *Tit. Livius lib. 42.* [f f f f f] *Hujus mentio ſuperiùs incidit, in Ruina* Domûs Seleucidarum, *&* Ptolemæorum. [g g g g g] *Anaſtaſium à Valle Quietis vide, De magnitudine Romanâ.* [h h h h h] *Quam Romanorum iniquitatem etiam Salianus indicat, ſed obiter, fine anni 3921.* [i i i i i] *Ezechielis 24. v. 6. & alibi.* [k k k k k] *Alluſum hoc loco eſt, ad illud S. Iſaiæ cap. 1. v. 6.* A planta pedis uſque, *&c.* [l l l l l] *Orationem lege, brevem illam quidem, ſed, auctoris more,* magnificè nervoſam, *apud Cornel. Tacitum, libro 14. anna-*

annalium. (mmmmm) *De* Veneficis, *quas Paulus Oroſius, uno tempore, 370. fuiſſe, (ſed perperam) lib. 3. cap. 10. tradidit; babes Tit. Livii teſtimonium, Decadis 1. l. 8. & ex eo deinde, Val. Max. l. 2. c. 5. ac S. Auguſtinum lib. 3. de Civitate Dei c. 7. De* Uxore *verò* Scipionis Africani, Junioris, *attingit rem etiam Cicero, in* Somnio Scipionis, *ac narrant, Vell. Paterculus, & Appianus lib 1. de bellis civilibus. De* Piſonis *autem* uxore, *Iacobus Salianus, in annum mundi 3874. num. 3. Vxori prænomen fuit,* Quarta. (nnnnn) *De boc, babes apud Criſpum Salluſtium, in Catilina, poſt detectam jam per Allobroges conjurationem: ubi cauſſas adjungit, illius in Cæſarem odii.* (ooooo) *Hæc omnia reperies, in prolixa illa, adversùs Luci. Piſonem, Cæſaris ſocerum, Invectivâ, volumine 3. Orationum.* (ppppp) *In Publ. Vatinium, eodem volumine.* (qqqqq) *Prologô Eunuchi.* (rrrrr) *Lege, ſuperiùs adductam, Ciceronis orationem, in Luci. Piſonem: ubi, quæ attuli, partim nexu continuò, partim ſparſim, reperies: & in eum ſenſum, plura furioſioráq; ſed, ob πολυλογίαν, ei ſollemnem, à me boc loco prætermiſſa.* (sssss) *Librô Sap. 14. à v. 24.* (ttttt) *De bis* Actionibus, *ac* Judiciis, *Ioan. Roſinum vide paſſim libro 9. ut, cap. XI. & XXVI. &c. De te-* ſtamentariis Legibus, *libro 8. cap. 18.* (uuuuu)

Librô

Librô de vita Beata, cap. undecimo. (xxxxx) *De his, præter Roſinum libro 1. cap. 13. regione XI., Britannicus etiam, & Vetus Scholiaſtes, in Satyræ Iuvenalis 6. verſum 115. Domitius quoque Calderinus, in librum Martialis XI. ut & priùs libr. 3. epigrammate 82. & libro 1. epigram. 25. Et, cur* Lupæ *quoque dici ſolerent, Britannicus in verſum Satyræ 6. Juvenalis, ad verſum 121. indicat.* (yyyyy) *Iuvenal. Satyrâ. 6.* Paucæ adeò, vittas Cereris contingere dignæ, Quarum non timeat pater os, &c. *& v. 293.* Nullum crimen abeſt, facinúſque libidinis, ex quo Paupertas Romana perit. *Clariſſimè verò, liberriméque, verſu 347.* Jámque éadem ſummis pariter, minimíſque, libido: Nec melior, ſilicem pedibus quæ conterit atrum, Quàm, quæ longorum vehitur cervice Syrorum. *Et Martialis,* Ludus erat, ſacræ connubia fallere tædæ. *Vide & Horatii Odam*, in mores ſui ſæculi. Delicta majorum immeritus lues *&c.* (zzzzz) *Naſo libro 1. de Arte.* (ʒ) *Vide Sholiaſten Veterem, & Ioan. Britannicum Brixianum, in verſum 601. Satyræ VI. Iuvenalis. ubi horum* prior *ait; Illuc deferebantur expoſiti partus: atque ibi projiciebantur.* Poſterior *autem; Locum illum, agnoſcit, in urbe fuiſſe.*

(a) *Leges* Juliæ *multa variaq́, variis ſub cogno-*

gnominibus, fuerunt: de quibus vide Roſinum, lib. 8. antiquitatum, c. 18. & 19. Item cap. 22. & 23. Hoc verò locô ſermo eſt de lege Julia, *quam, ſeu tulit, ſeu redivivam fecit,* Octavianus Auguſtus, *de Adulteriis coërcendis, ac puniendis: ità dictam, quia [ut idem Roſinus loco cit. ait, libro, inquam, 8. cap. 24.]* in ſuam Juliam, probris omnibus contaminatam, de Adulterio & Pudicitia, retulit C. Octavius Auguſtus. *De eadem lege* Juliâ, *per Domitianum Cæſarem in uſum veterem revocatâ, intelligendus & Iun. Iuvenalis, Satyrâ 2. verſu 30. & 31. in quos vide Britannicum Commentat. ibid. qu & alibi, Satyrâ nempe 6.*, legis Juliȩ De adulteriis, *meminit.* (𝔊) *Libro, ad Junium Gallionem fra trem, Aſiæ Proconſulem, de vita Beata, cap. 17.* D ornatu *verò* ſuperbiſſimo *capitis matronarum urbis Romæ, habes apud Juvenal. Satyra 6. ver[ſ] 501.* Tot premit ordinibus, tot adhuc comp[a]gibus altum Ædificat caput, *&c. De cætero a[r]tem* veſtium luxu, *Publius Mimus, apud Arb[i]trum, in Jambico,* Luxuriæ rictu, *&c. uſque ad ca[r]minis finem.* [γ] *Ioannes Britannicus hæc in S[a]tyram Juvenalis 7. verſ. 249. fuſiùs exſequitu[r] Veterum quoq; Eccleſiæ Patrum facundiſſimus qu[i]que, in hoc ludorum genus, ejúſque diu poſtea ſupe[r]ſtites reliquias, acerrimè, & ex merito, invehitu[r]*

[θ] H

[Θ] *Hujus* Campaſpês, *quæ regis illius pallacarum*
una fuit, γυμνὴν *picturam, Alexandri juſſu factam,*
profert in apertum, ſed cum περιςάσεσιν, *huc non*
ſpectantibus, etiam Balthaſar Caſtilionus, Comes
Italus, in Cortagiani ſui Italici [quem in mater-
nam linguam tranſtulit Laurentius Crazerus, te-
lonii Burghuſiani quæſtor] libro 1.cap.ult. Memi-
nit Campaſpês *etiam Ioan. Schildius, è Plinio;*
Commentariô in Suetonium cap. 21. [δ] *Sollici-*
tatori obſcœno nomen fuit, Cajus Luſcius; *qui filius*
erat ſororis C. Marii. Interfector autem ſollicita-
toris, Trebonius *dicebatur; utì Plutarchus, in Ma-*
rio, ſcribit, à Stephano Pighio quoque citatus, Notîs
in Valer. Maximum. Ipſe autem Valerius, libro 6.
cap.1. de Pudicitia, exemplô 12. interfectorem Lu-
ſcii *nominat*, Caj. Plotium, manipularem mili-
tem: *cui fortaſſe* Trebonii *pariter nomen, cogno-*
ménve, fuit. [ε] *Ad Romanos 1. verſ.26. Plura di-*
cere ſuper his non attinet: quando ſanè, plus, quàm
neceſſe ſit, *Horatius, aliquot in locis carminum,*
ſermonũ, & epiſtolarum, Martialis item, & Iuve-
nalis in Sexta, aliique, prodiderunt. Lesbiarum
autem mores, principiô non niſi abſtruſiora Græciæ
lupanaria noverant. E quibus tamen aliquid de-
inde, in lucem fumoſam extulerunt, ipſæ, talium au-
ctores, Grajæ; *inprimisq;* Sappho, *ſuîs in carmi-*
nibus:

nibus: primipila fortaſſis, & inventrix, utì ſui generis carminum, ità quoque nequitiæ. Secuti ſunt, Elephantidos *fœdi* libelli; *Ariſtidis Mileſiaca; ceterique: quorum ſcripta, ſicuti latent, ac ſepulta ſunt; ità lateant, jaceant, atque taceant, æternùm!* (ζ) *Ità quidem Salianus numerat, in annum mundi 3820. dum ait*, Carvilium fuiſſe primum, qui divortium fecerit. *At verò*, antehac *quoque Divortia fieri ſolita, ſed in ſumma tantummodo ſenectute [quod & ipſum tamen inhumaniſſimum, & rationi maximè repugnans, erat] videtur innuere Roſinus, libro 5. antiquitatum cap. 38. dum ait*: Quanquam lege conceſſum eſſet Divortium; neminem tamen, ante ſeptuageſimum annum feciſſe divortium. Primum autem id feciſſe Spur. Carvilium: *hoc eſt*, Ante Septuageſimum annum. *Dicebat enim*, Liberos ſe quærere è matrimonio. *Junior igitur divortit.* (η) *De nomine cognominéque, comperta res eſt. At, Eum annô illo* Conſulem *fuiſſe, Salianus quidem affirmat, in annum mundi 3820. alii verò, Conſulibus, Marc. Pomponio, & C. Papyrio; alii, Marco Atilio, & Publ Valerio, id accidiſſe, referunt: ut tradit & Roſinus l. 5. antiq. c. 28. Thomas deniq. Dempſterus, in librum 5. antiquit. Roſini, ad caput 38.* è Stephani Pighi *[ut ipſe ait]* ſupputatione; *circa annum, quo pri-*

mum

mum Romæ divortium contigerit, admodum, & à Saliani ſenſu diſcedit, & ab aliis quibuſdam chronographis: ponens annum, ab Vrbe Condita, 600. circiter; hoc eſt, octoginta, & uno anno, ſeriùs. Equidem priori ſententiæ magìs, ac libentiùs, acceſſerim: cùm profectò, tamdiu ſe, quamdiu Dempſterus & Pighius volunt, Romæ-veteris intemperantiam, ab alienis affectandìs viris mulieribúsq;, continuiſſe, parùm probabile videatur. (ϑ) *Hæc enim erat formula verborum Divortii*; Res tuas tibi habeto! *ſicut in* Repudio, *quo* ſponſalia *reſcindebantur, dici ſolebat*; Conditione tuâ non utor. *Roſinum vide lib. 5. antiqq. cap. 38.* (ι) *Hæc exempla* Divortiorum, *etiam Dempſterus adfert, in libri 5. Antiquitatum caput 38. Sequentia verò, domeſticis è ſcriniis petita.* (κ) Terentia *verò poſtea nupſit* C. Salluſtio Criſpo, *hiſtoriarum compoſitori; qui inimicitias aliquando cum Cicerone exercuit: quarum teſtis ſupereſt*, Declamatio in Ciceronem. *Poſt* Salluſtium *verò, matrimonium eadem mulier iniit, cum* Marc. Meſſala Corvinô, *Oratore præclarò.* Tribus *igitur* eloquentiæ Romanæ luminibus *conjuncta* Terentia, *vix ſerò tandem, hoc eſt*, poſt annum vitæ centeſimum decimum ſeptimum [*utì Plinius eſt auctor, libro 7. natural. cap. 48.*] *abiit ad tenebras ſempiternas*; & furia, ad Furias: *ſi*

modò

modò verè in eam Salluſtius, *poſtea maritus, ali-quando dixit*; Sacrilegam, ac delibutam perjuriis, fuiſſe. *De hoc porrò* Divortio Ciceroniano, *vide etiam Plutarchum, in vita Ciceronis; eum, propter hoc ipſum, reprehendentem: cùm Cicero è diverſo, in epiſtolis, de eo ſe purget; impingens Terentiæ delicta dilapidationis facultatum domeſticarum, dum in tranſmarinis ipſe abeſſet. Quod ipſa tamen crimen à ſe, negando pernegandóq; removit: cauſſámq; extruſionis ſuî, retulit in ſplendidam* Publiliæ *juvenculæ* formam, *à* Cicerone *adamatam.* Tiro *verò*, Ciceronis libertus, *in* opes *ejuſdem puellæ, cauſſam nuptiarum illarum conjecit; ex quibus* opibus, *Cicero, contracta à ſuis debita diſſolveret.* (λ) *Satyra 6. verſu 180. uſque ad verſum 184. De Paulo verò Æmilio, Roſinum quoq; vide, libro 5. cap. 38. ſæpius jam adductò.* (μ) *Iuvenal eád. Satyrâ, à v. 143.* (ν) *Vide Tranquillum, in vita c. 62.* Eum *verò* Divortiis ſtatuiſſe modum, *præter illa, quæ ſuper Lege Juliâ, De Adulteriis, Roſinus ſuperiùs adductus, indicat; etiam* Dempſterus *docet, in Roſini librum 5. cap. 38.* (ξ) *De* Laribus Familiaribus, *Plutarchus videri poteſt, in Problematibus. Luc. Apulejus Madaurenſis, in l. de Demonio Socratis. Ioan. item Britannicus, in verſum 3. Satyræ ſextæ Iuvenalis: & Ioan. Roſinus l. 2. antiquitatum cap.*

cap. 14. ad finem. (ο) *S.Paulus ad Romanos cap. 1. à v. 29. &c.* (π) *Ieremiæ 5. uſque ad verſ. 10.* (ρ) *Cladium enim Romanarum, quæ* Allienſi *poſteriores fuerunt, omnium facilè maxima credita fuit* Cannenſis: *de qua mox infrà, in corpore Ruinæ. At verò* Allienſis pugna, par *dicta eſt Cannenſi, à T. Livio, decadis. 3. libro 2.* (σ) *Tit. Livius, decadis 3. l. 2. Valer. Maximus, libro 1. cap. 7.* (τ) *Apud Livium Decade 3. lib. 2. in Senatu, pro ſe, ſuiſque commilitonibus, facundè declamante.* (υ) *Hoc loco, præter Florum, juvet, etiam inſpicere Tit. Livium: qui, cùm primò numerum cæſorum exprimat;* Quadraginta millium [*uti retuli*] peditum, duorúmque millium, & ſeptingentorum, equitum: *ſubnectit mox;* Et tanta propè civium ſociorúmque pars cæſi dicuntur. (φ) *Iſaiæ 5. v. 14.* (χ) *Paulus Oroſius libro 4. cap. 5.* (ψ) *Ieremiæ capite 51.* (ω) *Alluſum ad illud Chriſti redemptoris, Matth. 24. v. 8.*

(Αα) *In Satyra, quam Romana illa fœmina, Domitiani ſub Imperio, compoſuit,* De Statu [quãtulæcunq;] Reip. Romanæ, poſt exactos edictô Philoſophos. (Ββ) *Eorum altercationibus etiam Luc. Philippus ſe interpoſuit, in Senatu; adversùs Lepidum Conſulem acerbè queſtus, & invectus: ut videre eſt, libro 1. hiſtoriarum Cr. Salluſtii; ubi eum*

Philippus appellat, Peſſimum omnium, & Jmpudentiſſimum. (γγ) *Horum*, & *ſequentium ferè omnium, auctor eſt Tit. Livius, in ſuperſtitibus adhuc Decadum ejus Epitomis, per Luc. Annæum Florum concinnatis: ab epitomâ videlicet libri.* 90. *uſque ad epitomen libri* 134. *quo annus continetur, circa quem* C. Octavius Cæſar, *Auguſti appellatione honeſtatus eſt, Remquepublicam Romanam* Veterem, *vertit in* Novam; *hoc eſt, in* Monarchiam. *Quæ, viſum eſt, monere unâ ſemel operâ, pro multis: ne, aſſiduâ alioquin unius ejuſdémque auctoris ad teſtimonium citatione*, & *in ſingula quæque repetiti nominatione*, *faſtidium lectori crearetur*. *Livii porrò; in horum pleriſque*, & *alii conſentiunt: aut ſicubi diſſenſio, vel diverſitatis color aliquis, reſulſerit; cum fide memorabitur.* (δδ) *Hoc loco, Livii epitoma, libri Centeſimi tertii*, uxorem *ait* Metelli Pontificis à Clodio fuiſſe ſtupratam: *cùm alii* Pompejam, *Cajo Iulio Cæſari (qui tempeſtate illâ Pontifex erat, ac Metello, Pontifici mortuo, ſucceſſerat,) nuptam, magno conſenſu tradant. An fortaſſis* in utráque *malè* Clodius *audiebat? De* Metelli *quidem conjuge*, *Livius ſtuprationis nullum dubium relinquit: nec Dio Caſſius, de Pompeja Cæſaris.* (εε) *Libro* 1. *Pharſaliæ, ad initium.* (ζζ) *Vide Ioan. Roſinum*, *l.* 5. *antiquit. cap.* 32. *de* Tog

laxio

laxiore cinctu, *paullò poſt initium capitis.* (ηη) *Sic Dio, hiſtoriæ Romanæ libro 40.* Πομπήϊος, καὶ τὴν ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ ἀρχὴν περὶ πέντε ἄλλα ἔτη διαπεπραγμένος. *Plutarchus verò*, Quadriennium *duntaxat aſſignat.* (ϑϑ) *Salianus, in annum à mundo Condito 4002.n.13. computat, ex hac, Pompejo aſſignatâ, pecuniâ annuâ,* quadringentorum millium coronatorum Gallicorum ſummam. (Λ) *Cave, putes, pro* Lemonia, *hoc loco, rectioris conſtructionis ſtudiô, legendum* Lemoniam: *quoniam & Servium Salpitium Rufum in accuſativo caſu protuli. Habent enim hanc loquendi rationem in uſu veteres: ut ejuſcemodi gentilitia & urbium nomina, quæ quibuſdam familiis à* patria, *vel aliunde, adhæſerunt, inſtar* Indeclinabilium, *in quàvis cæterorum caſuum ſocietate, ponantur in* Recto; *non, in* obliquo. *Sic Cæſar alicubi Cajum Fulginatem* Placentia, *ponit: ſicuti l. 1. de bello Civ. Cn. Magium* Cremona, *præfectum-fabrûm Pompeji. In quem Cæſaris locum poſteriorem, vide obſervationes (ſi placet) Glandorpii, & Arnoldi Montani. Denique, ſic ipſe quoque Cicero, de hoc ipſo* Servio Sulpitio, *in Antoniana poſtmodo legatione extincto, Philippicâ 9. loquitur, in fine;* Senatum cenſere, Ædiles Curules edictũ, quod de funeribus habeañt, Servii Sulpitii, Q. F. (*id*

(*id eſt, Quinti Filii*) Lemonia Rufi, funeri mittere. (ιι) *Appianus, libro* ἐμφυλιων 6, Cæſari *dictum hoc aſſignat. Plutarchus autem, in Vita Cæſaris*, centurioni *Cæſariano. neuter falsò.* Centurio *enim, è* mente *Cæſaris* , *& fortaſſis* ore *quoque, &* imperio *illius, locutus erat.* (κκ) *Sic eum Suetonius nominat, in vita Julii, cap. 29. Qui verò* fratrem *eum appellant* [*quos inter eſt & Cicero*] *explicandi ſunt, in hunc, quem dixi, ſenſum, quo planè ſenſu* Lucius *quoque* Cicero, *Marci Tullii Ciceronis* frater *dicebatur : qui tamen* patruelis *tantummodo, nec eodem, quo* Quintus Cicero, *gradu Marci Tullii* frater *erat.* (λλ) *Sanè quidem, ſparſum fuiſſe rumorem illum*, Ità nimirum actum iri cum Cæſare, ſicut actum fuiſſet cum Annio Milone (*quem in exilium judices conſenſu tantò pepulerunt; ut Marci Catonis, eum abſolventis, auctoritas, ne quidem ad aures admitteretur*) *affirmat Tranquillus, in Julio, cap 30. De ſucceſſu verò ſiniſtro* Judicii Miloniani *ejúſque cauſſis (quarum* non minima *Cicero*, maxima *verò Pompejus, armis judicium circumcludens, fuerunt) vide Plutarchum, in vita Ciceronis.* (μμ) *Sic Appianus lib. 2. Civilium bellorum. Tranquillus autem in Iulio, cap. 29. ſcrupuloſiùs, quàm alii, de Gallia Ciſalpina, & Illyrico, ſcribit: quorum*

aucto-

auctorum nonnulli, legionum numerum in duas Gallicanas ſeorſim, & Unam alterius Provinciæ, diſſeparatas; in geminã, pro Provinciis Tribus, congerunt, & confundunt. (νν) *Cæſar ipſe, Commentariorum, de bello Civili, initio*, Litteras illas, *ait*, à Fabio fuiſſe redditas Conſulibus: *quas, Dio refert, à Curione illis exhibitas. Quorum fortaſsis tamen utrumq; fieri potuit: ut* Curio *ſcilicet* Fabium, *ceu Tribunus plebis facundus, populique favere diu pollens, eo in negotio adjutaret*. (ξξ) *Ità namque etiam Titi Livii breviator loquitur, epitomã libri 109. Salluſtius autem in Catilina, & alii paſsim*; Darent Operam Conſules, *&c*. (οο) *Suetonius capite 32. in vita Julii*. (ππ) *Colligitur è capite 29. in Julio*. (ρρ) *Tranquillus, in Julio cap. 33.* (σσ) *Salianus hoc loco, cum aliis, ponit, raptæ per C. Cæſarem ex ærario pecuniæ, ſummam fuiſſe*, auri pondo quater mille, centum, ac triginta tria: argenti verò, nongenta millia. *Hanc ipſe, Gallicanas ad rationes pecuniam redigens, & computans, ait*; Auri *ſummam fuiſſe, coronatorum 413500.* argenti *verò, novem millionum, cum nongentis inſuper millibus coronatorum, æſtimationis Gallicæ. Vide apud illum, ab V. C., annum 704. numero 23. Pondus autem, & æſtimationem eam, quam nos in corpore Ruinæ poſuimus, Arnoldus* quo-

quoque *Montanus è Plinio adducit, Commentario in Cæſaris l. 1. de bello Civili. pag. 449. Edit. Amſtelod. in 8.* (ττ) *Ità, Cæſaris delibans de bello Civili commentarium. Salianus, eum vocat;* Maurum *ſignatè appellando*: Jubam, *inquam*, regem. *in annum ab V.C. 704. num. 42. Livii quoque breviator, Florus, epitomâ libri 110. eum* Mauritaniæ *regem dicit. Salianus interim, in annum 4008. n. 28. poſt enarratam* Jubæ *cædem, ait*; Numidiam (*puta, regnum interfecti,*) factam deinceps fuiſſe provinciam. *Dio Caſſius ait; Eum filium fuiſſe Hiempſalis, ſeu Iempſæ potiùs, Græcè. Ait enim libro 41.* ὁ Ἰόβας, Ἰεμψοῦ παῖς ὤν. *& Numidiæ regem facit, addens;* καὶ τῶν Νομάδων βασιλεύων *Appianus verò l. 2.* τῶν ἐμφυλίων, *ait*; Ἰόβας, ὁ τῶν Μαυρουσίων Νομάδων βασιλεύς. *&c. Rectè proinde nos hunc* Mauruſiorum, *aut, ut Florus eos nominat*, Mauritanorum - *Numidarum regem*, Mauro-Numidam, *aut* Mauruſi - Numidam *fortaſſe expreſſius, dicere poſſimus.* (φ) Tabulæ Novæ *ſignificationem habent ſublatorum debitorum: nimirum, inductô ære alienô præteriti temporis (ait Camerarius, apud Arnoldum Montanum, in eruditis ejus, ad Cæſaris librum tertium bell. Civil. Notis) ubi de Tabulis Novis plura Montanus adducit, è Ciaconio, Ludov. Cœliô, Rhellicano; & ipſo Cicerone. In*

cia

cidè Cœlius, & verè; Tabulæ Novæ, (*hinc dictæ ſunt, inquit,*) quòd, cùm pecuniæ creditæ Obæratis condonantur, Novæ mox cooriuntur Tabulæ (*perſcriptionum*): quibus nomina contineantur nova. *Et Cicero.* Tabulæ Novæ (*id habent*) ut emas meâ pecuniâ fundum: eum (*fundum*) tu habeas; ego non habeam pecuniam (*meam*). *Summatim! Quoties, poſt diſſenſiones civiles, & omnium rerum perturbationem publicam, fiebat; ut debitores creditoribus* (*ait Ciacconius*) *neque ſolvere, neque ſatisfacere juberentur, ſed, ut, Primîs debitîs, & eorum Tabulîs* (*perſcriptionum,*) *abolitîs, denuò* Novæ Tabulæ (*perſcriptionèsq; pecuniæ creditæ, ac debitæ,*) *conficerentur: hoc divites, & fœneratores, qui multas pecunias crediderant, horrebant, ne fieret; dolebant, cùm factum eſſet. Hoc &, inter cætera Conjurationis præmia, ſuis Catilina pollicebatur; apud Salluſt.* Tabulas Novas, magiſtratus, rapinas, proſcriptiones locupletum, &c. (*vv*) *Pridie quidem Nonarum Ianuarii; ſed, Faſtis necdum Iulianis, ac ſcilicet, ad legitimam temporis rationem, ſiderúmque legem, emendatîs. Ideóque Scriptores veteres ajunt, cum Plutarcho* (*in vita Cæſaris*) *Eum, circa* Solſtitium brumale *ſolviſſe: quod hodie, ſecundùm faſtos Gregorianos, incidere ſolet in diem*

diem Decembris XXI. ſecundùm Iulianos autem, in ejuſdem menſis diem circiter XI. [ΦΦ] Pharſalum *oppidum, ad flumen* Enipeum *collocat Carolus Stephanus, è Lucani ſententia. Quam Carolus ſententiam retinet, etiam in Voce,* Enipeus; *eúmque amnem, ait,* Apidano *miſceri. At Joannes Laurenbergius, in noviſſima Macedonia Geographica Tabula, conſtituit* Pharſalum, *ad amnem, nomine deſtitutum; qui ex oppoſito flui Penéi fluminis Auſtralioris, ac Straboni, libri non: Tabulâ Græciæ, Pharybus dicitur: quem, eundem eſ ſe, reor, cum eo, qui ab illo, libri ejuſdem ante ſi nem Enipeus nominatur, ab Erythra, Pharſálus præterlabens, in Apidanum; qui Apidanus in Pe néum influit. Sophianus autem, in Græcia ſua, di ſimulat locum & ſitum illum.* Pharybum *autem nominat amnem illum, qui* Pharſalicos *camp ad Septentrionem includit. Mihi, in hoc, Laure bergii topothesia, propter amnium prætermiſſa nom na, minùs ſatisfacit.* [χχ] *Alioqui namque u tera earum ſinè cauſſâ diceretur Palæ-pharſáli Græcis, & Frontino.* [ψψ] *Poſt* adultum j Sextilem *menſem [qui pòſt* Auguſtus *dictus]* *cidiſſe pugnam Pharſalicam; ratio temporis, poſtea, fugâ confectâ, Pompejus interfectus [uti dicitur] ſatis innuit. At* diem *etiam* c

tu

tum *illius decretorii prælii nominat Joann. Geor-*
gius, chronologiæ ſuæ capite 190. apud Salianum, in
hunc annum, tomo 6. (ωω) *Alii verò, cum Cæſa-*
re, velut dixi, prætermiſſâ penitùs cæſorum Chilia-
de, Ducentos tantummodo numerant eorum,
qui, Cæſaris *è* militibus, *occubuerint. Idque pro-*
piùs fidem ego rear; quàm, quod Appianæi quidam
innominati tradunt: ſi præſertim ipſi Cæſari, præ-
lium iſtud narranti, (cujus, ut in corpore Ruinæ
dico, caput ipſe, ſpectatórque *ſimùl &* Actor, *ex-*
titit) preſſiùs inhæreamus. Ejus enim ſermo, nul-
lam olet cæſorum è ſuis memorabilem *multitudi-*
nem: Victoriæq; potiùs ſummam celeritatem *oſ-*
tendit, felicitati *conjunctam.*

(ααα) *Tit. Livius, epitomâ libri CXV.* (βββ)
Idem, epitomâ libri 98. (γγγ) *De his, à Senatu*
decretis C. Cæſari, honoribus, Titi Livii vide epito-
men libri 116. & fuſiùs aliquantò Titulos, ac Pri-
vilegia, Cæſari, ejúſque Succeſſoribus tributa, apud
Ioann. Roſinum libro 7. antiquit. cap. 12. (δδδ)
Libro. 2. τῶν ἐμφυλίων. (εεε) *Vide* Faſtos Ro-
manos, *Naſonianis* Faſtorum *libris ſex, nonnul-*
lis in editionibus, adjunctos; in diem Iduum Mar-
tii. (ζζζ) *Cujus initium Principatûs ponitur, an-*
nô, qui Cæſarianæ cædis annum proximè ſubſecutus
eſt. Is fuit, ab Vrbe Condita 710. (ς) *Cùm enim*

 re quia

re *quidem ipsâ* Dictaturam Perpetuam *gereret* (*ut & Annæus Florus lib.4. tradit*) *& ab aliis quoque* Dictator Perpetuus *diceretur: ob* legem *tamen, poſt necem C. Cæſaris*, de abolenda in perpetuum Dictaturâ, *latam, & invidiæ declinandæ cauſsâ; eo nomine, ipſe quidem, ſemper abſtinuit. Hujus enim ipſius invidiæ, à ſe detrudendæ, gratiâ,* Cn. quoq; Pompejus *antea, cùm alioqui* mente *Dictaturam exambiret; oblatam tamen poſtea,* verborum tenus *excuſsit à ſe. Dio Caſsius, de Romanis optimatibus loquens, libro 40.* δικτάτωρα γοῦν (*inquit*) τὸν Πομπήϊον λεχθῆναι δεῖν, ἔφασκον. ἐκεῖνός τε γὰρ ἀπεδήμει, καὶ ἐκ τῶν παρόντων οὔτι ψηφίσασθαί τις αὐτὸ (πρὸς γὰρ τὴν τοῦ Σύλλα ὠμότητα, ἐμίσουν πάντες τὸ πολίτευμα) *&c. magiſtratûs iſtius publicum odium, propter Syllanæ Dictaturæ crudeliſsimæ inextinctam adhuc memoriam! &c.* τέλος δὲ, ὀψέ ποτε αὐτὸς ἐλθὼν, τὴν δικτατωρίαν, διδομένην οἱ δῆθεν, οὐκ ἐδέξατο. *Eâdem igitur &* Octavianus *invidiæ formidine, qui priùs* Pompejus, *cùm* Dictaturam *reipſa teneret; ſe pro* Dictatore, *nomine & appellatione tenus, gerere profiterique, refugit. Et in hunc, quem poſui, ſenſum, capiendus Salianus eſt, in annum mundi 4027. num. 5. & 6. ne alioquin, paucos intrà verſus, pugnare ſecum ipſe putetur.* (η.η.η.) Cornel

vel Tacitus lib. 1. annalium. Qui idem, & de vocabulo Imperatoris bellico, ab Auguſto tot pugnis illuſtribus partô, ſubdit. (ϑϑϑ) Roſinus libro 7. Antiquitatum, cap. 12. (ιιι) In urbe ſcilicet Panéade, quæ Cæſaréa Philippi paullò pòſt dicta fuit: & ſita erat ad fontem Jordanis alterum, Dan appellatum. (κκκ) Σέβαςος. Vox enim hæc deducitur à radice σέβος, τὸ: quod eſt, cultus, reverentia, adoratio. éſtque vox ἄκλιτος, opinione Theodori Gazæ. Ab hoc primitivo, deducitur deinde verbum, σεέβω, & σέβομαι: & ab iſtis porrò, σεβάζω, ac σεβάζομαι. unde, à tertia ſingulari præteriti paſſivi, σέβαςος. σέβω autem, ac cætera, ab eo deducta, verba, ſignificant idem, quod, Colo, veneror, religiosè admiror, ſanctè obſervo. (λλλ) Veſtis erat (ut in corpore Ruinæ fuſiùs nonnihilò ſuperiùs dixi) Senatorum, ac Tribunorum, &c. De hac, Cujacium vide, Obſervationum libro 41. cap. 39. Item Collectanea Ioan. à Wouweren, in Satyricon Arbitri, num. ſeu verſu, 36. & 37. ubi erudita quædam reperias, ſuper verba illa, de Trimalcione; Laticlaviam immiſerat mappam. (μμμ) De his vide Ioan. Roſinum, fusè tradentem, lib. 7. Antiquit. cap. 12. è Dionis Caſſii libro 53. hiſtoriæ Romanæ. ex quo Salianus quoque breviarium diſſertationis ſuæ, ſuper poteſtate Auguſtali, expreſſit: in annum mundi

mundi 4027. num. 6. & 7. (ννν) *Cornelius Tacitus videri poteſt, ſub initium libri. 1. annalium.* (ξξξ) *Suetonium vide, ante finem vitæ Octaviani, cap. 99. ubi ait; Auguſti poſtrema, antequam exſpiraret, hæc ad amicos fuiſſe verba.* Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. (οοο) *Solem tunc in* Libra *fuiſſe Zodiaci*, Marc. Annæus Lucanus, poëta hiſtoricus, *affirmat, libro 8. Pharſaliæ, cùm ait.*

Tempus erat, quo Libra pares examinat horas; *de Pompeji ad Peluſium adventu agens. At è cæteris auctoribus conſtat; Interiiſſe Pompejum, circa Calendas Octobres, & eo ipſo quidem die, quo Peluſium intenderat accedere: ut etiam, è Ponta eo, Gordono, aliiſque, Salianus conſentit, in annum ab V. C. 706. num. 22. &c. ubi diſertè ait, Pompejum* ineunte Octobri, *mortem oppetiiſſe. Appianus au tem, Dio Caſſius, ac Vellejus Paterculus, Pompe obitum referunt in diem, qui Natalibus Pompe* pridianus *fuit. Pompejus enim [ut paucis rem ex ſequar] editus in lucem eſt, anno mundi 3948. [que eundem annum & Cicero natalem habuit]* habui que, vitæ diem primum [*ut in eum mundi an num Salianus num. 15. ex Paterculi libro 2. & Pli nii libro 37. cap. 2. ſcribens, docet*] pridie Calen das Octobris. *Cùm autem auctores, quos pau ſuperiùs attuli, Pompejum, narrent, interfectu*

pr

pridie natalis ſui; *Plutarchus ab his, in Vita Cn. Pompeji, planè diſſentit: dum, eum interiiſſe* poſtridie natalis ſui, *refert: adeòque, ætatis ſuæ quinquageſimum nonum annum uno die inchoâſſe. Ego rem hanc ipſam, in Ruina quoque corpore perſtrictam, in medio relinquo: Satiſque habeo, eum, quod dixi,* Circa Calendas Octobres obiiſſe: *quæ tunc, [ut & alibi dixi,] nondum emendatis à Julio Faſtis, cum* Æquinoctio Auctumnali *pene concurrerunt: adeóque* Sol, in Libra currens, pares nocti diei*que* horas [*quod Lucanus dixit*] diſpenſabat. [π π π] *Ità Lucanus, libro 8. Pharſaliæ, clarè ſingula diſtinguens illius diei, qui Pompejo ſupremus fuit, acta, & eventus.* De Velis, *à Peluſiano tractu converſis, ſignatè ſic canit.* Comperit ut, Regem Caſiô ſe monte tenere [*quem tamen montem, paullò ſuprà, negavit, Pompejum tenuiſſe,*] Flectit iter [*ad Caſium nempe:*] nec Phœbus adhuc, nec carbaſa, languent. *Non elanguiſſe verò* carbaſa, *pluſquam liquidum eſt, ex Appiano: qui 2. Civilium,* Καί πως κατὰ δαίμονα ἐς τὸ Κάσιον τὸ πνεῦμα τὸν Πομπήιον κατέφερε. *ubi vides, σ etiam geminato,* Caſſium montem *ſcribi: cùm alii ferè ſimplice ſint contenti.* [ρ ρ ρ] *Lucanus idem, lib. 8. Pharſaliæ:* Conſilii vix tempus erat; tamen omnia monſtra Pellææ coiêre domûs.

mûs. *Ac profectò, cùm unô eodémque die Pompe-jus [& illô quidem* Æquinoctialî, *ideóque non adeò productô] navigationem à Caſio Peluſium, à Peluſio denuò Caſium, poſt omnia demum, & ſalutandi quoq; (per legatos) Ægyptii reguli negotium, confeciſſet: ſupereſſe diei non nimis multum poterat. Quo loco tamen, cùm* Caſium *nominamus, cave lector, putes; aliô de* Caſio *nos loqui, quàm de Monte (ut eum diſertè claréque Marc. Lucanus l. 8. vocat): déque illo montano toto ad mare tractu, inter quem, ac Peluſium, Sirbonicus Lacus interjacet. Ortelius enim in ſuæ* Ægypti Antiquæ *Tabula, alium nobis locum, nomine* Caſium, *obtrudit, non procul Gerrbô ſtatim: ideóque longè à Sirbonide, multóque longinquiùs à* Caſio monte; *quem ipſe tamen, ac rectè, ſuóq; locô, contra Bitilium oppidum ſtatuit. Id ergo* Caſium Ortelianum, *undecunq; ſumptum, ad Pompeji præſentes res nihil ſpectat, Pompejum verò, ad* Caſium *illum* Montem, *qui ſupra Sirbonidem ſtat, jacétve, (aggeribus arenarum ſimilis) & cæſum, & ſepultum fuiſſe; quis, poſt Lucanum, immò ſupra Lucanum (quia ætate prior quippe ſub Tiberio) locupletior eſſe, clariórq; teſti poteſt,* Strabone? *qui Geograph. l. 16.* Ἔϛι δὲ τὸ Κάσιον *(inquit)*, θινώδης τις λόφος *(tumulus, ſeu agger, littoralis)* ἀκρωτηριάζων *(extremitates amputans*

putans, præruptus) ὅπου τοῦ Πομπηΐου, τοῦ Μάγνου, σῶμα κεῖται, καὶ Διός ἐστιν ἱερὸν Κασίου. πλησίον δὲ καὶ ἐσφάγη ὁ Μάγνος δολοφονηθείς. *&c. Eadem autem & Dio Caßius prodit, libro 42. pag. 211.* (σσσ) *Plutarchus ait;* Pompejum *prius ſalutâſſe* (*valedicendo nimirum*) *ſeorſim Corneliam ſuam. Deinde demum utrique communiter, id eſt, uxori filióque,* Pompejo *Sexto, dicentem vale, Verſum è* Sophocle *ingeßiſſe; cujus ea fuerit, quam in corpore Ruinæ expreßi, ſententia. Verſus autem Græcus eſt iſte, geminus.*

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
Κείνου ᾽στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

(τττ) Suſpirium *tantùm edidiſſe,* Plutarchus *ait. Lucanus autem,* Pharſaliæ *l. 8.*

At poſtquam mucrone latus funeſtus Achillas
Perfodit, nullo gemitu conſenſit ad ictum.

(υυυ) *Hæc apud Arnoldum Montanum Oroſius l. 6. cap. 15. tradit: incertum, è quónam auctore? nam Cæſar, Lucanus, Græci, tacent hic. Ea tamen cædes, ſi fidem habere debet; Corneliæ ſaltē, Sextóq;* Pompejo, *vitam non ademit: neq; reditum in urbem.* (φφφ) *Dio Caßius, libro 42. pag. 211. editionis Henrico-Stephanianæ, in fol.* (χχχ) *Hoc ità & Lucanus.*

Hâc Fortuna fide, Magni tam proſpera Fata
Pertulit. Hæc illum, ſummo de culmine rerum
Morte petit: cladéſque Omnes exegit in Vno
Sæva Die, quibus immunes tot præſtitit annos. &c.

Et

Et profectò, à menſis Auguſti. 19. (quo die, pugnã Pharſalicam commiſſam, ſcribit Ioan. Georgius, l. ſu- periùs citatô) uſq; ad. 1. Octobris, continua Pompejo *malorũ moles ingruens, pluſquam bimeſtrî temporis ſpatio, caſibus adversis nunquam interruptis, exer- cuit eum, & oppreſsit.* [ψψψ] *Inter* uxores Pom- *peji, quidam è recentioribus, in indice ſuorum annã- lium, etiam* Metellam *nominat. In quo, cave, falla- ris; ut* ſex *credas* uxoribus *junctum fuiſſe Magnũ. Satis enim conſtat, Eodem illo tempore* Mutiam *à* Pompejo *fuiſſe dimiſſam, quo tempore, Chronologus ille, quem innui, in annum mundi 3994. ab eo, tradit* Q. Metelli Celeris ſororem fuiſſe dimiſſam. *qui tamen ideò non eſt neceſſe, vel* Metellam, *à fratr deducto nomine, inſigniri; vel, ſi* verè Metella *qu que dicta fuerit, à* Mutia *diſtingui. Vide tamen & Suetonium in Iulio, cap. 50. ubi de* Mutia *Pompeji qui* Cæſarem *ſubinde* ſuum Ægiſthum *gemen tanquã Agamemnon ipſe, in ſua Clytemneſtra Mu tiã, vocitabat.* (ωωω) *Plutarchum in Lucullo vid qui praterea addit, Lucullo milites omnes adempt à Pompejo: nec, niſi M. DC. ad triumphũ ei relicto*

(Aααα) *Hæ fuerunt:* Terentia, *Marcio Regi n pta:* Clodia Major, *uxor Metelli Celeris; quæ & Qu* drantaria *dicebatur, ab infami quodam eventu:* Clodia Minor, *Lucullo jũcta; & ab ancillis fuiſm in i*

In inceſtu cum Clodio fratre, deprehenſa: ut eruitur è Plutarchi Cicerone. (ϛϛϛϛ) *Plutarchus Xylādri,* Antiam *eum appellat. alii,* Antiatem. (γγγγ) *Plutarchus, in Pompejo.* (δδδδ) *Math. 16. v. 27.* (εεεε) *1. ad Corinth. 1. fin.* (ϛϛϛϛ) *Hoc Pompeji Thraſonicū reſponſum, expreſſum eſt etiam in Plutarchicis apophthegmatibus, de Pompeji dictis memorabilibus.* (ζζζζ) Senator *enim nondum fuerat, ſed* Eques *duntaxat* Romanus; *quo tempore primū Pompejus triumphum duxit.* (ηηηη) *Eam* Prętores *geſtabant: quod nondū factus fuerat Pompejus, tunc, cùm ex Africa triūpharet.* (θθθθ) *De eo in Apophthegmatibus* Plutarchus *ſcribit hæc.* περὶ δὲ αὐτοῦ παῤῥησιαζόμενος, εἶπεν, ὡς πᾶσαν ἀρχὴν ἔλαβε θᾶσσον, ἢ προσεδόκησε, καὶ κατέθετο θᾶσσον, ἢ προσεδοκήθη. (ιιιι) Glorioſum *hoc Pompeji* promiſſum, (*ut in corpore Ruina, ſuô locô, vidimus*) *ſucceſſus exploſit; &* Favonius *irriſor.* (κκκκ) *Hoc loco diſſentit ab Appiano, Dione Caßio, ac Vellejo Paterculo, Plutarchus; cùm, cecidiſſe eum, ſcribit, annos natum* undeſexaginta: *cæteris ei, non plures, quàm* quinquaginta octo *annos plenos, aßignātibus. Diverſitatis opinionum utrimque, radix eſt, ut alibi ſubindicavi: quia priores illi, caſum autumant,* pridie natalis ſui, *hoc eſt, ad 3. Calendas Octobres. Plutarchus verò,* poſtridie natalis, *id eſt, ipſis Calēdis. quo die*

die, undeſexageſimum *annum inchoârat.* (λλλλ) *Appianus non ſemel* ποθεινὸν *eum; Lucanus, in Editione Lugduno-Batava, aliiq; nonnulli, hunc regis nutricium*, Pothinum *vocant. Plutarchus autē Xylandri, ſicut & Lucanus, in editione Plantiniana, anni* 1564. *Antuerpiæ*, Photinum: *ut & quinq; codices MS. legūt.* (μμμμ) Philippum *nominant, Plutarchus, in Pompejo; & Appian. l. 2. bell. civil.* Cordum *autem Lucanus ſuggerit, l. 8. Pharſaliæ, ante ſinē*, Philippô *prætermiſſo. Editio verò Lucani Plantiniana, pro Cordo*, Codrum *legit. Crederem ego* Cordum *hunc*, Eum fuiſſe Senem Romanum *quem Plutarchus ait, Philippo ſuperveniſſe, dum o- peram buſto daret: niſi Lucanus* Cordum *appella- ret* Juvenem. *De* Quæſtura *verò hujus, ſeu Senis ſeu Cordi, Plutarchus prorſus ſilens, id ſolùm ait* Eum in Juventute, prima ſub Cn. Pompejo M- gno ſtipendia feciſſe. (νννν) *Abrahamum Ortel. vide, in Tabula Ægypti Antiqua: & Tileman. Stell. in tabula Palæſtinæ emendatiore; ac Lucanum lib. Pharſal.* (ξξξξ) *Roſinum vide l. 7. antiq. c. 5. de n-* mero Senatorum Romæ; *nunc* 400. *aliàs* 600. *poſtea* 900. *& ad extremum, pluſ- quam mille, in Curia ſe- dentium.*

INDE

BIBLIOTECA

INDEX.

A.

ACies *Romanorum*; &, ad eam ſpectantia. 221.& *ſeqq*.
Aciei Romanæ diſpoſitio. 229.& 230. Ejus,pro uſu,occaſionéq; diſpari, diſpares formæ. 234 & 235. In Aciem egrediendi,quis modus ſervari ſolitus. 221. & 222. Ante Aciem, quænam, & quotuplicia, Signa canerent. 222. Quomodo ſe Milites ad Aciem compararent. *ibidem*.
Adulteria Veteris Romæ pręſertim à ſexûs deterioris conjugibus, commiſſa plurima: etiam ab illuſtribus. 322 & 323. De Adulterarum Veteris Romæ multitudine, quid Seneca ſenſerit. 324.ut & de multitudine ſexûs præſtantioris. 325. Reliqua vide infrà, Verbô, *Impudicitia* Veteris Romę.
Æquinoctium, tempore, & annô, pugnæ Pharſalicæ. 792. 793. & 794.
Ærarium Romæ triplex.440. & 441. Ex his, Ærarium Sanctius invaſurus Luc.Cor. nel. Lentulus,Conſul; abſterretur novarum famâ rerum. 441. urbéque Romanâ prófugit. 442.
Alexandri Magni pallacarum una.777.
Amphitheatrum Romæ, ſaxeum aliud: & aliud Ligneum. 135 In Amphitheatris, loca ſeſsitantium: ut & ordo Seſſionis, diverſorum ordinum diverſus; ab imis, ad ſupremos. 136. Reliqua vide, V. *Spectacula*, infrà.
Anguſtus.Clavus, quorúmnam fuerit veſtitus? 150. & 152. & 209
Annulus Aureus, quorúmnam Romanorum inſigne.152 & quando aliis quoque Inſigne hoc communicari cœptum. 209.
Antiquitates Romanæ. Vide infrà, *Roma Vetus*. *Romana Res*.
Antonius, (Marcus). Vide infrà, *Marcus* Antonius.
Apicius, gulę prodigalitatiſque deſperatæ homo. 314.
Appia Via, deſcripta, à pag. 143 uſque 145. *incluſ*.
Appii Claudii rigida Cenſura, 405, Cæſari, ex occaſione, ... pet-

perutilis ſit. ibid. & 406. Pompejanos Appius hic idē inflat, ac languidiores efficit;elevatione virium Cæſaris. 435. & 436.
Appius Claudius *Decemvir*, ſe,collegáſque ſuos,libidine ſuâ evertit: unà cum Decēviratûs magiſtratu. 51.
Aquæ-ductus urbis Romę,141. corúmque utilitas. ibid.
Arenâ de *gladiatoriâ* agitur, à pag. 292. uſque 303.
Aſinius Pollio,Ciceronis inſectator. 369. Ejus ſententia, de numero Pompejanorum, ad Pharsálum cæſorum, limitata; &, ut res exigebat, expoſita. 641. Aſinius hic idem Marco Catoni, cum nervo,& animosè, reſpōdet. 483. Cæſarianarum partium fuit, 428; & tamen Cæſaris Commentariorum, ex parte aliqua,flagellū. *ibid.* & 429.
Aſparagium Dyrrhachinorum. 534.uſque ad pag.537. *incl.*
Athenienſes,Pompejo (cui adhæſerant) victô, veniâ donantur à Cæſare. 645.
Auguſtalis Dignitas,ſupremum Romanæ Libertatis excidium. 658. uſque 661. *incluſ.* Laxamētum ingens erat licentiæ Principum deterioris notæ.660. Quàm amplum, quidvis audendi,campum,& quarúmnam rerum, in ſe complexa fuerit. 657 & 658. uſque 660. *incluſ.*
Auguſti cognomen cur tam avidè Romani Principes arripuerint. 655. & explicatiùs, pag. 656. & 657. uſque 660. *incluſ.*
AVGVSTVS Cæſar, uxorem,alteri ereptam, pro ſuâ, uſque ad vitæ finem, habet. 340. Cætera, de Auguſto, vide infrà, V. *Cn. Octavius*, & *Octavianus* Auguſtus.
Aurum Coronarium, à priſcis Romanis congeſtum: & illius congeriei origo,unde? pag. 272. uſque 275. *excluſivè.*

B.

Baſilii Buſtum. 147.
Bella pop. Romani memorabiliora,cum *Exteris*,à pag 6 uſque 62. *incluſ.* inter qu Tria Carthaginenſia. 60. Mithridaticum, admodū diuturnum. 61. Bellum ciale,cur exortum inter I licos, 83. Bellum Mithriticum in Aſia, quáſnam cauſſas habuerit. 83. & &c. Cauſſarum magna fuerunt ipſimet Romani Aſiam palati,duces. 85. lum Gladiatoriū, ſeu Spa ciū.à pag 351. uſq; 355. lum Piraticum, à Cn.Pompejo M.geſtum,& confe à

à pag.691.uſq; 698. *incluſ.*
Bella pop. Romani *Inteſtina.* Per *Seditiones*, à pag.62. inter quas,Seditio Gracchana. 62.uſque 70,*incluſ.*Belli Civilis Mariano-Syllani initia,& progreſſus.à pag.90.& 91. finis, 118. Belli Civilis Pompejo-Cęſariani,quotúſnam annus flamam incendere luculentiùs cœperit?398. Ejus Acta,à 398.
Beſtiis objecti ab Romanis. 292. Beſtiarii,qui? 298.
Bibulus (Marcus) Iulii Cæſaris naves incendit.523. idq; indignans:&,quam ob cauſſam.*ibid* Cęſari ſemper diſcors fuit.527.& 528 *initio.* Moritur.527.
Bituitus, Arvernorum in Galliis Rex,cum filio Congentiano ab Romanis perfidè tractatus. 287.
Buſtuarii quinam dicerentur Gladiatores.293.

C.

CAESAR (*Cajus Iulius*) inter Proſcriptos Syllanos extremè periclitatur.118. ægerriméque ſe pecuniâ redimens; à Sylla longè ægriùs Amicorum precibus condonatur. *ibid.* & 119. A Q. Catulo rurſus, & Ca. Piſone, periculum capitis adit ; crimine Catilinariæ Conjurationis ei impactô,306. Ipſe, è contrario,Marcum Catonem,ex ipſo Innocentiæ actu, infamat ; interpretatione malâ mentis bonæ.311. & hoc,in libris ſuis : multóque injuſtiùs, quàm ipſe priùs fuerat infamatus à Catullo. *ibid.* Deſtinatam mente habet legem, ferendam de multitudine uxorum. 325. cujus legis perlationem impedit ſola mors ejus. *ibid.* Inter fautores Catilinæ exiſtimatur & ipſe fuiſſe. 356. & 359. Vxorem Pompejam dimittit. &, quámnā dimiſſionis cauſſam attulerit Cæſar? 360. contrà, ac mater ſorórque Cæſaris edixiſſent, uxoris dimiſſæ ſcelus velans. *ibid.* A Cn.Pompejo Magnó cúrnam Cęſar Ægiſthi agnomine affici conſuêſſet? 361. Cum Pompejo tamē eodem nihiloſecius, ſicut & cum Marco Licinio Craſſo, ſed perniciosè, cōjungitur. *ibid.* & 364.& 365. Cæſar, ære alieno vehementer oppreſſus,à Marc.Craſſo ſublevatur.363.
Cæſaris Conſulatus primus, ſeditioſus ac turbidus. 365. & 366. in quo adversùs Optimates multa miſcet. 366. & 367. præſertimque, contra Collegam ſuum, Marc. Bibulum : & contra Marc Caton

tonem. *ibid.* Cæſaris inſolentia. *ibid.* & 368. Publium Clodium protrudit; illô bonorum virorum odiô inductus: inprimiſq; Marci Tull. Ciceronis, 367. & hoc, adjutore Pompejô. *ibid.* & 368. Lucium Vettium ſubornat falſum Indicem; adverſus Optimatium nonnullos, 368; peſſimô tamen rerum Vettii exitu. *ibid.* circa cujus mortem, Cęſaris ſubornatoris fraus, aut vis ac ſcelus, in ſuſpicione ſunt. *ibid.* Amicorum operâ Cæſar provinciam Galliam, cum imperio & exercitu, adipiſcitur. 369. undè magìs, ac magìs, inſoleſcit. *ibid.* Cæſaris in Ciceronem deprehenditur perfidia. 371. & 374. uſque 377. *incluſivè.*

Cæſar in Gallia rem proſperè gerit. 382. Indè verò in Invidiam incidit Cn. Pompeji Magni 383. cum quo tamen hic, nihilominus, ut & cum Marco Craſſo, conſilia cudit ambitioſa. 384. & 385. & 386. Cęſar autem, ingreſſum ſibi ſtruens, ad ſupremam rapiendam Potentiam; muneribus omne genus hominum Romæ corrumpit. 384. & 385. ob quam proinde cauſſam plurimos ſibi præſtò, faventéſque, facit. 385. De Prorogatione militaris imperii Cæſariani in Galliis (utrum in Quinquennium, an verò in Triennium duntaxat, ea facta ſit) agitur, & ſparſim, & ſubinde continuatè quoque, à pag 386. uſque 412. *incluſivè.* Cæſar expoſtulat, de Privilegio prorogati ſibi imperii &c. intercepto, ac turbato, 396. de qua turbatione agitur. 394. & 395. Cur Cæſar, prorogari ſibi Galliarum imperiũ & quatenus, tantopere laborârit? 397. &c. Obfirmat animum; nunquam ad vitam privatam redire. 400. & 40[illegible] obſiſtentibus autem in e[illegible] conatu ſibi, minatur. *ibi[illegible]* & nominatim, 401. *imm[illegible]* A Marco interim Marcell[illegible] Conſule, abſens luculenta[illegible] accipit contumeliam. 39[illegible] At ipſe, paratos in pernic[illegible] ſuam inimicos, & ſuborn[illegible] tos adverſarios, donis ad[illegible] perducit. 402. & 403. Ad[illegible] pſum quoque complures[illegible] trò tranſeunt, Appianâ C[illegible] ſurâ notati, 405. & 406.

Cæſari prorogatum fuiſſe G[illegible] licanum imperium, non [illegible] tra, quàm in Trienni[illegible] Dio vult. 407 & 409. id [illegible] ſcriptor contendit; E Ga[illegible] oportuiſſe maturiùs re[illegible] Cæſarem, exercitúmque

mittere. 408. ſicut & Marcus Marcellus Conſul contenderat.409. & 410 & 412. Marcus item Cicero. 411. Cæſaris porrò excuſationi, timorique privatæ vitæ reſumendæ, reſpondetur. 413. & 414. Moram certè illius tam diuturnam in Gallia, ſinè controverſia, fuiſſe illegitimam; clarè Cicero demonſtravit 411. & tamen, Senatûs culpâ, eam accidiſſe, non diſſimulat *ibid.* & 412. Planè denique, Indignitatem fuiſſe magnam; Ob unius Cæſaris ambitionem, pati gravariq; terrarum orbem: auctor monſtrat. 413. & 414. Pergit tamen in cõtumacia Cæſar: &, iterum iterúmque paciſci cum Senatu, De Provinciis, conatur. 418. 419. & 421. miniſtrúmque cupiditatis ſuæ, Ca. Curionem, ad ſe venientem, amicè curatéque accipit. 420. & 421.

Cæſar Ravennæ hibernat,420. Indè, ad Senatum denuò ſcribit publicè, claris cum belli minis. 423 & 424. Commentariorum Cæſaris fides, circa Verum, & Integrum, laborare exiſtimatur. 427. 428. & 429. idque, partim, è Pollionis judicio colligitur. 428. partim, ab experimentis deducitur. 429: non citra damnum plenæ veracíſq; hiſtoriæ. 429. nec ſinè rerum, à Cæſare narratarum, quandoque caligine. 430.

Cæſar, initium daturus Civili bello, Ravennâ copias movet, Ariminum versùs, 432; tránſitó interim amne Rubicone. *ibid.* & 433. Arimini concionatur. 433. ac legatis adverſæ partis reſponſa dat. 434. Ab eo Tit. Labienus deficit. 435. Pompejanorum imodicâ gratulatione. 435. nec tamẽ eorum parî commodô. *ibid.* Cæſar, eo tẽpore, judiciô Ciceronis, Legiones habebat undecim. 436; eáſque, opinione famâque virtutis ſuæ bellicę, undique collectas. *ibid.* & 437. Duces quoque habet, haud incelebres. 437. Cum his copiis, exiguô admodum tempore, Italiam occupat univerſam. *ibid.* & 438. & 447. ipsô quoque Cicerone, ad Cæſaris celeritatem tantam, attonitô. 438.

Cæſaris Conſulatum *alterum* (ſi eum adipiſceretur) cur vulgò formidarent Reip. Oprimates. 439. Cæſar, & Pompejus, alter alterum ejicere, vel excludere, Brundiſiô, laborant. 453. Cæſaris, de

de Pacis negotio apud Pompejum tunc agitatô, Narratio;inſigniter ſibi contraria: ac Pſeudopoliticis notanda. *ibid.* & 454. & 455. Cæſar, Brundiſiô tandem occupatô, Prætores diverſos in diverſas mittit Provincias. 455. claſſibúſque, quæ poteſt, maria, maritimáſque oras, obtinet,& inſidet,456. Cæſarianorum, maris ac terræ prætorum, nomina. 455. & 456.Sed Cæſar,deſperatione claſſis juſtæ ſufficientíſq;, celeritate debitâ comparandæ; cogitat in Hiſpanias. 456. &, quónam præterea conſiliô aliô id faceret? *ibid.* Qualémnam principiô belli Civilis militum farraginem Cæſar habuerit? 458. & 459. & ipſe, quàm minax fuerit.459. ac 460. Ciceronem, ad Acta ſua comprobanda, inducere conatur: ſed, abſque ſucceſſu. 464. & 465.

Cæſar, cum exercitu Romam accedens, 471, legatos ad Pompejum mitti poſtulat. *ibid.*& cur id poſtulârit ſinè effectu? *ibid.* & 472 Ærarium Romæ diripit 472. uſque 474. quantânam furti ſummâ? 473.*fin.*& 474.*pr.*& 785. Direptionem eam impedire conantem L. Metel-
lum, minis coërcet; ac reji
cit. 472. & 473. cúmqu
propterea, poſt hæc, ſuis i
Commentariis, calumnio
falsóq; traducit: de ſuo pe
cato ſilens. 474. qui tam
ab Auctore, pro Metelli d
fenſione, refutatur. 474.
475.Direptione interim i
lâ pecuniæ publicæ, Mete
líq; vexatione injuſta, pl
rimos Cæſar offendit. 47
in his, etiam C.Curionen
Cæſarianæ cæteroqui cau
ſæ promotorem. *ibid.*qui i
circo de Cæſare non optin
loquitur. *ibid* & 476.In P
puli quoque Romani odiu
Cæſar delabitur. 476.mal
que audit à crudelitate,
rapinis. *ibid.* diſcedítq; pr
pterea *Româ* feſtinantiù
Romanis iratus. *ibid.* ídq
facit, imminutô paullat
etiam Legionum ipſius in
ſtudiô,477.Multitudini p
rò meritô factus eſt invi
Cæſar: ſicut & omnes ſiu
qui Cæſaris infandum ſ
& ambitionem imitan
477.In Galliam interim
ſar;& mox in Hiſpanias,
it cum exercitu.478. Ex
nere verò Maſſiliam urb
per ſe,pérq; ſuos,oppug
eam denique ſubigit. 4
Fabii quoq;,Legati ſui,
niſteriô,hoſtes è ſaltu P

næo dejicit. *ibid* & 479. *initiò*. Contrahēdi ſtyli cauſſâ *Cæſaris* geſta, in Hiſpaniis, cętera, cōpendiò referuntur. 479. & 480. Cæſar, equitandi peritiſſimus erat. 492.

Cæſar, à Marco Æmilio Lepido, abſens, Dictator dicitur. 513. Placentiæ, tumultuantem militem ſuum, ſupplicem cōciò, miníſque atrocibus, cōpeſcit. 513. 514. 515. Centurionem, locô militis, ab eo falsò ſibi delati, accuſatíque, plectit. 515. Romam regreſſus, & à Piſone ſocerô, ſuper Pacis negotio, cum adverſa parte tractando, interpellatus; retrahitur à Servilio. 515. Romæ varia, contra Leges, ac majorum inſtituta, ordinat. *ibid.* & 516. Seipſum facit Conſulem; Dictaturâ interim, ſpecie tenus, & ad tempus duntaxat, depoſita. 516. Super hæc, etiam tum, improbè nefariéque, Ærarium, Templa, Deorum Ædes ac fana, diripit. *ibid.* & 517., ídque ferè, tanquam *mutuò ſumentis*, titulô. 517. Cæſari porrò, Roma in expeditionē Macedonicā abiturienti, diverſi generis omina offeruntur: eiq; præludunt. 517. & 518: Puerorum præcipuè certamen ludicrum, Cæſarianæ victoriæ virilis, ac feriæ, præludium facit. 518. Cæſar à Pop. Romano, in abitu, de Pace ineunda, rogatur. *ibid.*

Cæſar, Quótnam Legionibus, adversùs Pompejum inſtructus, Macedoniam petere, conatus ſit? 519. In Macedoniam, ex Italia, incogitāte prorſus, ac pæne vacante, Pompejô, trajicit. 521. & 522. quónam anni tempore, & quàm providè, mare trāſierit? 522. Quótnam cum Legionibus, primò trajectu? *ibid.* Relictis à tergo Legionibus, quóſnam *Cæſ.* Legatos præfecerit? 522. & 523. Ejus naves, è Macedonia remiſſę, in mari Ionio malè mulctātur. 523. Quáſnam terras, primô ſuo in Græciam ingreſſu, quæve oppida, occupaverit, Cæſar? 523. & 524. Quantum terroris, ac tumultûs, Pompejanis injecerit. 524. Ad flumen Apſum, è regione caſtrorum Pompeji, caſtra ſua metatur. 525. & 526. Res Pompeji maritimas, aliquamdiu, in arctum redigit. 526. & 527.

Cæſar, iterum conditiones Pacis Pompejo proponit; ſed, Injuſtitiæ manifeſtas. 528. ideóque à Pompejo, & Pompejanis, meritò rejectas: non abſque Cæſaris contemptu. &

& exſecratione. 528. & 529. ubi Titi Labieni, contrariæ Cæſari, conditiones, ipſique internecinæ, referũtur. 529. Magnô ſuî periculo ſe naví nocturnæ Cæſar committit, marî proceſſosô 530. ubi voces referuntur magnanimæ, quibus is gubernatorem navis incitabat, ad fluctus perrumpendos. 530. Ad ſuos tamen redit, infectâ re. 531. ac legiones tandẽ ſuas, Brundiſii relictas, recipit. 531. & Marco Antonio, qui eas apportârat, conjungitur. 534. haud tamen citra magnos itinerum labores 533, nec ſinè Græcorum hominum impenſiore in ipſum, quàm in hoſtem ejus, ſtudio. 534. Annonæ cauſſâ excurrit in loca varia. 535. infra ſpem tamen reportatâ prædâ. 536. Dyrrhachii quoque deditionem ſpontaneam, aut expugnationem, fruſtra exſpectat, & affectat. 536. & 537. Ejus exercitus cum fame confligit. 538. unde viciſſim ipſe Pompejanos pabuli & aquæ penuriâ affligere nititur. 538 & 539. Pompejúmque caſtrorum ingentî circumcludit ambitu. 539. Vbi mox, ac ſimul, utriuſque Caſtrorum ſpatium, & amplitudo, declaratur: Pompeji quidẽ, pag. 540. & 541. Cæſaris verò, 541. & 542. In ea Pompeji incluſione, quidnam Cæſar quæſierit? 539.

Cæſaris exercitus à Pompejanis funditoribus, &c. vexatur. 542. gravéque periculum Nona Cæſaris legio, à Pompejanorum incurſu, adit. 543. Cæſaris interim univerſus exercitus, fame adhuc acriore preſſus, *ibid.* genere quodam panis exoticô conſolatur inopiam ſuam. 543. de quo pane controvertitu[r] à nonnullis. 544. ſicut & d[e] Panis illius jactu in caſtr[a] Pompejana 544. & 545. Cæſaris, inter hæc, milites, et[iam] extremæ famis neceſſitate præ Pŏpeji incluſione, floc[ci] faciunt, 546, ac ſagittari[os] Pompejanos, arte vigili[a]rum ſtrategematicâ, eludũ[t] *ibid.* Abſente Cæſare, co[]hors Cæſaris Sexta graviſſ[i]mum in diſcrimen conjic[i]tur, 547, propugnante tam[en] centurione Scævâ, innoxi[a] *ibid.* & 548. Rurſus Pa[] negotium Cæſar tentat: ſe[d] effectu nullo. 549. & 55[0]. Timiditatis ſuperbæ not[am] Cæſar, ſuîs in Commen[ta]riis, imponit Pompejo, 5[] & 551: defectum item [pa]buli; multorúmque ab militum defluxum. 551.

C

Cæſar, à Pompejo ad Dyrrhachium oppugnatus, magnum adit ſummæ rei diſcrimen, à pag. 552: quod diſcrimen deſcribitur aliquantò pluribus, à pag. 555. uſque ad 559. *incluſ.* Cur. exiſtimationis ſuæ labi Cæſar afferre remedium meditatur: p. 558. 559. & 560 ſed, ſpe ſuâ per errorem ſuorum, dejectus, 560. & 561, fluctuatur in certamine vehementer. 562. & 563. itémque, 573 & 574. victúſque foret, ſi vincere voluiſſet Pompejus. 563. quod ipſum tamen confiteri Cæſar non vult. 564. caſúmq; ſuum variè, ſed planè vanè, conatur elevare. *ibid.* cùm tamen revera ſuorum multos tunc amiſiſſet. 565. & 574. Marcóque Catoni luctûs cauſſam, è cæſorum multitudine, præbuiſſet. 566 Unde jam

Cæſaris, de ſuo Bello Civili, narrationibus, ſubnectuntur & alii; diverſa nonnunquam ab eo ſcribentes. à 566. uſque 575. &c. Nominantur autem auctores illi, qui ab eo diverſa nonnũquam tradunt. 569. Narratio rerum, à Cæſare geſtarum, à tempore maritimi tranſitûs ejus in Macedoniam: ex auctoribus, ab eo quandoq; recedentibus, in compêdium redacta. à pag. 570. uſque ad 578. particulatim: de tentata ab eo, ſub tempeſtatibus, Ionii maris tranſmiſſione ſolitariâ. 570. & de eo, quod à ſuriâ. 570. & de eo, quod à ſuis, poſt reditum, audire coactus eſt. 570. & 571. de clade item, ad Dyrrhachium acceptâ: &, cujuſmodi noctem proximam egerit: deque diverſis luctûs ejus cauſſis. 576. & 577

Cæſar, poſtridie cladis, ad Dyrrhachium acceptæ, militem ſuum animat. 579. iſque fidem ei firmat, & jurat *ibid.* Cæſar à Dyrrhachio exinde caſtra movet aliò. *ibid.* & 580: Pompejóque, ſe inſequêti, elapſus, 583, in Theſſaliam pérvenit, 584. quam is regionẽ geminas ob cauſſas petivit, & inſedit. 584. Gomphos urbem dedi ſibi à Theſſalis, vult. 585. & 586. idque ab Androſthene, prætore gentis, petit: qui à Cæſare defecerat ad Pompejũ, 585, ſéque ad urbis Gomphææ defenſionem vi ſummâ compararat 586. Sed, quod petit Cæſar, non impetrat. 586. Vi proinde agens, Gomphos expugnat, diripit, cæde magnâ vaſtat, 587. idque, in exemplum ac terrorem aliarum urbium. *ibid.*

ibid. Metropolin, & urbes alias, deditione ſuas facit. 590. Cæſaris milites Gomphis inebriati, 587. & 588, utrum nihiloſecius pugnaverint? 589. & 590.

Cæſar Pharſalum pervenit. 590. Cæſaríſne illic magis, an Pompeji, arrogantia, negotio Pacis obſtiterit; obiter diſcutitur. 596. Cæſaris milites, tædiô faméque feſſi; aliquando debellatum eſſe, cupiunt. 596. & 597. ardéntque confligendi deſideriô, etiam uſq; ad Pompeji nonnullum terrorem. 597. Cæſar, à Pharsálo transferre caſtra Scotuſam versùs, meditans; præmittit ſuorum partem aliquam, 602: à ſpeculatoribus autem ſuis, movẽte jam in adverſarios Pompejô, edoctus, quídnam fieret, 605, mutat profectionis conſilium: &, occurrere Pompejo in pugnam, cõſtituit, 606. Ante pugnã porrò ſacrificat: votúmq; concipit. *ibid.* Cæſaris militum quantus fuerit numerus, ante pugnam ad Pharſalum? 609. Majorem exſpectare numerum milites Cæſaris abnuunt. 610. Hoc locô, numerum, tam Cæſaris, quàm Pompeji, militum, quidam admodum extendunt. *ibid.* & 611.

Cæſar, quemadmodum Aciem ſuam, ante præliũ ad Pharsálum, inſtruxerit? 613. & 614. Cohortes Sex, adversùs equitatum Pompeji, cur in ſubſidiis collocaverit? 615. Quænam generatim præcepta ſuis dederit? *ibid.* quâ tô id aſtu fecerit? *ibid.* Cæſaris, ad militem ſuum, ante commiſſas inter ſe acies, exhortatio. à pag. 616. uſque 621. *incluſivè.* Quot gentes ſubegiſſe ſe, in Oratione illa, memorârit? 620. Milites, in aciem prodeuntes, jubet, caſtra ſua diruere. 621. De hoc Cæſaris factô, quídnã Pompejus judicârit, exprimitur 622. Teſſera Cæſaris militum gemina, quæ? 622. Cæſar, à Subſidiariis ſuis jube feriri oculos equitum Pompeji. 627. & 628. ídque, felic ſucceſſu; fugatô hoſtium e quitatu. 628. Quid dixeri Cæſar, conſpecta tunc Pom pejanorum fuga? 631 Qu lem eô præliô Cæſar ſe C vibus; qualem, è diverſ Auxiliarib. Pompejanis, e hibuerit? 632. & 633. Teſſ ram aliam, ac novam, eán que Securitatis, dat Cæſa pro Romanis Victis. 632.

Cæſar Victor, perſuadet ſuis; etiam Caſtris Pompejum e uant. 636. & 637. In Caſti

Poi

Pompejanis, quídnam Cæſar invenerit.638.&639. Pompejanorũ reliquias perſequitur, 639. uſque ad Pompejanorum omnium ſuî deditionem,640:quos ille clementer habet. *ibid.* Quótnam ſuorum,in pugna Pharſalica, Cæſar amiſerit? 640.&641. Suos Cæſar, in concedenda Pompejanis vitæ gratiâ, impensè honorat. 644. Marco verò Bruto, ad ſe perducto, ipſe ſponte, nec ad alterius preces,ignoſcit. 644.&645. & cur libenter? 644. Ciceroni quoque, nec ſinè illius honore, veniam concedit, 645. & 646. Theſſaliam inſuper univerſam libertate donat: & cur? 647.

Cæſar in Ægyptum uſq; Pompejum inſequitur. 647.Monarchiæ Romanæ dat initiũ. 647. Ex Ægypto reverſum, ac deinceps, quínam honores,in cumulum, exceperint. à pag. 648. uſque 651. *excluſ.* Quot, & quibúſnam è Provinciis hoſtibúſque, reportârit,& egerit,triũphos? 648. & 649. Eius honores nonnulli immodici,650. Ejuſdem, in ipſa ſublimiorum dignitatum meditatione, & apparatu ,oppreſſio. 650. & 651: Regnum enim Cæſar parùm ſyncerè repudiârat. 650. A quot Conjuratis, &. quot à plagis, Cæſar interierit?651. Ejus interitu, lætati nonnulli ſunt.651.ſed fruſtra. *ibid.* Dies necis illius, primò *Natalis-Romæ* dictus, Parricidii poſtea vocabulum accepit. 651. & 652. Julii Cæſaris clementia prædicatur. 687. Cæſar ſucceſſorem accipit Cn.Octavium. 652, de quo vide, locô ſuô, ac verbô, *Cn. Octavianus*, infrà.

Cajus Claudius Marcellus Cõſul, Pompejum incendit in bellum Civile. 418.

Caivs Cvrio, ad Tribunatum Plebis evectus, 401, A Cajo Iulio Cæſare pecuniâ corrumpitur, 402. ideóque ejus cauſſam injuſtam ſuſcipit tuendam. *ibid.* & 403. Periclitatur à Cenſura morum. 406. Multîs tamen de cauſsîs,apud Plebem ſaltem, gratioſus eſt. *ibid.* Vafer ingenio. ſeu ſubdolus, ibidem eſt,& expiſcator conſiliorum Pompejanæ factionis, adversùs Cæſarem initonis. 406. inſignis quoque ſimulator, *ibid.* & 407: tanquam utrique parti addictus eſſet. 407. & 414. Amicum ſe tamen denique, defenſoremque, Cæſaris ſolius, palàm gerit, 415. ac pro eo palàm quoque loquitur, & nititur,

titur. 416: Pompejúmque v[illegible] nter urgens; in angiportum consiliorum compellit, tum ipſum, 417. tum & Senatum. 418.

Cajus Curio idem, ad Cæſarem excurrit Ravennam 420; cumq; eo confert, pernicioſa patriæ, conſilia. 421 Ravenna Romam redit, curſu celerrimô. *ibid.* & in Senatu, pro Cæſare, connitentibus unà Marco Antonio. & Caſſio Longinô, turbat omnia, 422. & 424. & 425. cum quibus ipſis demum urbe cedit, 426. Cæſarisque denuò in congreſſum venit: ejúſq; partes, ſuo quoque, & fugæ ſociorū, acceſſu auget. *ibid.* & 427 Idem tamen ipſe Curio, de Cæſare poſtea queritur; ob varia, 475, & parùm ſecundos de illo ſermones habet. 476. Hic tandem, metu potentiæ claſſis Pompejanæ, tanto promptius trajicit in Africam. 496 & 497. Iſque trajectus ei principiò felix eſt. 497. vt & prælia quædam minuſcula. 498. & 500. & 501. Corneliana caſtra inſidet. 498. eaque dein relinquit: & cur? 499 Regis Iubæ auxilia fugat, ac fundit. 499. & 500. Cum copiis quoque Va[illegible] confligit. 500. & 501. idque, nullius ſuorum, præterquam Fabii Peligni, jacturâ. 501. &, cur hunc amiſerit? *ibid.* Nimia felicitas prima, Curionis confidentiam accendit; in ipſiúſmet perniciem. 502. & 503. nam

Cajus Curio, à perfuga quodam ficto, deluſus nunciô, quadam ex parte falsô, mendacéque, de Iubæ regis diſceſſu, 503; contra Saburræ, regiorum Ducum præcipui, numerum, ſatis copioſum, proſperè rem gerit, 504. cum ipſo verò Saburrâ congreſſus ſuî ſuorumq; ſtragem internecinam incurrit, 504. & 505. & 506. ipséque interficitur. 506. cujus abſciſſ[o] capiti ab Afris illuditur. 50[7] Copiarum autem ejus rel[i]quiæ diuersè pereunt. *ibi[d.]* aut cum infamia diffugiu[nt] *ibid.* Eam tamen Curio[nis] Cladem C. Iul Cæſar in [A]f[ri]ca, poſt hæc, utcunque ulc[i]ſcitur. 508 Refertur, Qu[æ]nam cauſſa fuerit odioru[m] inter Ca. Curionem, & I[u]bam regem? 507. Curio interim Interitus moribus [e]jus dignus & conveniens [e]rat. 508. uſque ad 513. [in]cluſivè.

Cajus Craſtinus prælii Phar[sa]lici facit initium. 614. in eodem mox occum[bit]

ibid. à Cæſare magni æſtimatus. 640.

Calénus (Q Fuſius) Marci Tull. Ciceronis, vehemens, ac Satyricus, refutator. 309. & 310. neque tamen probabilis per omnia fidei. 310.

Cannenſis cladis atrocitas. 343. & 344.

Capitolium Romanum, diverſis temporibus, aliud atque aliud; diverſâque ſtructurâ, vel ornatu. 255. & 256.

Caſius mons: & Caſium, ubi, & quæ loca 793. & 794. Ad Montem Caſiū occiſus Pompejus Magnus eſt: ac ſepultus. 795.

Caſtitas Romanarum veterum: & unde? 157.

Caſtra Fabiana, quínam hodie locus? 771.

Caſtra Romanorum Æſtiva, ſeu Stativa: & Hiberna, 213. Vrbium quarundam, & caſtellorum, fuerunt origines. 213. & 214. Caſtra Fabia, ſeu Fabiana 213 Caſtra, ab Romanis inſtructa rebus omnibus, in uſum militum neceſſariis, fuerunt 214. Proceſtria quoq. caſtrorum. 214. Caſtrorum de Diviſione, ac Partibus; Auctorum diſſidium. 215. Deſcribuntur ea tamen, è ſententiâ expeditiore. 216. uſque 219. *excluſivè.* Locus ſingulorum belli Ducum, & capitum in caſtris, à pag 217. uſq; 2[illegible] *incluſivè.* De Caſtrorum Supera, & Inferâ parte. 216 & 217. & 219. & 220. Eorum Prætoriū: & Prætorium incolentes. 217. Principia in Caſtris, quid? 216. Quintana quid? *ibid.* & 217. Aræ Caſtrorum. 219. & quaſi templum. 217. Caſtra Romanorum interdum à ſuiſmet deſtructa: & cur? 222.

CATILINA (Lucius Sergius), ejúſque Conjurationis Socii quidam. 355. & 356. Ipſe Catilina cæſus in acie. 356. Catilinæ flagitioſiſſimi mores, & acta. 357. & 358. Catilinę rebus faviſſe Iulius quoq; Cæſar exiſtimabatur. 356. & 359. ſicut & Marcus Licinius Craſſus, & C. Antonius, Ciceronis, in Conſulatu, collega. 359. Catilinæ, in cæde cujuſdā, facinus audax 3[illegible]

CATO (Marcus, cognomento [illegible] *Vticenſis*) à Cicerone inſimulatur amiſſæ Siciliæ, utrū immeritò? 482. & 483. Deſignatus à Pompejo thalaſſiarchus Ionii maris, 494, cur reipſa factus non ſit. 495. A Iulio Cæſare quondam, in Conſulatu ipſius primo, [illegible]xatus; Marci Petreji [illegible] tiâ, gloriæ plenâ, defend[illegible] 366. Luget eos, qui è Cæſa-

rianis ad Dyrrhachium occubuerant. 566. & 575: quãuis alioquin ad fletum, etiam à pueritia, inflexibilis. 575.

Cenſores morum, apud Romanos. Vide infrà, V. *Roma*, *Romana Res*.

Centuriones, apud Romanos, quódnam munus, & Inſigne, geſſerint in Caſtris. 207. Eorum Vitis, *ibid.* & odium vulgò apud milites, ob rigorem imperii: ubi &, de Centurione Lucillio. 207. déque Lucillii illius cognomine, Cedo-Alteram. *ibid.* & 208. Centurionum honores: & maximè Primipili. 208.

Cerellia, admiratrix Librorum Ciceronis Philoſophicorum. 310, à Fuſio Caleno propter hoc infamata. *ibid.*

Chryſoſtomi (S. Ioannis) libertas in loquendo; & conſtantia. 467.

CICERO (Marcus Tullius), aſper, & acerbus in eos, à quibus offenſus eſſet. 306. & 307. Ab aliis interim paria, relata paribus, reportat. 308. uſque 310. *incluſ.* Vtrúmne fides adhibenda quibuſvis obviis ipſius criminatoribus? 310. De Cerellia, amatrice Scriptorum Ciceronis. *ibid.* Ciceronis ſecunda Philippicá, infenſiſſimè refutata. 309. Ciceronis, cum duabus uxoribus, divortium, indecens. 335. & 336. Cur Publio Clodio Cicero tã inviſus eſſet? 362. Ciceronis inſectator & Aſinius Pollio fuit. 369. Ad hæc odia, non parùm contulit ipſiúſmet Ciceronis, ingrata pleriſque, vitæ cõſuetudo. *ibid.* & 370. A Clodio proinde tantò confidentiùs exagitabatur; nomine maximè Crudelitatis i[n] Socios Catilinæ. 370. & 371

Cicero, Clodianam ſuî inſecta[-] tionem, nimiâ ſui ſubmiſſio[-] ne conatus evadere; ridic[u-] lus fit. 371. In quo toto n[e-] gotio *Reatûs* ſui, à Cæſa[re] Pompejôq; perfidiſſimè c[ir-] cumſcribitur. *ibid.* & 372. 375. uſque 378. *incluſ.* i[n] primis autem à Pompejo d[o-] loſè tractatur, & durè. 37[3] & 374. & 376. & 377. Pa[ra-] tus autem, armîs advers[us] inimicos contendere; ab [a-] micis inhibetur. 373 & i[n] Vrbe Italiâque, fugâ ſic cedit: 373. fin. & 374: a[t-] que in Macedoniam. 3[..] Ejus mox domus, villæ, [for-] tunæ, vaſtantur. *ibid.* [Ab] exilio verò, poſt hæc, o[pera] Pompeji revocatus, 38[0] Vrbem ingentî gloriâ re[ver-] titur. 381. póſtque redit[um] ſuo reductori, palàm, [...]

rum; clam autem, Acerbum, ſe præbet. 381.

Cicero, Iulio Cæſari, propter retentum ultra tempus Gallicanum Caſtrorum imperiũ, indignatur. 411. Ejus autem alibi verba, quæ, diverſum ſonare, videri poſſent, quomodo intelligenda ſint, exponitur. 412. Cicero, reverſus è Cilicia, Pacis negotiũ, inter Cæſarem & Pompejũ, tractat. 419. idque ſeriò, ac conſtanter. *ibid.* & 420. ſed effectu nullò.420. De uxore Terentia interim, ac de liberis ſuis, quídnam ſtatuerit, dum in Græciam ex Italia Pompejani trajiciunt; docetur. 450. & 451. Poſt reditum è Cilicia, quídnam aliquamdiu functionis obierit in Italia. 457. Recuſat, à Cæſaris ope gratiâque ſibi Triumphum Cilicienſem extorquere. 457. conſtituítq; ; Nihil indignum ſe, palpatione Cæſaris, admittere. 458. nec ei ad urbem prçſtò eſſe. *ibid.* Idque reipſa poſtea ſic exſequitur. *ibid.* & ſeqq. 464. &465. Ad fugiendam autem tantò impenſiùs Cçſaris cõſuetudinem, ac gratiam; exſtimulatur ab amicis. 458. Qualénam hominum genus, cum Cæſare, Formiis, alibíque, Cicero deprehenderit; exprimitur. *ibid.* & 459. Sibi ipſi viſus contradicere, 463. aut certè, ſenii vitiô, lapſus memoriâ: niſi loca ſcriptorum ejus (etſi utcunque contortè) concilientur. *ibid.* Ejus colloquium, cum Cæſare, libertatis plenum. 464. & 465. quódque Chriſtianis etiam hominibus eſſe documento poſſit, & imitationi, à pag. 465. uſque 470. quod ipſum tamen colloquiũ Ciceroni cum Cæſare interceſſiſſe; falsò, pérque Ciceronis injuriam, Dio Caſſius negat. 470.

Cicero, bellò Civilî jam ardente, cogitat primùm in Siciliam, ac Mélitam. 480 & 481. Amiſſione interim Siciliæ, torquetur. 481. ejúſq; jacturæ culpam confert in Marcum Catonem. 482. nec fortaſſis, præter illius omne meritum. *ibid* & 483. Cogitat itaq;, poſt hæc, in Macedoniã, ad Pompejum. 483. principióque rem eam diſſimulanter agens, *ibid.* variis ſubinde, gravibúſque, obſtaculis inhibetur. 484. & 485. omnium verò arctiſſimè, à Marco Antonio. 485. & 486. cujus ipſiu Antonii pars epiſtolæ ibi ponitur. 485. Contra Antonii nihilominus motra Antonii nihilominus mo-

nita Cicero vela facit in Mace-

cedoniam. 487. Id ob quas poti ſſimùm cauſſas egerit, compendiò recenſetur. *ibid.* & 488. uſque ad 490 *incluſ.* Ciceronis, in caſtra, adventus, Pompejo gratus, 490: mora, contrà, moroſitáſque illius, Pompejanis ingratæ acciderunt. 490. Ipſe porrò Cicero, bello illo imbellis, *ibid.* tempore prælii Pharſalici, quidnam rerum egerit. 642. Ciceronis, de Aquilis, apud Pompejanos ſuperſtitibus, jocus. 643.

Ciceroni Cæſar, poſt victoriam Pharſalicam, honorificè ignoſcit 645 ſ. & 646. qui tamen, ipſiſmet à Pompejanis, vitæ periculum adit. 646 Idem, ad extremum, à Cn. Octavio Cæſare parùm gratè perſeverantérque protectus; Marci Antonii mandatò, obtruncatur. 653.

Cinna (Cornelius) fit Conſul Romanus, operâ Lucii Corn. Syllæ: ſed ab hoc ſe poſtea abrumpit. 93. A Syllanis, in foro Romano confertâ pugnâ, ſuperatur: ac fugiens, à Senatu exauctoratur. 94. Idem autem poſtea, cum Ca. Mario ſeniore, Romã intromiſſus; tunc quidem mox ejicitur, unà cu.. utriuſque copiis, 95: iterum tan ẽ admiſſi uterque, civium maximam edunt ſtragem: &, in his, etiam primariorum. 96. & 97. Cinna verò denique miſerè, ſuorummet à manibus, occumbit. 104.

Claſſicum in bello, quid? 224. Claſſica, & Signa Caſtrenſia, ante egreſſum in Aciem, 212. quónam effectu uſurparentur? *ibid*

Claudius Appius. Vide *Appius*, ſuprà.

Cloacæ Romanæ veteres, magni moliminis opera. 140.

Clodius (Publius) Tribunus Plebis poſtea factus: in Sacr Bonæ Deæ, domúmque C Iul. Cæſaris, famâ peſſim. penetrat. 359. & 360. Iu ciò verò, propter hoc, ex tatus, 360, evadit nihilo cius; & ope pecuniæ, jui cibus diſtributæ; & infan tamen ei perpetuò hære 362. Cur Clodius hic in ceronem odiô tam ince ferretur 362: ut idcirco iam ad Tribunatum plebi ſpiraret omnibus votis, & &, ad exagitandum Cic nem, adjutores ſibi con reret *ibid.* & 363. præſe verò, Pompejum, ac C rem: 363 & 364. Idem dius miniſterium ſuum terponit pravis Socie Tricipitis machination 364. At demum petula e

etiam Pompejum Magnum invadit. 379. A Tito Annio Milone tandem interfectus, 390, etiam cadavere funeréque ſuo, pernicioſus eſt urbi. *ibid.* & 391. Idem Clodius Metellam quoque vitiâſſe, perhibetur. 782. De Sororibus tribus propriis, ab eo nequiter habitis; fama certior fuit. 324. & alibi, non ſemel.

Cnejus Octavius, poſtea Cajus Cæſar Octavianus appellatus. Vide, *Octavianus* Cæſar, infrà. & *Auguſtus*, ſuprà.

Congentiánus, filius regis Arvernorum in Gallia. 287.

Contra - Senatum quænam factio ſe nominârit? 90.

Coriolanus (Marcius) urbe Româ, per Tribunorum ſeditioſam, adversùs eum, conſpirationem, ejicitur: &, quânam offenſionis, ab eo datâ, occaſione? 44. Ab excidio Patriæ, jam obfirmatô, Suarum lacrymis abducitur 45. Quénam vitæ ſortitus ſit exitum? 752.

Cornelia Gracchorum mater. 756. & 757.

Cornelia, Cn. Pompeij Magni uxor poſtrema; quemadmodum, nunciatâ clade mariti Pharſalicâ, ſeſe geſſerit. 665. & 666. qualiter item, adventu Pompeji victi, ad ſe. 666. & 667. Marito, ad regem Ægyptium iturienti, timet. 679 & 681. Ei Pompejus ſupremùm valedicit. 681. & 682. Spectat ea, paullò pòſt eminus mariti interitũ. 683. In Italiam, ex Oriente, reverſa, Pompejum ſuum perpetuò deplorat. 685. Hujus Corneliæ præſignes aliquot animi corporíſque dotes afferuntur. 689.

Corneliorum Romæ ingens multitudo, extra Cornelios Patricii generis: undénam enata? 124.

Corona Romanorum militares, diverſorum generum. 237. & 238.

Corvo, ab Romanis exſequíæ magnificè factæ. 742. & 743.

Cotta (Marc. Aurelius) judicia Romæ transfert, ad ordinem alium. 355.

Craſſus Dives. 275.

Craſſus (Marc. Licinius) Spártacum, unáq; Bellum omne Gladiatoriũ, extinguit. 353. uſq; 355. fit Cõſul; ac Tribunatûs Plebis, adjutore Cnejo Pompejô, reſtitutor 355. Exiſtimatur à nonnullis, rebus Catilinæ clam ſtuduiſſe. 359 Cum Pompejo Cæſaréque noxiam contrahit amicitiam, & Societatem 361. & 364. & 365. &c. Qualem ſa

ſe præbuerit, in cauſſa Ciceronis, à Publ. Clodio expulſi. 374. & 375. Malis avibus in Orientem profectus, pejoribus multò perit: Aquilis etiam amiſsis. 388. & 389.

Criſpus Salluſtius, Ciceronis idem, & laudator, & reprehēſor. 308. & 309. Criſpi Salluſtii locus quidam, de Luc. Corn. Sylla, obſcurus. 338 & 339. Criſpus ipſe, ab Appio Claudio, in Cenſura, notatus. 405. qui, ob id ipſum, fit Cæſarianus. 406.

Crixus. vide infrà, *Spártacus*.

Curio. Vide ſuprà, *Cajus* Curio.

Curtius Nicias. Vide infrà, *Nicias*.

D.

Danielis vaticinium, de Quatuor Imperiis, quótnam annis Christi tempora anteceſſerit. 32.

Decemviri legum conſcribendarum, à Romanis creati 48. Primorum Decemvirorum nomina. *ibid* Quánam poteſtate inſtructi; & quibus conditionibus, urbem adminiſtrarent? 49. Ab iis Decem, ac Duodecim, Tabularum leges ſunt conditæ 49 Primo tempore gubernationis ſuæ plauſum ferunt. *ibid*, ac præſertim Appius Claudius, aſtutè, pro tempore, popularis. 50. ſed, celeriter exuta perſona, Decemviri, crudelitatem, inſolentiam, & intemperantiam ſuam, in regimine civitatis, aperiunt. 50. ideóque inviſi fiunt omnibus. 51. idque culpa maximè libidinis Appii Claudii, in conatu aſſerendæ ſibi virginis Virginiæ. 51.

Decius Mundus, corruptor Sacrilegus & fraudulētus Paulinæ, matronę Romanę. 170.

DESCRIPTIONES. *Prælii* Pharſalici, à pag 624 uſque ad 638. *Exſequiarum*, ac Sepulturæ, Lucii Corn. Syllæ à pag. 718. uſque 736. inclusivè.

Dio Caſſius, hiſtoricus Græc[illegible] Ciceroni infenſus; & in eu[illegible] injurius. 470 & 471.

Divitiæ Romæ Veteris, & p[illegible] blicè ingentes, & in pri[illegible] to, à pag 272. uſque ad 2[illegible] ubi & de Craſſo Divite, S[illegible] la, Lentulo, Ca. Antonio, C[illegible] ceronis collega, Claud Iſic[illegible] ro; &c 275. 276. & 277 [illegible] dem Romanorum Divi[illegible] inutiliter ſępe, quin & ma[illegible] profuſæ 277. & 278.

Divortium quibuſdam Ro[illegible] in perpetuum interdicti 157. De cætero, Divort[illegible] rum, apud Romam Ve[illegible] rem, facilitas, ac pervul[illegible]

tus abuſus. 333. & 334. Divortiorum Antiquitas. 778. & 779. Eorum primus illic, ne quidem erubeſcens, auctor. 334. Quamdiu Romæ ignorata ſint divortia? *ibid.* Eorum, qui ob cauſſas, vel leves, vel haud adeò dignas, dimiſerunt uxores ſuas, exempla. 335. uſque ad 339. inter quos referuntur & Quint. Antiſtius, Sempronius Sophus: M. T. Cicero, Marc. Cato, Paulus Æmilius, Luc. Corn. Sylla. *ibid.* Divortiorum quàm multæ cauſſæ emergerent; ſi & frivolæ valerent 337. Formula verborum in Divortiis, & in Repudiis. 779.

Domitius (Lucius Ahenobarbus) ſucceſſor Cæſari mittitur; ingenti cum pecuniâ, è publico deprompta. 424. Poſt pugnam Pharſalicam finitam, interficitur, in ipſa fuga: &, à quo? 642.

Dracones, ſigna militaria. Vide infrà, *Signa Militaria.*

Druſiani gladii; quínam: & unde dicti? 297.

Dyrrhachium oppidum. 447. & 537. &c.

E.

Ebrietatis effectus exoticus, & inſolitus. 588.

Epiſtolarum Ciceronis, ad Atticum, apud diverſos, diverſa, quoad numerum, diſpoſitio. 493.

Equites Romani: eorúmq; Selectûs, conditiones requiſitę: locus in Spectaculis: triplex Series: item, numerus. 133. & 134. Eorum veſtitûs Inſigne. 151. & 152.

Exercitus numeroſus. 201. Exercitus *Iuſtus* (id eſt, conſummatus, & in hoſtem ſuſfecturus), quis, & quantus, olim cenſeretur. 200. & 201.

F.

Favonius (Marcus) ſubſcurrilis, & querulus, adverſus Pompejum Magnum, in Caſtris. 599 & 600.

Fimbria (Cajus), homo factioſus; Romæ, & in Aſia, multa miſcet, ac turbat. 101. In Q. Mutium Scævolam, quàm improbè querulus fuerit; propter vulnus, non intimè receptum. *ibid* Quàm crudelis idem in Thermum, proprætorem, *ibid.* in Syllæ legatos quoque, & in oppidum Ilium, quàm perfidus pariter, & cruentus? 102. qui tamen poſtremò etiam ſuimet ſævus interfector fit. 103. Ejus frater, qui? 106.

Flaminia Via. 145.

Flaminica Romanorum, inca-

paces & ignaræ Divortiorum à Flaminibus, viris ſuis. 157.

Fœminæ, gladiatorium aliquãdo certamen auſæ ſunt affectare. 304.

Fontium circa honores, Romanorum anniverſaria ſuperſtitio; durante adhuc Idololatria. 266.

Fufius (Q. Calenus). vide, *Calenus*, ſuprà.

Fulvius Flaccus (prænomine, Marcus) ſeditioſorum Caji Gracchi conatuum adjutor, ac promotor. 66. Interficitur, unà cum filiis. 68. & 69.

Fuſtuarium militare, quale: quibus, & quomodo, infligi ſolitum. 247.

G.

Gabinius. Vide, *Aulus*, ſuprà.

Germani, in Exercitu Cæſaris, potationis palmam reportant. 588.

Gladiatoria veteris Romæ inſania, à pag. 292. uſque 304. *incluſ* undénam primùm orta? 292. & per quóſnam, in urbis mores, ad Exſequias, introducta. 293. Ex Teſtamento ſæpe dati Gladiatores, 293, etiam in funera fœminarum. *ibid.* & 294. & à Populo, tanquam jure quodam, efflagitati, 294. Dati, magno parium numero, 294. nec è ſolis Gladiatorib' Romanis, & Italicis; ſed, è peregrinis quoque 295. Gladiatorum variæ Sortes, ac nomina. *ibid.*

Gladiatores, aliter quoque diviſi, & cognominati. 298. Quibúſnam cauſsis ad eam profeſſionem trahi ſolerent. *ibid.* & priùs quoque. 296. earum cauſſarum primas facilè tenebat, Sagina. 296. unde, Sagina Gladiatoria, in adagio. *ibid.* Editores munerum, hoc eſt, certaminum Gladiatoriorũ, præcipui. 296. Gladiatorum, cùm produceren tur, pompa. *ibid.* Eorunden ante pugnam, Inſpectio, A morum exploratio, Proluſi nes. 297. Ventilatio, & A ma Decretoria, quid? *ibi* Gladiatorum à Beſtiariis d ſtinctio. 298.

Gladiatorum concertanti ſpectatio; ex omni parte i manis. 298. & 299. ſicut acclamationes; & ſigna, imperium, occidendi. 2 & 301. ac vecordia, glad tores ad libitum peter 299. & 300. Gladiatoru ſui obſtrictio, ad quævis tienda. 300. Gladiator occiſorum fœda lacera 302. & calidi ſanguinis vulneribus eorum, educ 302. &, ob quam cauſſam

fieret? *ibid.* Laceratio denique eorum, qui in Spoliariū uncô traherentur. 303.

Gladiatoria Munera, quamdiu Romanis permiſſa, 304. Gladiatrices paullatim & fœminæ fieri, ambiebant. *ibid.* Gladiatoria audacia, ac ferocitas, etiam alia mentiū iracundarum mala invexit. 305, uſque ad 313, *incluſ.* & cædium, tam apertarum, quàm clandeſtinarum, audaciam. 305, idque, per mulieres etiam, erga viros ſuos; & quidem, primarios. *ibid.*

Gladiatorium Bellum. Vide, *Spártacus*, infrà.

Gladii Druſiani. Vide, *Druſiani*, ſuprà.

Gomphorum, urbis Theſſalicæ, à Cæſare deficiētis, circumdatæ, expugnatæq́;, calamitas, & hiſtoria, refertur, à p. 585, uſque 587. *incluſ.* Gomphensi vinô ſeſe Cæſariani ingurgitant. 587. ac, prę cunctis, Germani. 588. indéque, mirô caſu valetudinē afflictam corrigunt. 588. Vtrum autem, etiam dum ebrii eſſent, pugnaverint; controvertitur. 589. & 590. Gomphenſibus illata clades, multas Cæſari deinceps urbes conciliat, & adjungit: inprimíſque, Metropolin. 590.

Gracchus (Sempronius), Hiſpaniæ Proconſul, pater Tiberii, & Caji, Gracchorū. 63.

Gracchus (Tiberius), filius Sempronii; in Republ. multa turbat. 63. Ejus Actorum Summa recēſetur. à pag. 63. uſque 65. ſicut & Interitus ejuſdem. 64. & matris inde mœror. 65.

Gracchus (Cajus) 65. Ejus Geſta, & interitus, narrantur. à pag. 65. uſque ad pag. 70. Quónam tempore (ſecus, ac nonnulli tradāt) novare Cajus res cœperit. 758. Iudicia Cajus à Senatu transfert ad Equites. 66. Carthaginem Africanam reſuſcitaturus; videbatur abſterreri cœpto, à lupis nocturnis. 67. A Servo tandem ſuô (ſic ipſe volens) interimitur. 69. De Capitis ejus, ac reliqui Cadaveris, diverſa conditione, & ſtatu. 69. Gracchorum Interitus, initium fuit Civilium deinceps digladiationum. 70. & 757: Opimius verò Conſul, ab eodē illo tempore, in perpetuo Populi Romani odio. 70. Gracchæ domûs, infelicia fuêre fata. 758. & 759.

Gracchorum mater. Vide, *Cornelia*, ſuprà.

H.

Herdonianus Romæ tumultus. 756.

Hiſtoriarum ſcriptor, quid ipſe ſentiat de re propoſitâ; planũ faciat. 567. uſq; 569. *incl.*

Hypotypôſis Prælii, inter Curionem, & Regis Iubæ Ducem, Saburrã. à pag. 502. uſque 507. *incluſ.* Prælii Pharſalici, à pag. 624. uſque 638. *incluſ.* Periculoſi conflictûs alterius, inter Pompejanos, ac Cæſarianos. à pagina 552. uſque 558. & rurſus de eodẽ aliquid 573. & 574.

I.

Idololatria, plurimorum malorum Cauſſa, & Origo. 313. Idololatria Veterum Romanorum, in aſſignandis unicuique membro corporis humani, certô quodam Deo, vel Deâ. 271. Cætera generis iſtius vide infrà, V. *Romanorum Illaudata.*

Imperatorum belli, inter omnes duces belli cæteros, eminens dignitas. 210. & 211. ejus miniſtri. 210. paludamentum. 211. equus, *ibid.* & 212. reverentia, in caſtris ei delata. 212.

Impudicitia Veteris Romæ, pag. 317. & 319. & 775. vulgatarum ingens multitudo, 318. & 319. necnon adulterarum. 319. & audacia. *ibid.* fœtuum conceptorum, & editorum, tractatio peſſima.
320. corundem expoſitio inclementiſſima, 321. corúmque educatio, etiam à Philoſophis prohibita. *ibid.* & prohibitio quidem, tam impia, etiam ab Octaviani Cæſaris poſtmodum exemplo auctorata 322. Illuſtres matronæ vitiatæ à Principibus. 322. cæteræque, promiſcui ordinis, ab his, & à cæteris. 323. De adulterorum, & in ſequiore quoque ſexu exorbitãtium, turba, quid ſenſerit Seneca. 324. úſque 326
Hæc flagitia multùm irrita
bat, inceſſus, veſtitúſque pe
tulans, Romanarum. 326.
327. Romanorum viroru
illius temporis probra fr
quentia. 325. & 329. Inc
ſtuum quoq; audacia. 32
Irritamenta ſcelerum pub
ca, Comœdiarum quæd.
genera. 328. Floralia ite
ibid. & 329. Convivior
abſurda miniſteria. 330.
cturæ quoque inverecun
tam domeſticæ, *ibid.* q
& in templis dedicatæ.
Nequitia, naturę leges tr
ſiliens, acriter repulſa
vindicata, à Trebonio.
Illius nequitiæ, ne Rom
quidem Veteres experte
iſſe, Sacro teſtimoniô o
ditur. 332. Inverecundia
ſarum Romæ priſcæ.

unde invaluit, minor æſtimatio Pudicitiæ poſtea, Dignitatíſque. matrimonialis. 333.

Infantium Veteris Romæ, ex illegitimo thoro, mala tractatio. 320. & 321. & 322.

IVBA, rex Numido-Maurorum. 499. & 786. Ejus, & copiarũ ipſius, certamina, cum C. Curione, à pag. 499. uſque 507. Odii ipſius, adversùs Curionem, cauſſa. 507. A C Iulio Cæſare Iuba rex, ob interfectum Curionem, abſens afficitur ignominiâ, 508, A Põpejanis autem, è diverſo, laudibus, & honore novô. *ibid.* Iubæ Dux militum, Saburras. 502. & alibi ſæpius, uſque ad 506. *incluſ* Iubæ regis præda venatica. 507.

Iudicia, Romæ, à Senatoribus ad Equites translata. 66. & 355.

Iugurtha, Numidiæ tyrannus, proditus, & captus, à ſocero ſuo. 74 Is miſeranda morte Romæ conſumitur, 75. & 761, non tamen, vel præmaturâ, vel factîs ejus indignâ. 288. Ejus filius, Oxyntas dictus. *ibid.* & 289.

Iulia, C. Iulii Cæſaris filia; cur tam impensè Cn Pompejum Magnum, maritum ſuum, dilexerit. 688.

L.

Lábarum. Vide, Signa militaria, infrà.

LABIENVS (Titus) à Cæſare deficit ad Pompejum. 434. Pompejanorum tamen gaudiô, quàm utilitate, grandiore, 435: Cæſare interim offenſionem ſuî diſſimulante. 434. & 435 Labienus Cæſaris copias, apud Pompejanos, plus æquo extenuat, 435. eâque re, languidiores eos efficit: ut & Appius fecerat. *ibid.* & 436 Oppidum, à Labieno exſtructum, aut inſtauratum. 437. Exercitum Pompeji, territum, animat; ac reſtituit. 524. & 525. Aliud nihil, quàm Cęſaris exitium, quærit, ac paciſcitur. 529. In Cæſarem, ad Pharſálum, moturo Pompejô; militem iterum animat: &, jurisjurandi exemplô, trahit otiam cæteros ad conſtantiæ juramentum. 603.

Laticlavia, ſeu *Latus-Clavus*, quid? &, quorúmnam Veſtis? 151. & 152. & 209. & 791.

Legatorum, in caſtris, & militiâ Romanâ, auctoritas. 209. & 210.

Leges Duodecim Tabularum. 148. & 149.

Lex Iulia. 775. fin. & 776.
Lemónia, quis è Romanis Optimatibus agnominatus? &, quánam Declinationis Grãmaticæ formâ? 783.
Lepidus (Marcus Æmilius, Senior) cum Q. Luctatio Catulo congreſſus armîs, ſuperatur. 350. ac peregrè perit; uxoris audita impudicitia. 351. Hic particeps aliquo modo fuit Syllanæ proſcriptionis: cùm idem tamen poſtea Syllam odiſſet peſſimè. 127. & 128. & 768. & 769. A Luc. Philippo, viro Conſulari, in Senatu, ipſe tunc Conſul, acriter increpatur. 781. & 782.
Lepidus (Marc. Æmilius, Iunior) C. Cæſarem abſentem, creat Dictatorem. 513. haud finè facti ſui invidia. *ibid.*
Liberalitas quorundam, à morte demum, in Pop. Romanum. 165. & 166.
Lucius Cornel. Lentulus, bellô Civili inchoatô Cõſul; quomodo, & quánam occaſione, perierit in Ægypto. 747. & 748.
Lucius Cornel. Sylla, Vide infrà, V. *Sylla*.
Lucius Metellus, Tribunus Pl., impedire Ca. Iul. Cæſarem conatus in ærarii direptione, 472, à Cæſare minîs, & vi intentata, repellitur. *ibid.* & 473. Eum poſtea Cæſar ſcriptis ſuis eſt calumniatus. 474. quem tamen defendit auctor. 474. & 475.
Lupercalia Romæ. 264. & 265.
Luſcius (Cajus) Ca. Marii Senioris nepos, Trib. militum: à quo, & cur, interemptus? 777.

M.

Magiſtratuum apud Romanos partitio, 137. 138. 139. Quibúſnam Magiſtratibus jus Ceræ fuerit, & Imaginum, apud Veteres Romanos? 754.
Manlius (Marcus) vir Conſularis; ob affectatam tyrannidem, ſaxô dejicitur. 57. & 58. licèt ipſe, & Anſeres, Capitolium aliquando ſervaverint. 57.
Marcellus (Ca. Claudius) cum Paulo Æmilio quondam Conſul; poſtea voluntatem à Cæſaris cauſſa priùs alienam, immutat, 486, ac Ciceroni propterea, ex occulto, cuniculiſque, moleſtias exhibet. *ibid.*
Marcius Coriolanus. Vide, *Coriolanus*, ſuprà.
Marcus Æmilius Lepidus. Vide ſuprà, *Lepidus*.
Marcus Æmilius Scaurus. Vide, *Scaurus*, infrà.
MARCVS *Antonius*, poſt Triumvir, Lupercum ag

264. Vnà cum C. Curione, & aliîs, acriter pro Ca. Iul. Cæſare contendit, adversùs Senatū. 422 & 424. & 425. &, cum iiſdem ad Cæſarem proſugit. 426. ubi denique prófugit. 426. ubi locus, ſuper ea re, ſubnubilus, explicatur. 427. Marcus Antonius, in caſtris exercitúque Cæſaris, etiam Quæſtor, 461, quàm inſolentem ſe ſuêſſet exhibere municipalibus hominibus, & coloniis, *ibid*. & 462. quàm item turpem, infamémque, è comitatu ſuo. 462. præſertim veró Volumniæ. *ibid*. & 463. Idem ipſe, Marc Tull. Ciceronem, à profectione maritima ad Pōpejum, multîs modîs impepejum, multîs modîs impedire conatur. 485. & 486. Marci Antonii, cum C. Curione, filio, nefanda quondā familiaritas. 511. & 512. Cæſari, relictas ab eo Brundiſii, legiones, adducit; magnô ſuo perieulô, 531, ſed majore Q. Coponii, Antonium inſectantis, damnô, 531. & 532. Cæſarianis, in magno diſcrimine conſtitutis, ſuccurrit. 543. & 558. Romæ crudeliter adversùs plebem agit. 650. Luc. Domitium Ahenobarbū, ad Pharſalum, interficit. 642. Iulio Cæſari, palàm populô, regni ſalivam Conſul &c. movet. 650.

Marcus Aurelius Cotta. Vide, *Cotta*, ſuprà.

Marcus Cato Vticenſis. Vide, *Cato*, ſuprà.

Marcus Claudius *Marcellus*, Conſul; Ca. Iulii Cæſaris ambitioni infeſtus, 398 primus, publicè movet Camarinam controverſiæ, de diuturnitate Imperii Cæſaris Gallicani. *ibid*. déque ea re ad Senatum Conſul refert. 399. In quo, contradicentem ſibi collegam habens; eum non moratur. 400.

Marcus Favonius. Vide, *Favonius*, ſuprà.

Marcus Licinius Craſſus. Vide, *Craſſus*, ſuprà.

Marcus Manlius. Vide, *Manlius*, ſuprà.

Marcus Tullius Cicero. Vide, *Cicero*, ſuprà.

MARIVS (Cajus, *Senior*), ad plebem ſe, contra Patricios, ac nobilitatem, conferens; unde fuerit oriundus. 71. & à quo primùm omnium protruſus ad honores, *ibid*. Tribunatum plebis aſſecutus; ſtatim initiò perquam inſolenter, & ingratè, ſe gerit. 72. exemplóque fit cæteris, poſt ſe, arrogantiæ plebejæ adversùs Nobilitatem. 72. Q. Cæcilium Metellum, ingratiſſimô nefariôque mendaciô calumniatur; in Afri-

 ca

ca belligerantem, adverſùs Iugurtham, 81. eíque ſuccedens, Iugurthâ quidem potitur: ſed majore Lucii Syllæ, quàm ſua, virtute. 74.
Marii, hujus ejuſdem, quænam initia fuerint odiorum, adverſùs Lucium Syllam. 74. & 75. Marii complures Conſulatus. 75. 76. & 77. In iis, diverſa gerit bella: bellúmque cumprimis Cimbricum. 76, cum hoſtium, inauditâ priùs, clade. *ibid.* non tamen citra Q. Catuli opem. 77. Inſtigat, poſt hæc, ſeditioſos quoſdam viros, ad turbandam, novatione rerum, urbis, ac Reip. tranquillitatē. 78. præſertim verò, adverſùs Q. Cæcilium Metellum eos incitando, 78. & 79, quē C. Marius, cuniculîs doloſîs, curat urbe & Italia pellendum. 79. Idem & alios prætereа ſeditionū concitatores, adverſùs Senatum, colligit. 80. quos tamen Pop. Romanus, concurſu factô, in ipſa Curia interficit. *ibid.* & 81. Erga regem Ponti Mithridatem, ſe ſalutantem, ſuperbè agit, ac loquitur 84.
Marius idem, à Luc. Cornelio Sylla prælio ſuperatus, Minturnum fugit: & hinc, in Africam 91. & 92. Quidnam in Africano illo exilio egerit? 92. Idem, poſt reditum ab exilio, unà cum Cornelio Cinna, Romæ maximam Civium edit cædem. à pag. 95. uſque 98. Ejus crudelitati immiſta erat ſalutandi periculoſa Superbia. 98. Idem, ſeipſum evehit, & intrudit, in Conſulatum Septimum, 99: convenienter portento ſeptem Pullorum Aquilæ, ab eo quondam inventorū. *ibid.* Ipſe tamen paullò pòſt extinguitur. *ibid.* cùm priùs, ipsò primô Cōſulatûs ſui die quendam occidiſſet. 99. Marii *Senioris*, contra factionem Syllanā, Duces. 105. & 106 Ejus partium Duces, Rom[...] fœdam exercent, in ipſa c[...] ria, tyrannidem. 110. A Ma[...] co Tullio Cicerone, Mari[...] hic, paucîs quidem, ſed gr[...] vitate plenîs, ac verita[...] conteſtatiſſimis, verbis r[...] prehenditur. 760.
Marius (Cajus) *Iunior*; cu[...] filius? 105. Adverſùs Lu[...] Syllam malè pugnat. 108 oppido Præneſte obſidet 109. ubi & ſeipſum tand[...] interficit. 114.
Maſſilia urbs, à Cæſari[...] ſubacta. 478. Maſſilie[...] Vineæ. Vide, *Vinea*, inf[...]
Memmius (Cajus) uxorem Pompeji Magni, anonym[...] ſed fruſtra, ſollicitat,

rem nefariam. pag. 323.
Metellus (Quintus, *Numidicus*), Caji Marii Senioris callida machinatione, pellitur in exilium. 79. & ab exilio denuò revocatur, maximò cum honore 81; tametſi Mariò, multum invitò, ac renitente. *ibid.*
Metropolis, Theſſaliç urbs, Cæſari ſe dedit. 590.
MILITIA *Romanorum* Veterum, à pag. 174. Militiæ primus annus, in adoleſcentibus. 174. Tironum militiæ Romanæ rudimenta. *ibid.* De Tironum, ac cæterorum militum Romanorum, exercitamentis, Palaribus, ſalicitionibus, Saltibus, Iuſto itinere, &c. à pag. 174. uſque 179. *incluſivè.* Militum, in agmine, & expeditionibus, onera gravia, portatúq; difficillima. 178. & 179. ubi & de utenſilibus eorum, ſingillatim mentio inſpergitur. 179. & 180. Eorum occupationes ac labores incredibiles, 180. & 181, in caſtris maximè ponendîs: & in urbium oppugnationibus 181. 182. & 183. Eorum, in caſtris, inopia, ſummáque frugalitas. 184. De eorum Teſtudinibus Caſtrenſibus, aliquid. 182 & 183. Eorundé ſtipendia peranguſta. 184. quæ tamen poſtea paullatim laxata ſunt; poſteriorũ belli imperatorum indulgentia. 184. fin. & 185. Victus militum: & prandia, cœnæ, panis, farina, puls. 185. & 186. Potus illorũ, & pocula. 187. Eorum Poſca, quid? 187. item, Paxamádes eorum. 185. *fin.* Eorum habitatio, cubile, lectus, menſæ, in caſtris. 187. Excubiarum labores. *ibid.* & Vigiliæ. 188. Fraxationes. *ibidem.*
Militia Romanæ militum Genera, & Partes, 191. & *ſeqq.* ubi de Velitibus, Haſtatis, Principibus, Triariis. 191. & 192. Triariis varia tributa nomina. 192. Sexcenti in quavis Legione Triarii. 193. Militum Romanorum, pro diverſitate militantium, diverſa Partium diſtributio, & Armatura. 193. 194. 195. & 196. Singularum Partium duces, & capita. 193. & 194. De Equitibus Cinctulis (trabeatîs) & Clibanariis. 194. & 195. De Scutis eorum, caſſidibus, pharetris 195. Equitum diverſæ ſpecies, & appellationes. 196. De Contuberniis militum, centuriis, manipulis, & cohortibus. 197. & 198 de Legionibus; earúmque Tribunis. 198. *per totum.* Quótnam in una Legio-

gione milites. 199. quot in una Expeditione legiones. 199. & 200. Exercitus Iuſtus, quis olim dictus, & habitus? &, quot militũ? 201. Signa, vexilla, aquilæ, lábara, &c. à pag. 201. uſq; 206. Diſtinctio Inſignium, cultûſque corporis, inter gradus Ductorum militiæ Romanæ 206.

Militia Romanæ ordo egreſſionis è caſtris; ac præſertim, ad prælium committendum. 221. uſque 225. *incluſivè*. Egredientium in aciem militum, Arma, 225. uſq; 228. *incluſ.* & Ornamenta Criſtarum. 225. & 226. Signa ante Prælium: maximè, Canora. 223. & 224. Scuta. 225. Criſtarum, in Galeis, Diverſitas. *ibid.* & 226. Equitum, pro eo tempore diſcriminéque, armatura. 228. *Acies* Romanorum. 229. & 230. Concurſus in acie: concurrendíque ſeries. 233 & 234. Acierum, pro diverſa occaſione, diverſæ formæ. 234. & 235. Præmia, Donáq; militaria, poſt rem bene geſtã. 236. uſque 239. *incluſ.* Coronæ militares diverſi generis. 237. & 238. Præmia alia, & Immunitates, claris belló viris tributæ, 239. promotionéſque militum corũ, qui fortiter egiſſent, ad altiora. 240. ductorum item militariũ ſtipendia, proportione ſervatâ, majora, vel minora. 240. & 241. ſtipendia verò militũ (etiam gregariorum) ad diem præfinitum: contra morem ſæpe, hodiernorum quoque temporum. 241.

Militia Romanæ Iuſtitia, in caſtris adminiſtrata. 241. uſq; 248. *incluſivè*. Caſtigatio militum, per Centuriones, *fuſte* diverſi generis, ac materiæ, 242, ubi & de *Vite*, centurionum inſignî pariter & animadverſionis inſtrumento, *ibid.* Pœnæ militum generis cujuſdam mitioris 242. & 243. ubi & de *Ignominiis* militaribus, *utraque pag.* De mulctis. 243. de militum ſuppliciis capitalibus 243. déque certis quibuſdam criminibus; quæ Capitali ſupplicio, omnî priſco iure cenſerentur obnoxia. 24[…] 244 & 245. Furtorum, r[…] pinarúmque, gravis pæn[…] 245, & Impudicitiæ, ſup[…] quàm ab Idololatris legiſl[…] toribus exſpectares. *ibid*[…] Scortorum, è caſtris, proſc[…] ptio, & ejectio. 245, & 2[…] ubi & de Severitate huj⁹ [...] neris laudabili Germanic[…] Impp. 246. Vxorum, a[…]

Romanos,ad caſtra diu nulla fuit admiſſio. 245, nec famularum. *ibid.* Impudicitia, certi cujuſdam generis, punita fuſtuariò lethalî, 247. cujus Fuſtuarii (delictis etiã aliis imponi ſoliti) modus deſcribitur immodicus. 247. De pugnantibus extra ordinem, ſecurî feriri ſolitîs. 247 & 248.

Milliarium Aureum. 146.

Milo (Titus Annius) Publium Clodium interficit. 390: improſperéq; defenſus in Iudicio, De Cęde, à Cicerone patronô, 391, exulare compellitur, 392. A. C Iul. Cæſare Dictatore, cæteris exulibus omnibus reſtitutîs, ſolus ipſe non reſtituitur. 515. *fin.* & 516. *princ.* & in Italia demũ (cùm is eò ſe, etiam invitò Iul. Cæſare, recepiſſet) perit morte violentâ. 516. Quantô cõſenſu Milo fuerit à Iudicibus condemnatus, in Iudicio Clodianæ cædis? &, quorúmnam præcipuè culpâ? 784. quis eum tunc abſolverit? *ibid.*

Mithridates, Ponti Rex, cogitur à Romanorum injuriis, ac ſuperbiâ, adversùs eos ad arma proſilire. 84. & 85. Exercitûs illius, primâ belli præparatione, multitudo, & apparatus. 85. & 86. Conflictu cum Romanis inito, ſuperior evadit, 86, & aliquouſque clementer tractat victos. 86. paullatim deinde ſeveriùs, 87, ac Romanorum immenſam edit, per Aſiam, cædem, 87; nec ad id aliunde, quàm à propria crudelitate, inſtigatus. 88. Ejus Epiſtola, ſicut acerrima, ſic & veriſſima, adversùs Avaritiam ac perfidiam Veteris Romæ. 279. 280. & 281.

Monarchia Romana, ſeu Imperii, annus primus, quis? 647. Rebus Chriſtianis tandem utilior accidit; quàm Reſp. Romana vetus: & cur? 749.

Mons-Sacer, in quem à Romanis non ſemel ſeceſſum fuit. 753.

Mulierum Romæ Veteris, diverſâ pro conditione, veſtitus diverſus. 153. & 154. Mulierum Romæ infamium multitudo quondam, loca, tempora, diſcrimina, &c. 317 & 318. Cætera, de genere hoc, vide, V. *Impudicitia* Veteris Romæ, ſuprà.

Mulleoli, Calceorum genus: 151 & 152. quorúmnam hominum? 152.

Mundus (Decius). Vide, *Decius*, ſuprà.

Mutia, una Cn. Pompeji uxorum: utrum eádem cum Metella? an verò diverſa? 796.

Re-

Reliqua, de Mutia, vide V *Pompejus*, ſub initium.

N.

Narrationes. De *Gomphis*, Theſſaliæ oppido, à Iul. Cæſare expugnato. à pag. 585. uſque 587. *incluſ*. De *bello Piratico*; ejúſque, per Cn. Pompejum, oppreſſione. à pag. 691. uſque 698. De cætero; totúm hoc opus, eſt *diegeticum*.

Nicias (Curtius) domô Cn. Pompeji Magni, ejuſdémque familiaritate vetere, cur excluſus? 323.

Norbanus Conſularis, deſperatis Marianæ factionis rebus, ex Italia Rhodum profugit. 112. ibíque ſeipſum interficit. 112.

O.

Octavianus (Auguſtus). vide mox, *Octavius* Cnejus.

Octavius (prænomine veterî Cnejus) Iunior; ac poſtea dictus *Cajus Cæſar Octavianus*; Cajo Iul. Cæſari, avunculo ſuo majori, ſuccedit. 652: diuriſſiméque ſucceſſionem obtinet *ibid*. Ipſe ſe poſtea Octavianum, ex Octavio, facit, ac nominat, 653. fitque Conſul, multò ante legitimum, & Conſulatui capeſſendo præfinitum, annum. 652. Et idem & *Triumvir Conſtituendæ Reip.* ibid. & cum quibus? *ibid* & quánam violentiâ cúm illis Triumviratum exercuerit? 653. quantâ quoque adverſùs Ciceronem ingratitudine? *ibid* Iulii Cæſaris Percuſſores quemadmodum tractârit. 652. & 653. quomodo item triumviratûs ſui Collegas. 654. Quos, & quâtos, à Romanis honores ac ceperit, ac geſſerit. 654. & 655. Num idem hic, & quatenus, Dictaturam perpetuam acceptârit, ac geſſerit 790.

Oculus malus, à Plutarcho, l cèt Idolólatrâ, reprehenſi 768.

Opimius (Lucius), vir Conſ laris, captorum munen condemnatus, 71; ut auc cædis Caji Gracchi, in terno populi odio verſat *ibid*. & priùs, 70. Opim hic idem, à Criſpo Sallu parùm laudatus, 759. & 7 à Cicerone, contrà, de ditur. 760. *Opimianum* nû 759. *Opimiani* vini tácia, ad amphoras gyp affixa. *ibid*.

Orationes. *Invectiv* Arrogantes, & humanæ riæ inſatiabiles. 707. & ſiunt & in eorum, oſte

tionis plena, verba. 708. & 709. *Parænetica*, ad eos, quorum officii eſt, Iudicare, conſulere, monere liberè, & è conſcientia. 465. uſq; 470. *inclusivè*. *Parænetica* item Ca. Iul. Cæſaris, ad milites ſuos, ante prælium Pharſalicum. à pag. 616. uſq; 621. *incluſ.* Et aliæ ſparſim Orationes minores.

Octavius Craſſus, in tirones Cæſarianos, dedititios, crudelis, ac periurus. 532.

Oxyntas, Iugurthæ, Numidarũ tyranni, filius. 288. & 289.

P.

Palaria militum Romanorum, quænam, & qualia? 174. & 175.

Paludamentum imperatorium in bello. 211. & 212.

Paullina matronæ, in Iſidis æde, ſubdola corruptio. 270.

Paxamádes militum, quídnam? 185. *fin.*

Pedanius Secundus, præfectus urbi Romanæ, à ſervo ſuo interfectus. 291. qua cæde, homicida conſervis ſuis omnibus cauſſa factus eſt exitii. *ibid.*

Peſtilentia multæ, & graves, Romanis immiſſæ. 347. & 348.

Pharsálus, & *Pharſalia*, 591. & 788. In Pharſalicis campis caſtra ponit Cæſar, 590. ac, paullò pòſt, etiam Pompejus. 591. Pharſalici prælii Annus, Menſis, Dies. 640. & 788. & 789. In Pharſalica pugna quot utrimque, & quínam inſigniores, ceciderint. 641. 642. & 789. Quótnam Cæſaris in poteſtatem per deditionẽ tunc venerint. 642. Quot Signa, & Aquilæ, à Pompejanis eô prælio amiſſæ. 643. Quot Cæſariani tunc cæſi? 789. Palæpharsálus. 788.

Plutarchus, de Oculorum incontinentia quid ſcripſerit. 758.

Pompeius Magnus (prænomine, Cnejus), Cn. Pompejô Strabone, ortus, 686, domô ſuâ pellit litteratorem Niſuam, uxori ſuæ periculoſi ſuciam, ... turum. 323. Magnificentiſſimè triumphat. 359. Ejus uxorum una (Mutia) malè audit, in C. Iul. Cæſare, 361: & idcirco cum ea Pompejus divortium facit, 360, Metellóque Celeri propterea inviſus, conflictatur difficultate confirmationis Actorũ ſuorum, 361, &, ex hoc, incidit in Societatem noxiam Iul. Cæſaris, ac Marci Craſſi. 361. & 364. & 365. de qua Societate, quid ſenſerit Marcus Terent. Varro; quid alii pru-

prudentes in Rep. viri; inſeritur. 365. Pompeji erga Ciceronem perfidia cuniculis primò graſſatur, & demum apertiùs. 371. & 376. & 377. & 703. & 705. In perniciosâ ſua, cum Cæſare initâ, Societate, Pompejus parùm metate, Pompejus parùm memor eſt ſalubrium Luc. Syllæ monitorum, de eodẽ Cæſare 372. Adversùs Ciceronem, ſibi ſupplicem, durus eſt. 372. & 373. A Publ. Clodio petulantiſſimè vexatus, 379, in odium hujus ejuſdem, & ulciſcendi ſuî gratiâ, laborat; ut ab Exilio reducatur Cicero. 380. & 705.

Pompejus felicibus C. Iulii Cæſaris Succeſſibus Gallicanis, incipit invidere. 383. hinc, impedire conatur ea, quæ Gloriam Cæſaris publicabãt. *ibid.* nec tamen eò minùs in illius Societate permanens; cõſilia cum eo noxia, & ambitioni utriuſq; ſervientia, cudit. 384 uſq; 387. *incluſivè.* Fit iterum Conſul, cum Marco Licinio Craſſo. 386. & quoſdã intercipit; ne magiſtratu petito, ipsiſque deſtinatô, potiantur. *ibid.* & 387. Prorogandum ſibi curat, militare legionum Hiſpanienſium imperium. 393. Iuliâ uxore (Cæſaris filiâ) extinctâ, magis alienari pergit à Cæſare. 389. In locum Iuliæ, ducit Corneliam. 392. tertiòque tunc Conſulatu, multa movet: præſertim verò, Legibus quibuſdam ex alto repetendis. *ibid.* è qua re poſtea Cæſaris offenſionẽ veritus; remedium, ipſo vulnere perniciosius, emeditatur. 394. & 395. de quibus deinde tricis, circa Leges & Privilegia, culpâ Pompeji injectis, conqueſtus eſ Cæſar. 396. indéque Bell Civilis Pompejo-Cæſarian flamma emicuit, *ibid.* Pom pejus interim, Cæſaris ſtu diũ vehementer adſimular 401. & 416, factis tam ipsis cõtrarium demonſtra promotione præſertim a verſariorum Cæſaris: atqu Marcellis adhærendo. 4 & 403: exercitum quoc ſuum, ad Vrbem retinen 403: quin etiam, legio ſuas augendo; Cæſariſ contrà, minuendo, 404, ab eo legiones duas abri per dolum, ac neceſſit publicæ ſimulationem. i Quo factô, Cæſarem gra exaſperat. *ibid.* Pompejo terim prorogatur in Q quennium imperium Le num Hiſpanienſe: & ret tur. 408. Pompeji den Ambitio timet, non

Bellum, quàm Pacem. pag. 439.
Pompejus, Cæſare copias in Italiam promovere exorſo, Româ profugit. 439. & 440. ac ſimul, vel comitari ſe, vel ſequi, jubet alios omnes. 440. Auferri ſimùl & pecuniam publicam, imperat. *ibid.* Exempló porrò fugæ ſuæ, Romam propemodum universam trahit. 442. Ad eum à Cæſare Titus Labienus deficit. 434. & quónam fructu? 435 Pompejus, contrà, quàm initiò promiſiſſet, adversùs vires Cæſaris, aliquamdiu minùs paratus, & inſtructus, reperitur. 443. & 444 & 445. quamvis viros, à partibus ſuis, præclaros haberet. 443. Brundiſium tamen abit, cum Conſulibus, & copiis ſuis. 445. Ejus interim, ad bellū, mens, ſcopus, & præparatio, Ciceroni parùm probantur. 446 Pòſt paullò, Pompejus Brundiſiô ſuorū partem magnam præmittit in Macedoniam. 447. de quo tamen in Græciam trajectu, falſus emanat rumor. 448. qui & refutatur, à pag. 448. uſq; 452. *incluſ.* particulatim verò, falſus fuiſſe oſtenditur, circa Romanorum uxores, ac liberos. 449. 450. & 451. circa Ventos item, 451. & circa navium Pompejanarum præciſionem, atque incendium. 452. De Pompeji uxore Cornelia, quid factum interea fuerit. 451. Ad Brundiſium item, quænam geſta ſint inter Pompejum, ac Cæſarem. 453. & 454. quo loco, uter utrum de Pace interpellârit, antilogia eſt. 454.
Pompejus, poſt hæc, in Macedoniam, ipſe quoque, navigat: ſed, omine parùm ſecundo, naves appellit. 455. Quàm minaces, & Pompejus, & Duces ejus, initiò ſtatim belli Civilis fuerint? 460. & 461. quàm item, nonnulli Ducum ejus, exiguæ, ad bonum commune promovendū, exſpectationis. 460. Ipſe tamen, per ſe, Pompejus, in caſtris Macedonicis, copias numerô, militaribúſque exercitamentîs, confirmat. 491. & 492. Idémque in caſtris, & Theſſalonícæ, ſolus omnia, poterat, faciebat, erat. 492. Claſſem quoque, inter hæc, apparat, conficítque, maximam, 492, adjutricibus Orientis nationibus, & urbibus: quæ & recenſentur. 492 & 493. Pompejanæ claſſis illius magnitudo proponitur. 493. & 494. Ejus quoque diverſi prætores. 494. & proſperi ſuc-

ſucceſſus. 495. & 496. qui ſucceſſus Ca. Curioni metũ injiciunt; Pompejum navigantem jam olim formidanti. 496. Quantò Pompejus cum milite, quantíſque viribus, primò Cæſarem in Macedonia ſit præſtolatus. 519. Quot, & quorúmnam populorũ, habuerit auxilia? 519. Quóſnam Reges ac Dynaſtas. 520. His tamen non eritgentibus eum tot auxiliis;
Pompejo Cæſaris ex Italia adventus in Macedoniam, præproperus accidit, & inexſpectatus. 521. & ingenti militem ipſius trepidatione concuſſit. 524. Militem tamen Tit. Labienus animat, & cõfirmat. *ibid.* eôque exercitum incitante, Pompejus adverſus Cæſarem caſtra ponit. 525. mox quoq; etiam propiùs Cæſarem, ea locat. 526. A Cæſare tamẽ, aliquouſque, res Pompeji maritimæ arctantur. *ibid.* & 527. Pompejus Marci Antonii, Cæſariſq; copiarum, conjunctionem præpedire nititur 533. & 534. ſed irrito conatu. 534. Indè, ad Aſparagium Dyrrhachinum caſtra transfert. 534. & 535. quo loco, immotus, aliquamdiu ſedet. 535. & 536. Dyrrhachio tamen propinquiùs applicante ſe Cæſare; ad Petram caſtra ſua Pompejus transfert, 537. Cæſaríque ſpem, occupandi vi Dyrrhachii, eripit. 537. Caſtris autem Cæſarianis incluſus, 538. & 539, prudenter admodum ſe gerit. 540: & caſtra ſua diducit, extendítque, in amplitudinem, quæ ibi refertur. 540. & 541. Pompejani itaque obſeſſi, Cæſarianos invicem obſidere incipiunt. 543. Pompeju[s] militum Cæſaris panes exo[ti]ticos, cur, ſuis oſtendi, ve[tuerit]? 545. Cohortem Cæ[ſaris] Sextam, in Caſtellis fru[ſtra] oppugnat. 547. & 54[8] cum jactura ſuorum, 549. cum penuria pabuli. 551. diverſo verò, poſt hæc, Ca[e]ſarianis ad Dyrrhachiũ ob[ſe]ſſis, præclarè Pompejus gerit, à pag. 552. uſque 558. in quo multùm illi pr[ofuerunt] ſunt galearum viminea t[e]gumenta. 554. 555. & 5[56]. Alicubi pons, ab eo ſtruct[us] dirumpitur. 572. Pompe[ji] ad præveniendum Cæſare[m] &c. feſtinatio. 572. & 5[73]. ejuſdem ſedulitas, in mu[ni]endo. 573. Ejus virtus, ac [fe]licitas, in Cæſarianis, Dyrrhachium, reprimen[dis] relibatur, 573, ut & vi[cto]ria tunc, Cæſaris deſcrip[tio]ne major. 574. & 575. de

tamen, nec palàm ſe, nec multùm, Pompejus jactat. 577. & 578. neque vult, poſt pugnam illam, Italiam, adductô in eam exercitu, conſternare. 578. Interea tamen, cum ſuis, nimiùm confiſus præteritæ ad Dyrrhachium fortunæ fuit. *ibid.* id, quod Cæſari dein multùm contulit. *ibid.*

Pompejus, nihilominus bellum extracturus, ob rationes certas, ac juſtas, 680; impeditur à præcipitibus aliorum conſiliis, 581: &, ne Afranii quidem conſilio permittitur acquieſcere. *ibid.* Cæſarem igitur, caſtrîs à Dyrrhachio motis abeuntê, perſequitur, 582. ſed eundem rurſus è manibus emittit. 583. ídque, tam ſuâ, quàm ſuorum, culpâ. 583. Marcum interea Catonem Dyrrhachii relinquit: &, quas ob cauſſas? 585. Cæſarem, in Theſſaliam avolantem, inſequitur. *ibid.* Ab Appiano hiſtorico, Pompeji diligentia, & occaſionum uſus, deſiderantur; cenſurâ nimis ſcrupuloſâ. 588.

Pompejus, Pharſalicis in campis, caſtra ponit. 591. Ibi, de futuri prælii felici ſucceſſu, ſpes, ac ſpiritus, nimis excelſos, gerit, cum ſuis, *ibid.* &, quibus è cauſſis, *ibid.* & 592. irridentibus interim præſidentiã ejus Scriptoribus *ibid.* Concionatur apud ſuos glorioſulè 592. Ejus Duces, &c. Cæſarianorum bona, fortunas, dignitates, inter ſeſe, ſpe litigiôque præcoce, partiuntur, 593, & 594, triumphantes ante Victoriã, *ibid.* in quo, noſtræ quoque tempeſtatis bellatorum, nõ paucos, habent imitatores. 595. Gaudet Pompejus, Cæſarem in arcto conſtitutum eſſe, 595, ſed futiliter; &, improbante Deô. *ibid.* Cur, tentatam rurſus, pacificationis mentionem, conatúmq;, ſucceſſus deſtituerit. 596. Pompejo, nihiloſecius, etiam illic, Pacis meditationem reſumenti, refragantur ſui, 597. eúmque, ut Arrogantem, & ambitioſum, in extrahendo bello, dicteriis variis, calumniantur, 598. & 599. præcipuè verò, Equitatus illius. 600. Vnde denique, labante conſtantiâ vetere, concedit Pompejus in ſententiam eorum, qui prælium flagitabãt. 600. Pompeji dictum quoddam elatius, jam olim à Marco Favonio irriſum. 599. & 600.

Pompejo, prodigiis, & oſtentis diverſis, prænuntiata videri

poteſt clades Pharſalica, 601, flammâ præſertim præſultoriâ, *ibid.* ſed, profectu nullô: *ibid.* aggredi namque Cæſarem (& prior) omnino decernit. 602. Ad id autem cum Victoria præſtandum, admonet, quid fieri velit, Equites ſuos, 603. cúmq; Labieno, ac cæteris omnibus, jurat id; quod præſtiturus non erat. 603. & 604. Exercitûs deinde ſui terrorem Panicum, ante pugnam injectum, corrigere, laborat. 607. eundémque paullò pôſt, Somnii læti (ſed revera, fallacis) enarratione animat. *ibi.* unde mox in caſtris epiniciæ epulæ, aliáq; ſenſuum oblectamenta, tanquam Victoriâ jam exploratiſſimâ, adornantur. *ibid.* & 608; improbante tamen vanitatem eam, & luxum, Pompeiô, 608: qui, torpore malè ominoſo corripi cœptus; de futuro rerum ſucceſſu triſtia effatur. 609. Et hunc tamen eâ pugnâ victorem fore, cõjecturis humanis extra controverſiam eſſe videbatur. 609. cujus ipſius præjudicii cauſſæ adferuntur. *ibid.* Eas porrò inter cauſſas, erat, etiã militum Pompeji multitudo. *ibid.* quam ipſam copiarum ſummam nonnulli valde exaggerant. 610. & 611.

Pompeji, ante conflictum ſupremum, Aciei diſpoſitio. 611. 612. & 613. Is, in equitatu ſuo glorioſo victoriæ ſpem præcipuam conſtituit, 612. & 613: quantúmque tunc apparebat, haudquaquã immeritò. 613. Auxiliariis ſuis copiis, quænam præcepta Pompejus dederit. *ibid.* Pompeji, de Cæſaris facto, judicium; dum is, in agreſſu prælii Pharſalici, ſuámet caſtra dirueret, 622. Pompeji ante ſupremum congreſſum Teſſera gnomica. *ibid.* I ipſo prælii ardore, quidnai Pompejani Auxiliares, 63 &, quid cæteri fecerint, vi cti, & morientes. 630.

Pompejus, juramenti ſui rel gione inſupèr habitâ, in c ſtra ſua, victus, revertit 633, & 634; datîſque ma datîs cuſtodiæ caſtrorum pſe mœrens, abſtrudit 634. & 635. quo temp fruſtra ſeipſum, ac ſerò mis, curîs præteritorum c torquens, 635; Cæſari int ea ſpatium, oppugnandi ſtra, laxat. 636. Fugit aut Pompejus tandem è caſt inglorius; Lariſſam The licam versùs, 637, nec ta eam ingreditur: & cur? 6

Hujus fugæ exemplum, alii quoque Pompejani ſequuntur 638. E Pōpejanis, quótnam in acie Pharſalica ceciderint. 641. quot item Cæſari ſeſe dediderint. 642. quínam ex eminentioribus evaſerint. *ibidem*. & 644. & 645. quibúſnam, ex elapſorum numerô, Cæſar vitam ſalutémque concesſerit. 644. & 645. Quot Signa tunc, & Aquilas, Pompejus amiſerit. 643.

Pompejo pôſt in Ægypto cæsô, Reſpublica pariter, ac Libertas, conciderunt. 647. Indè occaſio arripitur enarrandæ Pompejanæ fugæ: cujus terminus fuit, Ægyptus; & in Ægypto, mors: quæque fuga deſcribitur, à pag. 662. uſque ad 671. Quibúſnam comitantibus, Pompejus fugerit. 663. & 664. Mitylenas veniens, indè Corneliam evocat, uxorem. 665. Ab oppidanis illic cōvenitur, 667; & cum Cratippo Philoſopho, de Providētia Deorum, ſermocinatur. 668. Mitylenis Attaléam navigat: ubi comitatu augetur, 669. Ad Ciliciæ delatus oras, conſilium format ulterioris navigationis: nec parùm anceps. 670. Cur Parthiam vitaret? 670. & 671. Cyprum cur omine funeſtô adnavigârit. 671. & 672. Cur ab Antiochenis, & Syris, abhorruerit. 672: Ægyptum, è diverſo, quare regnis cæteris antetulerit? 673. & 674.

Pompejus, à Ptolemæo, Ægypti Rege, hoſpitium, ac receptum, per legatum ſuum orans, 676: apud Regios venit in controverſiam; audiendúſne ſit in poſtulato ſuo. 677. à duobus verò Conſultoribus regiis adjudicatus morti. 678. & cur? *ibid*. & 679. Percusſores igitur ei ſubmittuntur, 679, ſuſpecti meritò Pompeji comitibus, *ibid*. & 680; uxori verò, filióque, præ cæteris. 681. Ab Achilla Pompejus, nomine Ptolemæi regis, excipitur. 680. deſcendit in ſcapham Ægyptiacam, 681, ultimùm priùs affatus uxorem, ac filium, *ibid*. & 682. & 795. In navicula verò paullò pôſt interficitur: &, à quibúſnã? 682. & 683. Quotónam ætatis ſuæ anno? 797. Ejus uxor, filius, ac cæteri navigationis comites, diffugiunt. 683. & 684. De Claſſe Pompeji, & Ægyptiis, eam invadentibus; quídnam prodiderit Oroſius. 684. E comitibus fugæ Pompejanæ, Lucius Lentulus capitur. 684. Pom-

pejo Magnô, nec Virtutes defuêre magnæ; nec magna vitia. 685.& 686.
POMPEII M. LAVDABILIA. Populo Romano multò fuit charior; quàm pater ejus, 686: qui pater,& miserè periit; & contumelioſiùs eſt elatus. 686. Temperans in Iuventute,caſtúſque: ſi Floræ tantummodo conſuetudinem exciperes. 687. Ejus inſignis, ab alienis mulieribus, in conjugiis ſuis, abſtinentia. 688. eáque res chariſſimum effecit eum Iuliæ ſuæ. *ibid.* Liberti ſui uxorem moroſè tractat: &,cur? *ibid.* Mithridatis Pontici filias, atque pellices, quemadmodum Pompejus habuerit; ceu non haberet? *ibid.* &,689. Cur plures ſucceſſivè duxerit uxores? 689. inter eas autem Corneliam denique, qua maximè ex cauſſa? *ibid.* Pompejo, jam extra vivos agenti,laus à Cicerone præſignis tributa. 690. Eidem, viventi, delata,multis à Regibus,reverentia ſingularis,690. & ab Iudææ rege Donum inclytum. 691. Pompejanarum laudum apex,*Bellum Piraticum*. à pagina 691. uſque 698. *incluſ.* ubi curioſa. Quanto copiarum, opúmque cæterarum, apparatu,bellum illud Pompejus fuerit ingreſſus. 696. &, quantum his belli adjumentis profecerit? 697.& 698.
POMPEII M. VITVPERANDA. Miniſterium tyrannidis,Lucio Syllæ præſtitum. 698. Dimiſſio uxoris Antiſtiæ. 698: & hinc inſecuta mala, nō levia. 699. In Carbonem Conſulem inſolens inhumanitas, & crudelitas. 699.& 700. In Valerium,virum eruditum,verſipellis inhumanitas,& crudelitas. 700. In Cæpionem Brutum cruent[illegible] perfidia. *ibid.* Erga Ieroſolymam, ejúſque templum,mi[illegible] ſta fallaciis, audacia: & ſa[illegible] crilegus ingreſſus. 700. Am[illegible] bitio præterea Pompeji,par[illegible] tim puerilis propemodum partim & exſecrabilis, [illegible] Reipub.perniciosa. 701: qu[illegible] buſdam quoq; privatim (ejus ſaltem deſtination[illegible] lethifera, & ignominio[illegible] 702. Pompeji item Super[illegible] ſui Demiſſio. *ibid.* Prærep[illegible] deditionis Cretenſium, Metellum admiſſa. *ibid* Belli Mithridatici, capt[illegible] impetratáq;,confectio. *i[illegible]* Adverſùs Lucium Lucull[illegible] ejúſque geſta bellica,livi[illegible] animus;& agēdi modus trectator, *ibid.* & 703. Ru[illegible] quo

quoque, ſicut ſuprà, querela mordax inſpergitur, de Pōpeji, adversùs Ciceronem, ingratitudinis plenâ, perfidiâ. 703. & 705: déque ejuſdem, erga Marc. Catonem, malevolentiâ. 703. & 704. Memorabile item eſt, Catonis ejuſdé, in Pompeji panurgiam vibratum ſcomma; ſicut famoſum, ità veridicū. 706. Pompejum igitur, ob ſua quædam *vitia*, haud leviſſima, ne Pompejani quidem fuerant ulteriùs laturi. *ibid.* quam eorum impatiē- tiam acuebant noñulla quoque Pompeji Dicta arrogātia. 708. & 709.

Pompeji rerū, Appendix. Quót- nam annis, extra controverſiam, vixerit? 709. Quàm diverſè ipſe, Luciúſque Sylla, in vivis, ac poſt mortem, à Pop. Romano fuerint habiti? 710. & 711.

Pompeji HONORES & plauſus, in vivis ei conceſſi. 711. uſque ad 715. *incluſ.* In Theatris, ac Circenſibus, quemadmodum honoraretur. 711. Acclamationes, laudes, & tituli, quàm honorifici ei contingere ſolerent. *ibid.* & 712. ubi & geſtorum illius bellicorum compendium exprimitur, quàm breviſſimum. *ibid.* & Pecunia, ærario illata, cum Donativis militaribus, profertur. 712. In morbo quodā ejus periculosô, quǣ- ta, pro reſtituenda ipſi valetudine, facta ſint, ab univerſa Italia. 712. & 713. Redditâ verò ei incolumitate, quæ, quantæque, gratulationes, eidem factę ſint, 713. & 714: quæ res ipſæ, Pompejum adversùs Cæſarem inflârunt immodicè, 714. Poſt obitum verò ſuum à Cicerone denuò ſpleudidè celebratus eſt Pompejus. 715.

Pompejo FUNUS, & Exſequiæ, cujuſmodi, & à quibus, factæ. à pag. 744. uſque 747. *excluſ.* Pompeji Sepulcrum, & Epitaphium. 646. Ejus Tumulus à Lentulo inſpici deſideratur. 747. ſed, non impunè. *ibid.* Oſſa Pompeji quónam miſſa? 748. & 749. De Capite Pompeji, & Annulô, quid actum? 744. & 745. Quidnam mercedis, interfectores Pompeji reportârint? 745. Pompeji Ruinā rebus Chriſtianis, ex occaſione, fuiſſe non inutilem, & quatenus; obiter oſtenditur. 749.

Prælium Pharſalicum. à pag. 622. uſque 638. *incluſ.*

Præneſtini, bellô Civili Syllo-Mariano, ſummas incidunt in calamitates. 114. & 115.

pejo Magno, nec Virtutes defuêre magnæ; nec magna vitia. 685.& 686.
POMPEII M. LAVDABILIA. Populo Romano multò fuit charior; quàm pater ejus, 686: qui pater, & miserè periit; & contumelioſiùs eſt elatus. 686. Temperans in Iuventute, caſtúſque: ſi Floræ tantummodo conſuetudinem exciperes. 687. Ejus inſignia, ab alienis mulieribus, in conjugiis ſuis, abſtinentia. 688. eáque res chariſſimum effecit eum Iuliæ ſuæ. *ibid.* Liberti ſui uxorem moroſè tractat: &, cur? *ibid.* Mithridatis Pontici filias, atque pellices, quemadmodum Pompejus habuerit; ceu non haberet? *ibid.* &, 689. Cur plures ſucceſſivè duxerit uxores? 689. inter eas autem Corneliam denique, qua maximè ex cauſſa? *ibid.* Pompejo, jam extra vivos agenti, laus à Cicerone præſignis tributa. 690. Eidem, viventi, delata, multis à Regibus, reverentia ſingularis, 690. & ab Iudææ rege Donum inclytum. 691. Pompejanarum laudum apex, *Bellum Piraticum*. à pagina 691. uſque 698. *incluſ.* ubi curioſa. Quanto copiarum, opúmque cæterarum, apparatu, bellum illud Pompejus fuerit ingreſſus. 696. &, quantum his belli adjumentis profecerit? 697. & 698.
POMPEII M. VITVPERANDA. Miniſterium tyrannidis, Lucio Syllæ præſtitum. 698. Dimiſſio uxoris Antiſtiæ. 698: & hinc inſecuta mala, nō levia. 699. In Carbonem Conſulem inſolens inhumanitas, & crudelitas. 699. & 700. In Valerium, virum eruditum, verſipellis inhumanitas, & crudelitas. 700. I Cæpionem Brutum cruent perfidia. *ibid.* Erga Ieroſolymam, ejúſque templum, m ſta fallaciis, audacia: & ſ crilegus ingreſſus. 700. Ambitio præterea Pompeji, pa tim puerilis propemodu partim & exſecrabilis, Reipub. perniciosa. 701: q buſdam quoq; privatim ejus ſaltem deſtinatio lethifera, & ignomini 702. Pompeji item Sup ſui Demiſſio. *ibid.* Præte deditionis Cretenſium Metellum admiſſa. *ibi* Belli Mithridatici, cap impetratáq;, confectio. Adverſùs Lucium Lucul ejúſque geſta bellica, li animus; & agēdi modu trectator, *ibid.* & 703. R qu

quoque, ſicut ſuprà, querela mordax inſpergitur, de Pōpeji, adverſùs Ciceronem, ingratitudinis plenâ, perſidiâ. 703. & 705: déque ejuſdem, erga Marc. Catonem, malevolentiâ. 703. & 704. Memorabile item eſt, Catonis ejuſdē, in Pompeji panurgiam vibratum ſcomma; ſicut famoſum, ità veridicū. 706. Pompejum igitur, ob ſua quædam *vitia*, haud leviſſima, ne Pompejani quidem fuerant ulteriùs laturi. *ibid.* quam eorum impatiētiam acuebant nōnulla quoque Pompeji Dicta arrogātia. 708. & 709.

Pompeji rerū. Appendix. Quót-nam annis, extra controverſiam, vixerit? 709. Quàm diverſè ipſe, Luciúſque Sylla, in vivis, ac poſt mortem, à Pop. Romano fuerint habiti? 710. & 711.

Pompeji HONORES & plauſus, in vivis ei conceſſi. 711. uſque ad 715. *incluſ.* In Theatris, ac Circenſibus, quemadmodum honoraretur. 711. Acclamationes, laudes, & tituli, quàm honorifici ei contingere ſolerent. *ibid.* & 712. ubi & geſtorum illius bellicorum compendium exprimitur, quàm breviſſimum. *ibid.* & Pecunia, ærario illata, cum Donativis militaribus, profertur. 712. In morbo quodā ejus periculosô, quāquam vota, pro reſtituenda ipſi valetudine, facta ſint, ab univerſa Italia. 712. & 713. Redditâ verò ei incolumitate, quæ, quantæque, gratulationes, eidem factę ſint. 713. & 714: quæ res ipſæ, Pompejum adversùs Cæſarem inflārunt immodicè. 714. Poſt obitum verò ſuum à Cicerone denuò ſplendidè celebratus eſt Pompejus. 715.

Pompejo FUNUS, & Exſequiæ, cujuſmodi, & à quibus, factæ. à pag. 744. uſque 747. *excluſ.* Pompeji Sepulcrum, & Epitaphium. 646. Ejus Tumulus à Lentulo inſpici deſideratur. 747. ſed, non impunè. *ibid.* Oſſa Pompeji quónam miſſa? 748. & 749. De Capite Pompeji, & Annulô, quid actum? 744. & 745. Quídnam mercedis, interfectores Pompeji reportārint? 745. Pompeji Ruinā rebus Chriſtianis, ex occaſione, fuiſſe non inutilem, & quatenus; obiter oſtenditur. 749.

Prælium Pharſalicum. à pag. 622. uſque 638. *incluſ.*

Præneſtini, bellô Civili Syllo-Mariano, ſummas incidunt in calamitates. 114. & 115.

Primi - pili Centuriones. Vide ſuprà, *Centurio*.
Principia in Caſtris, quid? 216. in veneratione quare fuerint? 219.
Proceſtria Caſtrorum, quídnam? 214.
Pſeudo - politicorum ſceleſtæ fraudes, in Cæſare ac Pompejo, circa Ciceronis cauſſam, tanquam in Idea genuina, expreſſæ, à pag. 375. uſque 378.
Ptolemæus Cyprius, rex, ad jus in ſe, manúsq; Romanorum prævertendas, venenô ſe interimit. 284. priùs tamen opibus ſuîs in mare jactis, *ibidem*.
Publius Dolabella, Cæſarianæ cædis diem (Idus Martias) honorat titulô inſolētî. 651. ſed irritò. *ibid*. & 652.
Pudicitia Romanarum, bipartita. 254. Ejus interim à pleriſque exigua habita ratio. 255. Pudicitia uxoris Cn. Pompeji Magni, anonymæ. 323.
Pullorum tripudium ſoliſtimū &c. 264.
Pultiphagi (ſeu Pultiſagi) milites Romani, quare dicti? 186.

Q.

Quintána, in caſtris Romanis, quid eſſet? 216.

R.

Raymundus, de Penna forti (Sanctus). 469.
Reipublicæ - Veteris Romanæ nomine, quídnam intelligatur? 750. In ea, apud Romanos antiquiores, tres potiſſimùm Ordines fuēre politici. 751. Quandónam è Republica ordinatiore, fieri cœperit Ochlocratia? 752.

ROMA VETVS. ROMANAE RES.

Romana Reſpublica vetus collapſa, cur ultimò locô Ruinarum, ante Chriſti tempora collocetur; ratio affertur. 3[illegible] Circa expoſitionem quoqu[illegible] Ruinæ præſentis, quænam prænotanda ſint; indicatu[illegible] 33. & 34.
ROMANI REGES primi: co[illegible] rúmque nomina. 35. Quan[illegible] diu Romæ regnatum ab [illegible] fuerit: &, quánam occaſi[illegible] ne, regnum abolitum. [illegible] Romani *Conſules* primi: [illegible] túſque Reipublicæ *Ari[illegible] craticus*, 36, pro cujus co[illegible] ſervatione, contra regni [illegible] tatam reductionem, Co[illegible] primus filios ſuos, alióſ[illegible] propinquos, publicè ple[illegible] 36. ſuóque Collegæ ma[illegible] ſtratum abrogat. 37. [illegible] tamen multò pôſt, regn[illegible] cèt penitùs excuſſo, R[illegible]

Romanæ ſtatus *Ariſtocraticus*, fit *Democraticus*, hoc eſt, Deterior: ídque, occaſione plebis, ſecedentis in montem Sacrum. 37. uſque 39. *incluſ.* Ei Seceſſioni cauſſam præbuit avara Senatorum, erga militem, contumacia. 37. Plebs autem, Agrippæ cujuſdam popularî facundiâ demitigata, redit in urbem: Patribúſque reconciliatur. 38; ſed conditione, Patribus durâ: ſub pactione ſcilicet, Tribunorum plebis, in poſterum tempus creandorum. 38. Eorum porrò Tribunorum nomina ponuntur. 39. Sed profectò, Reipub. magno malo, magiſtratus is introducitur: plurimiſq; publicæ cõcordię ſciſſuris porta panditur. 39. & 40. uſque ad 45. In ſumma! Creatio Tribunorum plebis, manifeſtus deſcenſus erat, à vera libertate, verius ad ſervitium. 42. & multa valde detrimenta inteſtina, per Tribunos hos, intrà ſe recepit Reſpublica. à pag. 40. uſque 43. *incluſ.*

Romani, miſsîs in Græciam Legatîs, conquirunt Leges, 48; iiſq; allatîs, creant Decemviros: quorum Nomina recenſentur. 48. At Romana plebs, poſt hæc, Alterâ jã vice, Seceſſioné facit, in Collem Sacrum: occaſione libidinis Appii Decemviri, Virginiam puellam ſibi vendicare conantis. 51. Reducta tamen plebs eâdem per Legatos, ſecum unà Tribunatum quoque plebis, per Decemviros interruptum, plenè reducit: Decemviratum autem exterminat, 52. Decemviros verò ipſos, pœnîs commeritîs afficiendos curat. *ibid.* Per Tribunos quoque plebis ſuos, æqualitatem extorquet connubiorum: adcóque, promiſcuum eorum, inter nobiles ignobiléſque, uſum. 53. At, Conſulatum quoq; affectando, plebs eâdem, cauſſam præbet, Tribunorum Militarium, Conſularî poteſtate, creandorum. 54. Sed, illum ipſum etiam magiſtratum, plebs ſenſim invadit, 55: ſicut & Ædilitatem Curulem, Præturam, Cenſuram, Dictaturam. 55: ac tandem, Auguratum etiam, Pontificatum, & Conſulatum. 56.

ROMANORVM VETERVM LAVDANDA.

Romanorum Veterum inprimis *Prudentia*. à pag. 130. uſque 155. Vrbis Romanæ ſitus, ac poſitura; quoad ejus fieri potuit, commoda. 131. Civita-

vitatis Romanæ Diviſio; in Tres primùm Civium ſortes: in Tribus dein, & Curias. 131. Quótnam principiò Curiones fuerint? *ibid.* quot, Curiarum ædes ſacræ? *ibid.* Partitio populi, per Servium regem, in Centurias. 131. & 132. Romanorum civium Nomina adſervata, ad Saturni. *ibid.* De Equitibus Romanis; & corũ ſelectu, conditionibúſque, ad ſelectum requiſitis. *ibid.* & 133. Equites, locô, à plebe ſeparatô, ſedebant in Spectaculis. 133. & 134. ubi &, De Gradibus quatuordecim. 134. Equitũ Romanorum Series triplex. 133. &c. & numerus equitum univerſim, quantus? 134. Spectaculorum, in theatris, amphitheatris, &c. ordo cõſidendi: loca, & alia, eodem ſpectantia. à pag. 134. uſque 137. *excluſ.* Vide autem & infrà, V. *Spectacula.*

Romanorum Magiſtratuũ Partitio, majorum, ac minorũ. à pag. 137. uſque 139. *incluſ.* Cloacarum opera, permagni molíminis. 140. de Aquæductibus. 141. & de eorundem inſigni utilitate. 141. Lacuum Romæ multitudo. 142. Viæ Romanę extra muros, à pag. 142, eæque variæ: & earum præſigniores nominatim. 142. & 143. Appia Via, deſcripta, à pag. 143. & 144. & 145. de Via item Flaminia. 145. De Columellis viarum, indicibus milliarium. 145. & 146. De Sepulcris, ad latera Viarum, 147. & 148.

Romana Curia: & Senatus, pręſtantium Virorum armariũ. 149. (ubi pariter de Cyneæ pronuntiato, ſuper Senatu Romano congregatô. *ibid.* Senatoria Veſtis, à cæterorũ veſtitu diſtincta. 150. uſqu 152. *incluſ.* Senatorum nu merus. 198. Equitum Ro manorum, in veſtitu, Inſign 151. & 152. *Virorum* vet ris Romæ veſtitus. 150. fi 151. *per tot*: 152. & 15 *Mulierum* veteris Romæ, d verſarum conditionum, am ctus & ipſe diverſus. 153. 154. Veſtium Romanar diu ſimplex, parabiliſqu fuit materies, ac tela. 1 Togarum quoque, diu pe xiguum diſcrimen. *ibid.*

Romanorum veterum *Tem rantia*, in victu; ſæculis p mìs admiranda, 156, legũ que Sumptuariarum, apu os, rigor. *ibid.* Romana Caſtitas antiqua, & vn 157. & 158. Divortium, c búſnam mulierum Roma tum inhibitum, & ignoti

157. De Virginibus Veſtalibus. à pag. 158. uſque 163. *incluſivè*:& rurſus,de iiſdem infrà. 170. uſque 173. *incluſ.* Cætera vide infrà. V. *Veſtales*.

Romanorum veterum *Humanitas*, erga Cives ; operâ ſuâ, vel vitæ ſubſidiîs, indigentes, 163. & 164 : in Frumentationibus maximè:quę pretii non vulgaris erant. 164. & 165 : ejúſque,in populum, diſtributio; prudentis, & rectè ordinatæ,menſuræ. 165. *Liberalitas* eorundem,in populum, aliîs etiam in rebus. 165. & 166. Civium,in quos ea benignitas exercebatur, multitudo. 166.: & in eos Cornelii Balbi liberalitas, è legato. *ibid.* Romanæ *Clementia*,ſaltem oſtentatio,in ferenda Damnationis ſententiâ. 166. Romanorum *Gravitas*, in exſecutione *Iuſtitiæ*, erga quoſvis, etiam ordinis altiſſimi. 167. uſque 170. in Cenſura verò potiſſimùm. 169. & 170. & 355. erga Veſtales quoque, ſtupri, delictíve cujusvis Venerii, manifeſtas. à pag. 170. uſque 173. *incluſ.*

Romanorum veterum *Fortitudo*, bellîs ſpectata:earúmque *Militia*. à pag. 174 uſque 248. *incluſ.* De tironum, cæteríq; generis Militum, exercitamentis. à pag. 174. uſque 178. *incluſ.* Itinera militum *Iuſta*,quænam dici ſolerent ? 177. Romanorum militum *Tolerantia*; etiam Chriſtianis meritò admiranda. 188. & 189. Stipendiorũ numerus, qui illis explendus eſſet. 189. & 190. Patientiâ, Conſiliô, Diſciplinâ, & Ordine, valde compoſitô, ſubigebant omnia. 190. *Caſtra* veterum Romanorũ. à pag. 213. uſque 220. *incluſ.* Romanorum *Acies*. 221. & *ſeqq.* de Romanorum, in Aciem, egreſſu, contra hoſtem. 221. & 222. & 224. *incluſivè.* de Armis, in Aciem egredientium. 224 & 225. uſq; 228. *incluſ.* De militaribus *Signis*: maximè verò, de Canoris. 223. & 224 De *Scutis*. &c. 225. De galearũ *criſtis*. 225. ſin. & 226. De armatura Equitum. 228. De *Acie*: ejuſque diverſis inter ſe formîs. 229. & 230. De Aciei diſpoſitione. &c. à pag. 230. De Militiæ Romanæ *Præmiis*: déque Coronis militaribus. 236. uſque 239. Cætera, quæ huc, de Præmiis, Immunitatibus, ac Pœnis militaribus, ſpectarent ; vide ſuprà, V. *Militia Romana*.

ROMA-

ROMANORVM VETERVM VITVPERANDA.

Romanorum degeneres mores, *generatim* primùm; è Criſpi Salluſtii ſenſu. 249. iíque, præ cæteris pleriſque urbibus, atque populis, *ibid.* & in *ſeqq.* paginis. *Particulatiùs* deinde, Idololatria Veteris Romę: & Deorum Dearúmq; abſona Nomina, atque functiones. 251. & 252. Saxum Romani priſci venerabantur. 253. Cur Saxum illud, *Manale* nominârint. *ibid.* Multitudo Templorum idololatricorum, Ædium, Ædicularum, Statuarũ, &c. 253. & 254. &c. Ædes Deæ Pudicitiæ, duplicis conditionis mulierum. 254. Romanorum Deorum Dearúmque multitudo. 258. & 271. Nominum, quibuſdam Diis impoſitorum, fœda ruſticitas. *ibid.* Ad Deos hos, &, eorum in templis, nuncupari ſolita, vota deridentur. 259. Votum, bibendi mulſi, *ibid.* & caſu proſperum *ibid.* & 260. Romanorum Superſtitiones, valde crudeles, in Sacrificiis quibuſdam. 260. & 261. & 262: circa Infantes cumprimis, denſa, ac diuturna. 261. & 262. quæ, quomodo demum emendata ſit? 262. Sinè ſuperſtitionum uſu aliquo, nihil à Roma vetere ſuſceptum, aut actum. 263: & indè, magnarum ſæpe rerum intercepta momenta ſunt. 264. De Lupercalium ſuperſtitiosâ celebratione 264. & 265. Superſtitio pan-
gendi Clavi, per Dictato-
rē. 265. & cur ea exercere
tur? *ibid.* Superſtitio Ro
manorum, circa Fontes. 26
circa canes, & anſeres. 26
circa Dies varios. 267.
268. circa Menſes quoqu
menſiúmque ſignatos qu
dam dies 268. circa Sacra
tem Bonæ Deæ, Floræ, B
chi, & alia: quæ ſecum t
hebant ingentia ſimùl ſ
lera quædam alia. à 268.
que 270. *incluſ.* Sacra R
manorum exſecrabilia, à
gina 268. uſque 270. De
dis Æde, pudicis matr
inſidiosâ. 270. & de Pa
na, illic violatâ, per dol
ibid. Vrbis denique Ro
næ ſuperſtitioſa Supe
Templũ ponit ſibi ipſi.

Romanorum veterum *A*
tia, in corripiẽdis ad ſe
rarum Regnis. 279. &
& 283. & 284. Aſtuti
rundem, & immanita
concitandis ad arma
lis. 285. & 286. ex q
eorum creſcebant ope

privatorum. 286. Avaritia eorundem, in congerendo Auro Coronario. 273. & 274. Origo Auri Coronarii, è Coronis Aureis, principiò ſpontè oblatîs. 272. & 273. Imperatorum caſtrenſium, ac Prætorum, rapacitas: ex occaſione bellorum, & provinciarum. 274. & 275. Indè eorum poſtea, etiam in fortuna privata, divitiæ. 275. uſque 277. (in quem locum, vide etiam ſuprà, V. *Divitiæ.*) Romanorum inutilis, ac mala, *Prodigalitas*; in res vanas, ac ludicras. 277. & 278, *per totum.* Romanorum Avaritiæ, aliorúmque dedécorum, acerrima, nec tamen mendax, accuſatio; à rege Mithridate, per epiſtolam facta, ad regem Parthorum. à pag. 279. uſque 281. *incluſ.* Romanos, à principio uſque ad finem, omnia ſua, ex aliunde raptis, obtinuiſſe. 280.

Romani veteres, etiam Sociis, eſſe graves, incipiunt: novîs, in itinera ſua, ſumptibus imperandîs. 281. & 282. legem autem Repetundarum, aliáſque generis ejuſdem, negligenter tractant: ídque, culpâ, & iniquitate, Iudicum nocentûm. 282. & 283. Romani Veteres, Regibus exteris præſcribentes morum regulam; è contrario, ſibi præſcribi à nemine, volebant; quid agendum eſſet. 283. ad ſe verò Regna, aliud ex alio, trahentes, titulîs utebantur ſpecioſîs. *ibid.* & 284. Regna autem, viribus ſuîs ſubacta, crudeliter diripiebant. 286. eâque ex cauſsâ, à Criſpo Salluſtio Sententiâ gravi notantur. *ibid.* Romanorum, in Arvernorum regem, perfidia, 287. & voluptas quædam, in Regibus, à ſe victis, aſperè tractādis. 288. qui tamen Romani, in Iugurtha, minùs, ac tardiùs, ſe, quàm conveniſſet, aſperos oſtendunt, *ibid.* ideóq; lentitudinis ſuę poſtea pœnas Oxyntæ, Iugurthæ filio, dant. *ibid.* & 289.

Romani Veteres paullatim omnes propemodum, ab immo ad ſupremum, conſcelerati. 290. & undénam eis ſcelerum, & à quo maximè tempore, naſci cœperit, audacia? 290. Dominorum in ſervos immanitas. 290. & 291. Domino occiſo, ab uno ſervorum aliquo; cęteri peribant omnes, qui ſub eodem tecto eſſent. 290. & 291. Romanorum crudelitas, circa eos, quos beſtiis objiciebant, 292. &, circa volupta-

tes, ſpectandi Gladiatores. à pag 292. uſque 304. (Cętera generis hujus, vide Verbo, *Gladiatores*, ſuprà.) Romanorum, inter ſe, inimicitiæ, odia, ſimultates, invidia. 305. & eorum amara, maledica, alternáque, convitia. 307. & ſcripta pariter, atque dicta, à pag. 306. uſque 311. quæ omnia, tam Paci, quàm Saluti publicæ, inimica erant, 312; tametſi non ſinè peſtifero ultionis exercitæ gaudio. 313. qui ſanè, inter cæteros alios, & ipſe fructus erat, deteſtabilis idololatrię. 313. & 314.

Romanorum Voracitas, & gulæ ſtudium. 314. & 315. Apicii deſperata, & Nomentani famoſa, prodigalitas. 314. & 315. Romanorum lavacra frequentiſſima, 315, miſta unguentis: ſicut & eorum pocula. 316. Super his, Juſti Lipſii, de Romanis, cenſura. *ibid.* & 317. Multitudo deterioris ſexûs, Romæ tunc, variis in locis, proſtantium. 317. Quænam, & cur, Nonariæ dicerentur. 317. Quibúſnam locis latibula ſua ponerent? *ibid.* & 318. (Cætera, generis iſtiuſmodi, habes ſuprà, V. *Impudicitia Rom. Vet.*) De multitudine adulterarum, & mœchorum, Romæ Veteris, quid Seneca ſenſerit. 324. & 325. Romanarum incredibilis, in veſtitu, luxus, 326, & 327, illiciens ad probra vitæ, 328. Alia flagitiorum turpium irritamenta, in Comœdiis, 328, in Floralibus, *ibid.* & 329: in miniſteriis ad menſas, 330: in picturis, tam domeſtici[s] quàm publicis, *ibid.* Sponſa[rum] Veteris Romæ quon[]dam Inverecundia. 332: [] indè, minor æſtimatio di[]gnitatis &c. connubioru[m] 333, ac Divortiorum facil[i]tas, & multitudo. 333. & 3[] de qua re vide & ſuprà, *Divortium*.

Romanorum Veterum ſcele[ra] puniri merebantur à De[o] 340. uſque 342 *incluſ.* [] que Deo juſtam de ſe q[ue]relam extorquebant, 3[] verbis, è Propheta transl[ata] à Ieroſolyma, ad urbem [Ro]mam. *ibid.* Pœnas au[tem] Deus repræſentavit in [Ro]manos, cladibus, & urbi[s] Reip. variis. 343 & 344 de cladis Cannenſis at[roci]tate, 343. *fin.* & 344. [] hiatu terræ Curtianô, [] terræ quoque motibu[s] quot, memoratu dignis [] & 346: eluvione præ[] perniciosâ Tiberis. 3[] incendiis, *ibid.* ac peſtil[]

multiplici. 346. uſque 349. *excluſ.* crudelitate inſuper Syllana, 349: & cladibus inteſtinorum bellorum aliis compluribus. 350. Sequitur itaque Reipublicæ, paullatim exſpiraturæ, facies cadaveroſa. *ibid.* ac trepidatio Romanorum; ad famam Iul. Cæſaris, irruentis, (tametſi falſam) fugientium. 441. 442. & 443. Reliqua, huc ſpectare viſa, vide ſuprà, V. *Caſar*, & V. *Pompejus*.

Romanum eſſe Civem; piraticô bellô, perniciem ſimùl, & contumeliam, adferebat. 693. uſque 695. Romani populi bella. Vide ſuprà, V. *Bella*.

Rutilius Rufus, vir innocentiſſimus, à publicanorum fautoribus in exilium ejicitur: propter legum, ac juſtitiæ, tutelam. 82. & 83.

S.

Saburras, dux Iubæ regis. Vide ſuprà, V. *Iuba*, & V. *Ca. Curio*.

Sacra veterum Romanorum exſecrabilia, nonnulla. 268. & 269. & 270. Iſidis verò præcipuè; ceu, pudicitiæ matronarum inſidioſa: ſicut & ædes ipſa Iſidis. 270.

Salitiones, militibus Romanis uſitatæ, quid? 175. & 176.

Eorundem *Saltus*, quid? 177.

Salluſtius. Vide ſup. V. *Criſpus*.

Scæva (Caſſius,) centurio Ca. Iul. Cæſaris, bellô civili. 547. Scutum ejuſdem Scævæ. 549. de quo tamen Scuto, diſſenſio quædam eſt auctorum. *ibid.*

Scaurus (Marcus Æmilius) vili progenitus origine; captô tamen Conſulatu, ſuperbiſſimè ſe gerit. 72. & 73.

Sceleſti enormiter, puniendi non leviter. 288. Sceleſta regnorum urbiúmve capita, ſæpe cauſſa ſunt; Cur & gentes, & civitates, Deo dent pœnas. 289.

Scipio Africanus, *Iunior*; ab uxore ſua creditur interfectus. 774.

Σέβαστος (*Auguſtus*, latinè) unde dicatur? &, quantum ea vox importet? 791.

Seditiones Pop. Rom. à pag. 62. inter quas Gracchanæ, Tiberii, & Caji. *ibid.* uſque 70. Tumultus quoque Herdonianus. 62.

Servilius Lacus, proſcriptorum à Sylla capitum ſepultura; 117.

Servorum, ſub Romanis, olim miſera duriſſimáque conditio, 290, & 291; ubi Servus, heri ſui interfector, plurimis aliis interitûs fiebat cauſſa. *ibid.*

Sl.

Signa Romanorum militaria. à pag. 201: ubi de Vexillis, & pag. 202, & de Signis Manipulorum. 202. & 203. & de Aquilis, 203, ac de Signis, cum aliorum etiam animalium effigie. 203. de Imaginariis, & Draconariis. 204. de Labaro, 204. Signa militaria, gravis ponderis, ac pretii. 205. Aquilarum, quódnam metallum eſſet? 205. Signa militaria, Romanis magno in honore, *ibid.* & in Saturni, cuſtodiri ſolita. *ibid.* ſubinde tamen, de compoſito, abjecta, in medium hoſtium: & cur? 206.

Signa Romanorum, ante egreſſum in Aciem, non erant uniuſmodi; ſed, generatim, alia *Muta*, & portatilia; alia, *Vocalia*, & in Ore. 221. & 222. Inter *Vocalia*, diſcrimen Tubarum, Buccinarum, ſeu Cornuum, ac Lituorum. 223. *Claſſicum*, quid propriè eſſet? 224. De *Signis*, ante prælium, locus quidam Iul. Cæſaris illuſtratus. 233.

Signiferorum Romanorũ, quis in acie pugniſque habitus, & inceſſus, eſſet. 207.

Spartacus, quis fuerit? 351. Belli Spartacii, ſeu Gladiatorii, univerſa in compendio ſeries, ac narratio à pag. 351. uſque 355. Socii Spartaci, Crixus, & Oenomaus. 351. & de Crixo rurſus. 352.

Spectaculorum, apud Romanos, conſeſſus, inter viros equeſtres. 133. uſque 136. *incluſ.* De Quatuordecim Gradibus. 134. In theatralibus, & amphitheatralibus Spectaculis, quónam ordine ſederetur. 134. & 136. Quantus, in uno Amphitheatro, ſpectantium numerus facilè reciperetur. 135. Loca Seſſionum in Spectaculis amphitheatralibus. 136. Plebs ibi quomodo collocaretur? *ibid.*

Spurius Melius, eques Romanus; ob regnum affectatum, interfectus. 56.

Sulpitius (Publius) tribunus plebis, ſeditioſus; adverſùs Corn. Syllam, & Optimates, erigit ſe. 89. & 90. Sexcentos circùm ſe Equites habet; Senatui Romano oppoſitos. 90. Tandem autem à Syllanis interficitur. 91.

Superſtitionum vocabulum unde deductum? 263. Cætera generis hujus, vide ſuprà, V. *Romanorum Vitupe-randa.*

Supplicii Veſtalium, funebris ac luctuoſa, pompa. 17 & 173.

SYLLA (Lucius Cornelius) I gurtham, Numidiæ regen a

auſpiciîs Ca. Marii, in poteſtatem ſuam redigit : indéque meritò gloriatur. 74. & hinc prima ſunt enata ſemina odiorum Ca. Marii Senioris, adversùs ipſum. 74. & 75. Fit Conſul Romanus ; non ſinè prodigiis futurarum in Rep. mutationum. 88. Sortitò accipit Provinciam Aſiam ; & , cum ea , belli Mithridatici imperium. 89. in quo tamen eum impedire conantur Ca. Marius, & Publ. Sulpitius, cum aliis. 89. Hinc Sylla, bellum Civile ordirur, adversùs Marium, Sulpitium, eorúmque factionis participes. 90. Adverſis cum partibus præliò contendit : & ſuperior evadit. *ibid*. In Vrbe, poſt hæc, cædium, ac proſcriptionum, facit initia, 91, Cajúmque Marium Seniorem, cum Mario Iuniore, fugat in Africam. 92.

Sylla cum rege Mithridate, pretiò magnô pacem redimentem, tranſigit; lucrô ſuô. 103. Aſiam provinciam ordinat. 104. Romámque raptim regreſſus, à Cinnanis impediri nequit, 104, quin paſſim per Italiam victor , & dominator, volitet. 104. & 105. qua occaſione , Syllæ partium Duces, contra Marianos, nominantur. 105. Syllæ, diverſæ , compluréſquē, adversùs Marianos , pugnæ , ac victoriæ. à pag. 107. eæque, tam per ipſúmmet Syllam, quàm per Duces partium ejus, confectæ. 108. & *ſeqq*. Signatè verò, contra Marium Iuniorem pugnat, 108 : quem, per ſuos quoque, Præneſtino in oppido obſidet. 109. Alibi quoque, diverſîs, frequentibúſque certaminibus, vincit Marianos. 111. & 112. & 113. & 114. Inter ea prælia, non parùm memoratu dignū eſt , quod commiſſum Calendis Novembribus fuit. 113. & 114. Marianorum Sylla victor , Romam, plenâ cum poteſtate , ingreditur : ibíque truculentè agit. 115. & 116. ſeptémque millium cædem, juſſu ſuô editam, pro nihilo ducit. 116. Proſcriptionis præterea Tabulam proponit. 116. & 117. cujus exſecutionem immaniſſimā mox repræſentat , 117. & 118. Multitudo eorum adumbratur, qui bellis Syllano-Marianîs utrimque ceciderunt. 117. & 118.

Syllæ , de Ca. Iul. Cæſare, præmonitio, ac vaticinium. 119. A Seneca, Sylla reprehenditur idem, & excuſatur. 119. & 120.

Sylla Reipubl. veteris Romanæ

næ ſtatum univerſum invertit. 120. Idem Romæ poteſtatem rerum omnium ſupremam occupat: ídque, è Senatûs quoque Conſultô. 120. Eam quoque exercet, 121; etiam per orbem reliquum. 121. & *ſeq.* Idem, Cn. Pompeji ductu, in Africa Domitium, & Hiarbam regem, opprimit. 121. Pompejum, ex Africa cum gloria victoriâque reducem, evehit. 122. Felix dici, ſcribíque, geſtit. 122. & à Laberia (Valeriâ) felicitatis nomine palpatus, id lætè fert, *ibid.* indéque in cupidinem illius, nuptiáſque, pertrahitur. *ibid.* Senatum interea, cædibus exhauſtum, ſupplet. 123. judiciáque transfert in ordinem alium. *ibid.* Veteranorum præterea ſuorum coloniîs Italiam, & libertîs Corneliis urbem, implet, *ibid.* exactô tamen priùs ab eis fidei, ſibi ſemper præſtandæ, juramentô. *ibid.* & 124. Tribunatum quoque plebis elumbat. 124. & 125: in quo, ſuî poſtmodum imitatorem habuit Conſtantinum Magnum, Imperatorem. 125. In quibúſnam ſe maximè ſoleret Felicē prædicare Sylla. 126.

Sylla ſe Dictaturâ intrepidè, confidentiſſiméque, abdicat. 126. ac, licèt à quodam protinus adoleſcente maledictîs palàm appetitus, *ibidem*, iis tamen ipſe, non niſi verba ad amicos paucula, veráque, reponit. 127. Eodem modo Marci Lepidi criminationes acerbas civiliter Sylla fert. 127. & 128. quippe, Iram, quoties feriò vellet, in poteſtate habere ſolitus. 128. de qua temperantia, memorabile dictum eſt apud Senecam, in Luc. Syllam. *ibid.* Indomita verò ejuſdem, in Populum Romanum, Iracūdia, refertur in Divinam Iuſtitiam; ſcelerum urbis caſtigatricem. 129. & 130. Syllæ autem immaniſſima Superſtitio, in ejicienda uxore Metella; partim in iniquam viri hujus mentem, partim in Sacrificulorum nequitiā rejicitur. 337.

Syllæ Extrema. Quibúſnam voluptatibus ſuæ morti viā præſtraverit. 716. & 71[illegible] Ej⁹, turpitudinum intemperantia. *ibid.* uxorum Syl[illegible] numerus, ac nomina. 7[illegible] Pediculîs tandē ſcatere [illegible]cipit. 715. & 718. Vlcus, [illegible] eo collectum, humorum [illegible]xiorum copiâ; Iracundiæ [illegible]mum vehementiâ, rumpi[illegible] 717. Paullò ante mort[illegible] ſua

ſuam, Sylla Granium quendam jubet interfici. 717. Ferebatur autem & Sylla ipſe morte periiſſe violentâ, à ſemet illatâ ſibi: &, quantâ id famæ probabilitate. 718. Moritur. *ibid.*

Syllæ decernuntur à Senatu Exſequiæ, funeriſque deductio. 718. Exſequiarum illarum deſcriptio, à pag. 719. uſque 736. Effertur aureâ lecticâ, 719, itinere, quod deſcribitur, 721, & multitudine, funus deducentium, prudentibus formidatâ. 722. & 723. Ferculorum porrò, in Syllæ funere, numerus fuit ingens, 723, & Coronarum aurearum magna multitudo. 723. Equitatûs, ac tubicinum, pompa memoranda, 724. tubicinum cantus, ejuſdémque variatio, funeri congrua. 724.

Syllæ geſtorum, à pleriſque, funeri interſerebatur criminatio. 726, uſque 729. ab aliis, contrà, ejuſdem actorum, qualisqualis, laudatio. 729. & 730. & 731. in ea laudatione erant, & Marci Luculli, legati ejus, prodigioſa pugna, 729, & Satyri ſylveſtris captivitas. 730. Poſt quæ, laudatur & è Roſtris Sylla. 731. & 732. Cadaver deinde, facibus honeſtatum, 733, & igne reſolutum in cineres, 734, (quippe, ventîs ſuperillapsîs, flammam animantibus, *ibid.*) equitum decurſione celebratur; *ibid.* ac mulierum odoramentîs, *ibid.* & 735. geminâ quoque ex odoramentis ſtatuâ, in ejus honorem incensâ, honoratur. 735: rogúſque Syllanus pluviâ tandem extinguitur. 735.

Syllæ, poſt mortem, Animæ ſtatus, ac locus. 735. & 736. & ritus, quibus claudebantur ejus Exſequiæ. 736. Epitaphium quoque, quod ipſe ſibi compoſuit. 736. Diſſeritur, ſub hæc; Vndénam Syllæ provenerint tanti, poſt obitum, honores? à pag. 737. fusè, uſque ad pag. 743. *incluſivè*: ubi & interſeritur; Crudelitatem ejus, quàm ducum Marianorum, cur multi tolerabiliorem ſibi cenſuerint? 739. Sylla quibuſdam, multîs in rebus, nec laudatus unquam ſatìs, nec ſatìs culpatus, viſus eſt. 739. Complures interim, neceſſitate ſolâ vocem encomiaſticam exprimente, Syllam, etiam extinctum, celebrârunt, 741, & 742, alii, communi humanæ conditionis memoriâ, & officio, 742, &, quòd nonnunquam Plebicolam

lam ſe Sylla præbuiſſet, in vivis. 741. In reliquum, ejus Tyrannis, multò poſt ejuſdem interitum, adhuc à Seneca, & Arbitro, exagitata eſt. 765. Quot verò in Dictatura ſua, præferri ſibi ſecures juſſerit, atque permiſerit; lucidè expeditur: contra cujuſdam recentioris, huic veritati circumfuſam, caliginem. 765. & 766. diſquiritúrque, Num Regalî id more, inſtitutôque, Sylla fecerit. *ibid.*

T.

Tabula Nova, apud priſcos Romanos, quid fuerint? 786. & 787: &, quo temporum ſtatu earum maximè vigere conſueviſſet uſus. 787.

Temperantia Romanorum, in Victu quondam. 156: legúmque Sumptuariarum, apud eos, rigor. *ibid.*

Templa Romanorum. 254. & 255. uſque 257. *incluſivè.* Templum, urbi Romæ, ab ipſamet Roma poſitum. 257.

Terentia, Ciceronis uxor, cur à Cicerone dimiſſa perhibeatur? 780. Cujuſmodi prædita moribus. 779. & 780. quot, quibúſq; viris, nupta? 779. quot annorum natu, obierit. *ibid.*

Terræ - hiatus, ac tremores, Romæ. 345. & 346.

Teſſera militiæ Romanæ. 231. & 233. teſſeræ hæ, ſuperſtitionibus obnoxiæ, & ominoſæ. 232.

Theatra, & Amphitheatra. Vide V. *Spectacula*. & V. *Roma*, ſuprà.

Theſſalonica urbs, aliquouſque velut Romæ Veteris vicem agens. 491. & 520.

Thomæ Mori, & aliorum quorundam, Conſtantia, pro Veritate & Iuſtitiâ. 466. & 467. & 469.

Titus Labienus. Vide ſuprà, V. *Labienus*.

Tribunorum caſtrenſium, diverſæ appellationes, & gradus. 209. eorum inſignia, & ornamenta. *ibid.* De eorum veſtitu, & annulo. *ibid.* eorundem, in caſtris, functiones, ac munia. 209.

Tribuni militares, *Conſulari Poteſtate*, num aliquando ſub unum idémque tempus Octo? 753. &, cur, id negari, videatur inconveniens 754. Tribuni militares Conſularî poteſtate, quánam occaſione creati fuerint? 5 Ii, nunc è plebe, nunc è [illegible] triciis, majore minoréve [illegible] merô, adſumebantur. *ib* & 55.

Tribunorum-Plebis creatio m[illegible]

magiſtratus, Romæ introduci cœpit, occaſione ſeceſſionis populi. 37. & 38. ſed plerumque poſtea, cum maximô Reip. detrimentô. 39. uſque 43. *incluſ.* Tribunorum Plebis primorum, nomina. 39. Tribuni Plebis omnia quieta turbant. 40: ac magiſtratus, tribunatu plebis longè celſiores, graviter exercent. 41. A Tribunis Plebis Marcius Coriolanus patriâ pellitur: &, quâ causâ? 44. ægréque tandem ab excidio patriæ ſuæ, mota jam in vindictam, arma revocat. 45. Eminet quoque Ca. Curiatii, tribuni pl. ſingularis inſolentia: viros urbis clariſſimos in carcerem tradentis. 751.

Tribuni-plebis, falsîs promiſsis extorquent à Patribus numeri ſui quinarii geminationem: cujus ipſi deinde vim, ac potentiam, ipsóſmet in Patres vertunt. 46. adeóque, à Democratia, Remp. Romanam transferunt in Ochlocratiam. 47. Tribunatus tamen iſte Plebis, à Sylla debilitatus, 124, & 125; à Cn. Pompejo, Marcóque Licinio Craſſo, reſtitutus, 125. & 155; à Conſtantino Magno ſublatus tandem eſt. 125. *Tribunitiam* verò *Poteſtatem*, qualémnam; &, quàm amplos intrà limites, Romani Principes, atq; Cæſares, libenter avidéque, ceperint; exponitur pag. 655. & 656.

Tricipitina Marci Terentii Varronis, quid? 365.

Tuba terminalis, quænam diceretur? 297.

Tullius (Marcus Cicero). Vide ſuprà, V. *Cicero.*

V.

Valeria, Syllæ Dictatoris poſtrema uxor; quomodo à Suida dicatur, *Laberia?* 766. & 667. Ejus factû erga Syllam. 122; & Syllæ levitas, in ea ducendâ, refertur è Græcis. 767. & 768. quæ levitas, à Plutarcho, licèt ethnicô, Chriſtianè tamen reprehenditur. 768.

Ventilatio, in certamine gladiatorio, quid eſſet? 297.

VESTALES *Virgines* Romæ. 158. Quótnam fuerint, ſub unum idémque tempus, & jugi ſemper numerô? 158. De iiſdem ulteriùs, uſque ad pag. 162. Et rurſus, à pag. 170. uſque ad 173. *incluſivè.* Veſtalium initiâdarum cærimoniæ, verbáque Pontificis. 159. Earum occupationes, *ibid.* & 160. Cultus ornatúſque veſtium. 160. & 161.

161. progreſſio earũ in publicum. 161. earum auctoritas, admonendi Regem Sacrorum. 162. Earundem, in alimenta, vitę ſubſidia. *ibid.* Veſtalium ſuperſtitiones, in Aqua petendâ, & Igne renovandô. 266. Veſtalis devirginatæ ſupplicium ſpontaneum. 348. irrogatum à Legibus. 170. uſque 173.

Veſtium Romę Veteris diverſitas: tam apud viros, quàm fœminas. à pag. 151. uſque 154. Veſtium Diſcriminis, etiam intrà unum eundémq; ſexum, magna laudabiliſque ratio: & moris contrarii reprehenſio. 154. & 155. Veſtis Romanorum diu è rudi ſimplicéque materia. 155. Qualis earum lana? *ibidem.* Quænam togarũ à togis diſtinctio? *ib.* Veſtium luxus apud ævi poſterioris Romanas. 326. & 327. & 328. & 776.

Vexilla. vide ſuprà. V. *Signa Militaria* Romanorum. &, V. *Militia Roman.*

Via Romana. à pag. 142 uſque ad 145. *incluſ.* Viarum Romanarum ornamenta duo præſigniora: à Columellis videlicet, milliariûm indicibus, 145. & à Sepulcris, ad latera Viarum. 147. ubi & obiter de Vtilitate amborum. 146. uſque 148. Via Appia. vide ſuprà, V. *Appia Via.*

Vinum, num bibiſſent, explorabantur priſcæ Romanæ. pag. 769.

Virgines Veſtales. Vide ſuprà, V. *Veſtales.*

Viriathicum bellum, quamdiu propriè durârit? 755.

Votum, bibendi mulſum, Idololatræ cuidam proſperum. 259. & 260. Vota quædam Romanorum Veterum, erubeſcenda. 771. & 272.

Vxorum multitudo unius viri ſub unum idémque tempu[s] ut lege permitteretur; qu[...] ferri voluerit? 325.

FINIS.

Digitized by Google